




MENASSEH BEN ISRAEL
CONCILIATOR ETC.
2
3
309
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE









# MENASSEH BEN ISRAEL
# CONCILIATOR,
SIVE
## De convenientia locorum S. Scripturæ, quæ pugnare inter ſe videntur.

Opus ex vetuſtis, & recentioribus omnibus Rabbinis, magnâ induſtriâ, ac fide congeſtum.






FRANCOFURTI.
Auctoris typis & impenſis.
cIↃ. IↃ C XXXIII.

# MENASSEH BEN ISRAEL
## LECTORI S.

FFERO tibi conciliationem omnium locorum, quæ in S. Scriptura inter se pugnare videtur; opus novũ, & à nemine nostræ nationis hactenus tentatum; sed quod ingenium meo majus exposcat. Tamen, si verè fertur labore omnia vinci, id dicere possum, nõ perfunctoriè me in hoc argumento aliquot annos desudâsse. Ac primò quidem cùm contenderẽ inter se discrepantia loca, comperi semper deesse aliquam ex conditionibus quatuor, quas Aristoteles† ad verum elenchum, sive contradictionem requirit. Nam ut idem verbis tenus sit subjectum, & prædicatum (utamur sanè verbis Scholarum) tamen vel non intelligũtur eodem modo, ut quando est ambiguitas in voce: vel non secundum idem, ut si diversa attendatur conditio: vel non fit relatio ad idem, sed ad diversa, quomodo duo duplũ est ratione unitatis, non duplũ ratione ternarii: vel diversum tempus attenditur. Et quia in Lege exactissimæ veritatis, contradictoriis nullus est locus, dedi huic operi nomen CONCILIATORIS, seu de cõvenientia locorum S. Scripturæ, quæ pugnare inter se videntur. Idque quia nunquam ita intricata verba reperi, quin se ostenderet via, quâ quamvis discrepãtibus locis veritas adstrueretur. Distinguẽdo enim omnia plana fiunt. Quemadmodũ (ut ait doctus Aben Ezra†) tam ille qui illustri nocte lucem illam lunæ deberi ait vera loquitur, quam qui soli eam tribuit, à quo lucem suam luna habet. Sic quoque, ut quintâ Quæst. Genes. ostendimus, luna & magna, & parva, appellatur, respectu Solis, & minorum stellarũ. Eodemque modo sæpe de Deo duo contraria prædicantur; uti in nullo eum, & in omni loco esse; maximũ, & minimum; principium & finem; nimirũ pro respectu hujus, aut illius rei. Itaque summa diligentia pervolutis veterũ & recentiorũ scriptis, non unam tantùm, sed complures plerumq; conciliationes reperi, & rationi naturali, & verbis S. Scripturæ valde congruas. Lectoris esto eligere, quam ex iis maximè probaverit. Neq; enim mihi consilium fuit, interponere me tot & tam variis magnorũ virorũ judiciis. Et fortasse, quam ipse prætulerim opinionem, alius rejiciat. Ego certe eas, quæ

† *Sophis. Elench.*

† *Ad Exod. cap. 23.*

maxime Scripturæ menti accedere videbātur, collegi, cū existimarē, & hanc, & illā cōsistere sententiā posse; ut hac ratione pluribus modis difficultatibus locorū obviā iretur. Vnde non ambigo, quin gratus labor noster omnibus doctis sit futurus. Sanè Thalmud legētibus liquebit, quo honore hoc studiū veteres habuerint. In Guemara Nidà †traditur, Alexandrinos, R. Iehosuā ben Haninà, illustrē ac sapientē virū, de nōnullis harū quæstionū consuluisse, tanquā scitu dignissimis. Nec tantùm nostri, sed & Principes gentiles, similes quæstiones antiquis moverūt, (uti legere est in Gemara Holin, Bechorot, & aliis Tractatibus) qui, ut discipuli Prophetarū, multa loca expediverūt, quæ absque eorum conciliatione ob difficultatem sui, haud facilè quisquam intelligeret. Cæterùm, ut constet quoq;, quid in hoc opere laboris susceperim, primò quidem Maamarim, seu sententias veterum, huc pertinentes, rationibus passim illustravi vel explicui. Præterea & siquid in recentioribus invenisse diligēter inquisivi, primine illa, an ex aliorum scriptis, prodidisset, & semper bene observata ad primū autorē retuli. Recentiorū quoq; sentētias nō modò rationibus, sed & variis S. Scripturæ locis, passim confirmavi. Tū etiā R. Selomonis, R. Abrah. Aben Ezra, R. Mosis Gerundensis, difficillimorū autorū, observationes fideliter ubiq; interpretatus sum. Etenim plusquam tria locorum millia, quæ in hoc opere ex iis allegantur, ipse in eorum scriptis me legisse, neque aliunde hausisse, testari possum. Denique multis locis meam quoq; opinionē subjeci; aut ea de quibus nihil veteres, vel recētes autores, scripsissent, exactè & fusè tractavi. Nā, ut rectè in Gemara Holin traditur †, unicuiq; locū veteres reliquerunt, egregiis scriptis suam famam propagandi. Nec immeritò Aristoteles † ait non præreptum junioribus suffragii jus in iis, super quibus veteres censuere.

† *cap.* 10

† *cap.* 1.

† *In Post-præd.*

Divisi autem opus hoc in tres partes, veterū exemplo, qui S. Script. partiti sunt, in תורה *Torah* Legem, נביאים *Nebiim*, Prophetas, & כתובים *Ketubim*, Hagiographa. Ex his primā nunc partem do, quæ cōplectitur sublimes omnes Legis materias. Reliquas duas, si laborem hunc doctis gratū esse intellexero, & Deus voluerit brevi evulgabo: & deinde alia opera, quæ affecta aut confecta habeo. Quæ inter est Grammatica, cui nomē imposui שפה ברורה *Saphà Berurà*, i.e. Labium clarum, quâ compendiose ad Linguæ S. notitiam perveniri poterit. Semper enim putavi labores ad publicā utilitatem referendos.

Sapientiſſimo Viro,

# Dom. MENASSEH BEN ISRAEL,

## Sacrorum librorum fidiſſimo interpreti. Salutem.

*SAcrorum Librorum varia loca, tenebricoſa, immò arduæ, & intricata à te affabrè conciliata, in unum volumen, ſempiternæ memoriæ commendandum congeſta accepi, vidi, legi. Et quidem ſimul adeò cupidè, ut prius penè ad calcem præ ſtudio perveniſſe, quam ex carceribus promoviſſe me ſenſerim. Mox tuorum verborum ſuavi, quin ambroſio planè odore veluti delinitus animam recreavi: nam ſententiarum veluti ſapor quidam dulciſſimus ex illecebris orationis tuæ emanans, ita palatum irritavit, ut quaſi belluo aliquis vix commanſas epulas has tam lautas, tam opiparas devoraverim: ita fermentatam tuam inveni eruditionem: quoquo enim me verto, turget undequaque auctoritatibus. Quis enim indefeſſos labores tuos in hoc eruditiſſimo pulvere non ſuſcipiet, ac venerabitur? Quis feliciſſimas velificationes tuas in tam vaſto pelago, magnorum navarchorum bolide nunquam non tentato, at nunquam explorato, & dignitate ſumma, & ampliſſimarum laudum præconijs non præferet? Hebræorum tùm veterum, cùm recentiorum peritiſſimi à primis illis ſæculis uſque ad noſtrum ævum, circa divinæ Legis myſteria explicanda ſtrenuè inſudantes fecere conſilia, controverſias, concordantias. Thalmudicæ ſcientiæ auctores in explanandis obſcuris dubiis inter omnes excelluere. Alij in interpretandis ſacræ paginæ aſperioribus clivis primas tenent. Quidam dictionaria conſtruxere, locupletiſſima verborum ſerie ornata. Plures recondita Moſaicæ ſcientiæ oracula ſubtiliſſimis diſputationibus illuſtrarunt. Demum plurimi ingenio præſtantiores ſecretiora Sacro-ſanctæ Legis arcana, Moyſi cœlitus revelata, quæ ſapientes viri, mira eruditione, & pietate inſignes in varia volumina congeſſere, quam Cabalam dixerunt, acuto ſcribendi ſtylo, ſcientia ſingulari, doctrinâ exacta ſunt interpretati, quæ ineffabilem de Divinitate, Angelicis intelligentiis ſapientiam, & de rebus naturalibus accuratam traditionem continebant. At nullus ſuperiorum ſcriptorum tuum attigit inſtitutum. Tu enim linguæ ſanctæ Profeſſor meritiſſimus, è nobili progenie oriendus, in Cabaliſtica ſpeculatione doctiſſimus, à multis annis Hebræorum concionator egregius, omnium in hoc argumento primus, & inter Iſraeliticos ſapientes anteſignanus, & Coryphæus, omnes quæſtiones Pentateuchi, palantes illas quidem, & in varijs, abditiſque Sacræ Scripturæ locis diſperſas, compendioſo ordine diſpoſuiſti, diſpoſitas acri tuâ Minervâ, & præſtantiſſimorum Theologorum auctoritate ita graphicè, eleganter, Laconicèque conciliaſti, ut* CONCILIATOR *ab Hebræorum ſcientiſſimis poſſis poſthac, & debeas iure optimo nuncupari. Opus enim quod tentaſti, non ſolum his, ſed Sacrarum literarum ſtudioſis per univerſum orbem habitantibus, ubi divina Scriptura ſummè veneratur, eſt apprimè utile, ac neceſſarium, & illarum fœcundiſſimam doctrinam affectantibus jucundiſſimum; in quo condendo, ita nervos, conatusque omnes impoſuiſti, ut loca obſcura, quæ prima facie invia, repugnantiaque videbantur, nunc ſolertis tui ingenij induſtria admiranda, non rudioribus modò, ſed & cæteris eruditioribus plana, manifeſtaque exiſtant. Nam divina inſtructus arte antinomias difficiles diligentiſſimè proponis, ingenio raro diſſertans earum*

*dilucidam explanas solutionem, incredibili scientia dubiorum labyrinthos extricas, variâ auctorum lectione eorum causas perscrutaris, praeexcellenti doctrina ad quaesita respondes, ingenuè deliberas, prudentissimè animadvertis, argutissimè objicis, Hebraeorum peritissimos ad sacrorum librorum penetralia investiganda veluti manu ducis, & eminentissimorum Rabbinorum mentem, non perfunctoriè, sed firmissimis rationibus expendis, enucleas, emedullas. Denique quidquid aliqui longis ambagibus, perplexè, & quod plus est dispersim tradidere, id tu in synopsi exhibes, ac repraesentas. Neque putes me in eorum numero esse qui sub capite consuunt pulvinaria. Si assentior, sim contemptui doctis omnibus, quorum illibatum judicium tibi quasi pro lapide Lydio debet esse, quo approbari facilè video scribendi genus illud tuum minimè triviale, cultum quinimò, subactum exercitatione multa, & sparsum veluti fruge bona veterum lectionum. Quare auguror, nec me, puto, fallit judicium, multum tibi ex suscepto labore, Israelitico populo plurimum collaturo, & laudis, & gloriae, ob argumenti novitatem, nostrum aevum relaturum. Perge igitur, quaeso, charissime Menasseh, qua coepisti ope, Hebraicam rempublicam juvare, & residuas, quas domi paratas, & ornatas habes in omnes sacros libros hujus argumenti foeturas, simulque illud quod dulcissimo nectare, & ambrosia de resurrectione mortuorum à te saturatum est opus, & alia lemnisco adornanda, in publicam utilitatem emitte. Omnipotentem precor, ut tibi animum ad labores subeundum alacrem, & vitae diuturnitatem concedere velit. Vale, &* Zacutum *tuum ama, te, divinarumque literarum studiosos sedulos perpetuò amaturum. Amstelodami die ult. mensis Augusti Anno* 1633.

Te colit, & observat

DOCTOR ZACUTUS LUSITANUS.

CATA-

# CATALOGVS

## Autorum, & Librorum, qui in hoc opere citantur.

*Libri ſententiarum aut Maamarim antiquorum ſapientum.*

TalmudHieroſolymitan.
Talmud Babylon. 63. tra.
Siphrá.
Siphré.
Tanhuma.
Torat Coanim.
Mechiltá.
Peſicatá Zutratá.
Toſſaptá Berachot.
Toſſaptá Sanhedrin.
Toſſapta Sotá.
Maſſechet Sophrim.
Pirque R. Elihezer.
Otiyot R. Aquiba.
Taná de-bé Eliyahu.
TargumHieroſolymitan.
Targum Ben Uziel.
Targum Anquelos.
Yalkut.
Rabot.
Midras Soher Tob.
Midras Miſle.
Midras Semuel.
Midras Hazit.

*Interpretes Maamarim aut ſententiarum à veteribus ſcriptarum.*

Hen Yahacob.
Yephe Marhé.
Yephe Toar.
Captor Va-Ferah.
Matanot Chehuná.
Or a-Sechel.
Lehem Selomoh.
Corban Aaron.
Hiduſſé Agadot.
Daras Moſſeh, Mi-pizēs.
Nahalat Abot.
Midras Semuel.
Leb Abot.
Milé de-Abot.
Perus Arambã.
Pirqué Moſſeh.

*Commentatores in Pentateuchum.*

Yedidyá Alexandrinus.
R. Hananhel.
R. Selomóh.
R. Abrahã Aben Ezra.
R. Levi ben Guerſon.
R. Moſſeh Gerundenſis.
R. Bahyé.
Aquedat Ishac.
Ishac Abravanel.
Torat Moſſeh.
R. Obadyá Sphornus.
Mahaſſè a-Sem.
Hizquni.
Toldot Ishac.
Keli Yacar.
Zeror a-Mór.
Miclal Yophi.
Bahal a-turim.
Sipte Coen.
Olát Tamid.
Minha Belula.
Hen Tob.
Mizrahi.
Gur Arye.
Mecor Haym.
Zapnat Pahaneah.

*In Prophetas.*

R. David Kimhi.
Abravanel.
Maſmiah Yeſuah.
Perus R. Yeſahyá.
Marhot a-Sobhot.
Keli Yacar.
Leb Aaron.

*In Agiographa.*

R. David Kimhi.
Norá Thehilot.
Mehir Thehilot.
Romemot El.
Mizmor le-toda.
Mehir Iob.
Oeb Miſpat.
Soſanat a-Amaquim.
Ayelet Aabim.
Sores Yſay.
Yedé Moſſeh.
Kehilat Yahacob.
Manot a-Levi.
Tipheret Iſrael.
Mahyené a-Yeſuah.
Gerundenſis.
Abraham Friſolus.

*Libri Cabaliſtici.*

Zoar.
Zoar Hadas.
Ticune a-Zoar.
Sepher a-Bayr.
Sepher a-Yeſſirá.
Rehaya Mehemna.
Sepher a-Kaná.
Sepher a-Bitahon.
Pardes Rimonim.
Aſſis Rimonim.
Pirus R. Berachiel.
Saar a-Sem Ehadas.
Sepher a-Yhud.
Abodat a-Codes.
Tolahat Yahacob.

Saharé Ora.
Saharé Zedeq.
Zioni.
Guinat Egoz.
Hayat.
R. Yehuda a-Hasid.
R. Elihezer mi-garmisa.
R. Yoná.
Nismat Adam.
Sephá Tal.
Maguen David.
Adam Cadmon.
Sepher a-Kana.
Tomer Debora.
Sahar a-Samaym.

*Libri Iuris.*

Rab Alphes.
Yad a-Hazacá.
Halachot Guedolot.
Bet Yosseph.
Asagot Arabad.
Sepher Tanyá.
Sepher Maté Mosseh.
Zeda la-dareh.
Lebussin.
Colbó.
Abudaram.
Seelot Colon.
Seelot Medina.
Seelot Barsessat.
Seelot Ben-habib.
Seelot Arisba.
Seelot Maaram.
Seelot Aros.
Mispete Semuel.
Binjamin Zeeb.

*Libri Sermonum.*

Derasot R. Nissim.
Olat Sabat.
Derasot Sem Tob.
Derasot ben Sueb.
Cheter Sem Tob.
Derasá mi-Gerundensis.

Derasot Rasam.
Dibré Salom.
Dibré Selomoh.
Kad a-Quemah.
Daras Mosseh Albeldá.
Keli Hemdá.
Yad Yosseph.
Nephusot Yehudá.
Meames Coah.
Olelot Epraym.
Tipheret Israel.
Kesseph Mezukak.
Kesseph Nibhar.
Hir Guiborim.
Menorat a-Maor.

*Libri Grammatici.*

Saras.
Michlol.
Aphodi.
Miqné Abraham.
Sepher Zahut.
Mozné Lason a-Kodes.
Haruh.
Oel Moed.
Sepher Mahalah.
Petah Debaray.
Marpé Lason.
Pirque Eliyahu.
Sapha Berura.
Harugat a-Bossem.

*Libri Historici.*

Yosiphon.
Seder Olam.
Silselet a-Kabalá.
Sebet Yehudá.
Mashot R. Binyamin.

*Tractatus Legales.*

Moré Nebuchim.
Cuzari.
Or a-Sem.
Ycarim.

Bet Eloym.
Ros Amaná.
Tehilá le-David.
Dereh Emuna.
Maguen Abot.
Neue Salom.
Milhamot a-Sem.
Sahar a-Samaym Latif.
Sahar a-Samaym Guers.
Meguilat a-Meguilá.
Hobat a-Lebabot.
Sebilé Emuná.
Sepher a-yasar.
Hidusé Aramban.
Sepher Misvot Gadol.
Sepher Misvot Katan.
Keter Torá.
Yesod Olam.
Sepher Emunot Sem Tob
Sepher Emunot mi-Sead.
Resit Hohmá.
Saharé Dimha.
Ateret Zequenim.
Zebah Pesah.
Anhagat a-Haym.
Hazut Casá.
Vicuah a-Aabá.
Miphalot Eloym.
Sulhan Arbá.
Baal a-ygarot.
Thephila le-Mosseh.
Gueburot a-Sem.
Nesah Israel.
Beer a-Gola.
Mahalot a-Midot.
Sepher a-Musar.
Mahamar a-Sechel.
Ruah Hen.
Hadrat Kodes.
Tapuhe Zaab.
Torat Adam.
Mehirat Enaym.
Masoret a-Berit.
Masoret a-Masoret.
Sepher a-Mesarot.
Silté a-Guiborim.
Keter Malchut.



# GENESIS

## QVÆSTIO I.

*Genes.* 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* | *Ibid.* 2. 4. *Quâ die Dominus Deus fecit terram & cœlum.*

SI, ut Philosophi affirmant, prius illud dicitur, quod tempore alia præcedit, aut exstitit priusquam illa exsisterent, et narrandi ista ordine æstimanda sunt; manifeste hæc loca pugnare dixeris. Nam primo capite prior est cœlorum mentio; at secundo terræ.

## CONCILIATIO.



ORTA super hac quæstione est controversia inter Academiam Samaij et Hillelis, ut traditur in Gemarâ Hagigæ *, Talmude Hierosolymitano, Beresit Raba † & Midras Semuel, ‡ huiusmodi verbis, *Academia Samaij primo cœlos, exinde terram creatam dicit; contrà Hillelis Academia terram prius, postea cœlos.* Vterque sapientium illorum firmat opinionem suam alterutro ex duobus, quos allegavi, locis. Et quia videbant alterum locum sententiæ suæ obsistere, ita occurrerunt.

* *cap.* 2.
† *cap.* 1. *Vaiicra raba. cap.* 36.
‡ *Par.* 5.

I. Samai Academia priore versu pugnat, et quia ille proprius creationis locus est, ait S. Scripturam loqui secundum ordinem temporis, quo singula esse cœperunt. Adde quod plerumque in S. S. prius cœlum, deinde terra nominetur. Secundo autem cap. Geneseos terræ mentio prius fit, sive ut varietate istâ & terra cœlis, et cœli terræ æquiparentur, ad demonstrandum Numinis providentiam quoq; inferiori huic mundo adsistere; sive ut indicaretur mundum laboris tempore præcedere illum, quem עולם הגמול *mundum retributionis* vocāt. Atque huius opinionis in Israële olim illi sapientes fuere, qui Alexandro Magno (ut discimus ex Gemarâ Thamid) percunctanti, priusne cœli, an terra extitisset, responderunt, cœlos: eodem nixi argumento, quo Samaius utebatur. *cap.* 4.

II. Academia Hillelis nititur altero loco, et verbis Psalmographi: *Ante terrā fundasti, & opus manuum tuarum cœli.* Primo autem Geneseos capite cœlum āteponi putat, quia dignitate præcedit. Nam et hic unus ex quatuor modis est, quibus Logici dicunt rem quampiam priorem aliâ intelligi posse. Cœlos autem dignitate præcedere ait, vel quia ex puriore substantia (quintam essentiam vocat Aristoteles) constant, vel quia animati sunt. Atque ita quidem Hillel, et Samajus, hanc decidunt controversiam. *Psalm.* 102. 16. *Ruah hē cap.* 8.

III. Sed aliter R. Iohanan distinctiorem Hahamim *sapientum* secutus. Siquidem *Beres. R. cap.* 8.

quidem ait, *quantum ad creationem, cœlum præcessit; si exornationem respicias, terra.* Id est, iuxta Isacum Abravanelem in glossis supra Pentateuchum, et Samuelem Iapheh, in opere quod Iepheh Thoar inscripsit, si creationem ex nihilo factam respiciamus, cœlum tempore prius fuit; sin germinationem, sive eam, quę proprie generatio dicitur, terra antecessit. Et sic constat ratio, cur die tertio terra semina produxerit, et plantis sit impleta; quarto autem die luminaria posita, et cœlum stellis discretum sit. Igitur cœlum, quod primo esse cœpit, post terram perfectum sit. Quam in mentem etiam R. Tanhumah utrumque Geneseos locum, ex quibus quæstio orta est, trahens, primo loco usurpari ait vocem ברא *creavit*, altero עשׂה *facere*, quod verbum sæpius apparatum, aut exornationem notat: ut ובן הבקר אשר עשה *et vitulo lactente quem apparaverat.* Idem quoq; ostendit R. Selomoh, et doctissimus Aben Ezra pluribus locis, ubi ea, quæ jam ante dicta nobis, probare nititur. Nempe in creatione, quæ ex nihilo facta, cœlos antecessisse, sed terrã priús exórnatam, et perfectã, quam cœlos.

*fol. 18.*

*Beres. R. cap. 1.*

*Gen. 18. 8.*

IV. R. Elihezer, filius Simhonis, alio modo jam allegata verba componit. Nam S. Scripturám ait, ut ostenderet nobis æqualitatem cœli ac terræ, de industria primo loco cœlum, altero terram præposuisse. Idque nonnullis exemplis adstruit. Abraham, inquit, ante Isacum, et Iahacobum, filium, et nepotem suum fuit: nihilominus videmus, ultimo eum loco recenseri, quando dicitur: *Vtique recordabor fœderis mei cum Iahacob, et etiam fœderis mei cum Ishaco, et insuper fœderis mei cum Abraham recordabor &c.* Quæ differentia manifestum facit, omnes sanctimonia, et virtute æque excelluisse. Sic etiam loco uno, ubi veneratio parentum præcipitur, patrem mater præcedit; contrà altero, pater præponitur; non alio fine, quàm ut utrumque pari honore liberi prosequantur. Idem igitur inquit sapiens iste, ex hàc varietate colligitur. Neque enim adversantur hæc, quòd illic cœlum, hìc terra primò nominatur; tantùm ostendere voluit Scriptura, pari loco et honore eos à supremo Creatore haberi.

*Beres. R. cap. 1.*

*Levit. 26. 42.*

V. Mihi ex antiquis sapientibus optimè omnium conciliasse hæc loca videtur R. Simhon ben Iohay. Qui plurimum admiratus Samaium et Hillelem, insignes adeo viros, hìc de re disputasse, cœlum et terrã simul creata credit, advocatis pro se verbis Prophetæ dicentis: *Manus quoque mea fundavit terras, et dextera mea dimensa est cœlos; voco eos, stabunt simul.* Vnde infert, simul utrũque cœpisse. Et hinc in Pirque R. Elihezer legimus, Samaium et Hillelem, qui primo hac in re diffidebant, postea divinà inspiratione confessos esse, neutrum ex se vera sensisse, et cœlum terramque eàdem horà, imò eodem momento creata esse. Hanc opinionem multi ex recentioribus secuti, et in his R. Moseh Ægyptius, R. Selomoh, R. Abraham Aben Ezra, R. Levi ben Guerson in glossis suis, et complures alii. Sic quoque in Moreh dicitur, universum mundum individui unius instar, aut grande aliquod animal esse, ut Platoni appellatur; nec posse cœlum sine terrà, nec terram sine cœlo dari: propterea quod terra centrum est circuli cœlorum, cœlum est circulus centri terræ, et necessariò ubi unum, ibi et alterum est. Eopse quoque tractatu, is quem diximus R. Moseh, complures sententias veterum sapientum recenset: nimirum R. Simeonis ben Iohai, de quo relatum supra: præterea et alteram, in qua exemplum sumitur viri, qui eodem tempore varia semina arvis infert: quæ tamen terra diversis tẽporibus producat. Quì similitudine ostendere vult summum opificem nequa-

*Beres. R. cap. 1.*

*Iesaias. cap. 48. 13.*

*lib. 1. cap. 72.*

quam, hominis instar, ad perficiendum opus temporis spatio egere. Sic quoque absurdè quis dixerit, Deum creasse mundum spatio sex dierum. Nam verba S. Scripturæ aliter accipienda, scilicet בראשית *cum principio* (quâ voce tempus denotatur, quod etiam creatum est) *creavit Deus cœlum et terram*, i. e. uno momento. Et quoniam tota creatio sex diversos gradus complectitur; scilicet I. lucem et tenebras. II. generationem pluviæ. III. mineralia. IV. plantas. V. animalia. VI. hominem: scire oportet, huc respici, quando dicitur, creata omnia esse sex diebus. Huic sententiæ R. Mosis cæteri adhæserunt, ut David de Leon in opere suo Theila le-David, R. Elihezer Germanus, aliique; nisi quòd nonnullas distinctiones addunt, quæ nihil ad nostrum propositum faciant: et sufficit dixisse, hoc modo conciliari utrumq; hunc locum. Etenim quia dictio quæque ex syllabis suis, syllaba ex literis componitur, nec audiri vel pronuntiari, multò minùs scribi, eodem tempore et loco duæ voces diversi soni possint: prudenter S. Scriptura fecit alio loco cœlum, alio terram præponendo, quo ostenderet simul utrumque et quidem eodem momento creatũ esse, quod apertè firmant verba Prophetæ *stabunt simul*. *Lib. 2. cap. 15.*

VI. Possumus etiam dicere, hac varietate repræsentari nobis, quod circulus omnium rerum in Numine et incipit, et desinit. Nam cum principium et finis circuli sit summus creator, media eius ab illo ad infima quæque descendunt. Primò enim succedit natura angelica, ab hac gradatim venitur ad cœlestem, inde ad cœli Empiræi et Lunæ naturam, hinc ad nostrum inferiorem globum, qui prima est materia: et hic dimidius circulus finitur, tanquam remotissimus à perfectione Creatoris. Postea ab hoc ipso incipit alter dimidius circulus, et ascenditur ad elementa, ab his ad mixta, inde ad plantas, hinc ad animalia rationis expertia, dehinc ad hominem, et ascendendo ab intelligibili minore ad maius, consistitur in actu intellectuali supremi ac divini intelligibilis, quod ultimum est è connexis, non tantùm cum angelica natura, verùm et hac intermedia, cum supremo illo Numine. Atque hic perfectus circulus est per gradus omnium quæ existunt: quem significat S. Scriptura incipere à cœlo, aut creaturis cœlestibus, et his superioribus, à majore ad minus. Altero loco autem à minore ad majus; scilicet à terrâ, seu materiâ primâ. Itaque duobus his versibus consummatur circulus, qui incipit à Deo Benedicto, et in eo desinit, uti jam dictum est. Dicuntur et alia in Sepher Abair; Maharechet aelahut, et Sahare sedek, super hoc argumento: sed illa sublimiora ac subtiliora sunt, et Cabalistico sensu; quæ docti suis locis notare poterunt: nobis ad conciliandum utrunq; S. Scripturæ locum hæc sufficere videntur. *Par. Beres. Maharehet semot Asavim.*

## QVÆST. II.

Gen. 1. 5. *Et appellavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem: et fuit vesper et fuit mane dies unus.*

Ibid. vers. 14. *Et dixit Deus, fint luminaria in expanso cœli.* Factum hoc quarto die.

SI Sol diem à nocte distinguit, quomodo statim dixit, cum quarto die creatum? Aut si lux primæ diei solaris erat, quid novi quarto die creatum est?

## CONCILIATIO.

Aiunt nonnulli lucem primæ diei nubeculam fuiſſe, quæ poſtquã Sol creatus erat, cum eo ita coaluerit, ut diſcerni nequiret. Sed hoc ſi verum, ſupervacua illa nubecula fuit, quod concedendum non eſt in operibus Dei. Idcirco R. Moſeh in Directore ſuo, et R. Selomoh, atque Aben Ezra in gloſſis ſuper Pentateuchum, ſtatuunt lucem primæ diei eandem ac Solis fuiſſe, quæ in ſphærà ſuà circumacta ab Occidente in Orientem, et ab Oriente in Occidentem, fecit diem XXIV. horarum. Quod autem legimus Solem quarto die creatũ, id R. Moſeh factũ ait quia tunc demũ vim ſuam exſeruit in plantas, quæ tertio die prodierant. Nam plantas pluvia, illam vapores atque exhalationes terræ producunt, hi à calore Solis attrahuntur. Itaque exiſtimat ille, nihil quarto die novi creatum, ſed tantum Solem plantis vim ſuam infudiſſe. Firmat R. Moſeh ſententiam ſuam hoc dicto veterum noſtrorum ſapientum: *Sint luminaria; hæc hæc ſunt luminaria primæ diei, niſi quod quartà die ſuſpenſa fuerunt.* Vnde colligitur, exiſtimaſſe illos, eandem lucem fuiſſe: cum veró dicunt quarto die ſuſpenſa eſſe luminaria, ut recte notatum R. Levi ben Guerſon, nequaquam volunt in aëre luminaria ſuſpenſa eſſe; quippe et Sol, et Luna, et plures ſtellæ cœlo affixæ erant; ſed tunc communicaſſe ea cum plantis efficaciam ſuam, ut dictum eſt. Idem manifeſtè conſtat ex Gemara Hagigæ cap. II. Sicut et Propheta, ubi agit de futuro ſæculo, dicit lucẽ Solis ſeptuplo fore majorẽ luce ſeptem dierum: ſcilicet creationis. Vnde colligitur ſeptenis diebus eandẽ lucem fuiſſe. Et hinc planum fit, cum in S. literis dicitur ויעש אלהים, transferendum eſſe, *et fecerat Deus* luminaria, ויתן אותם *et dederat illa*, vel *poſuerat*, in expanſo cœli. Nam id phraſis Hebræa permittit. Sane ſic quoque ſecundo cap. Geneſeos dicitur ויטע אלהים quod vertendum eſt, *et plantaverat Dominus Deus* hortum in paradiſo, non autem *plantavit*: quia poſt ſextum diem nihil novi creatum eſt. Ita ut hoc modo uterq; locus recte conciliari poſſit, et lux eadem intelligatur utroque loco, ut jam oſtendimus. Sequitur quoq; hanc ſententiam in expoſitione ſua Nicolaus Lira.

*Moreh lib. 2. cap. 30.*

*Ieſai. 30. 26.*

II. Etiam R. Bahye exiſtimat lucem Solarem primo die creatam, ſed radios eius tunc nondum ad terram pertigiſſe, quam facultatem quarto demum die ei datam. Quod probatum it his S. Scripturæ verbis: *Et poſuit ea Deus in firmamento cœli, ad illuminandam terram.* Vnde infert, Scripturam, cum ait Deum tunc luminaria in cœlo poſuiſſe, nihil aliud velle, quam datam iis facultatem illuminandi terram. Nec multum abſcedens Dionys. Areopag. cap. IV. de divinis nominibus, dicit, primam lucem ipſius Solis fuiſſe, niſi quod primo die informis communem tantum virtutem illuminandi habebat: poſtea tamen peculiarem ac determinatam vim ei additã ad particulares effectus, ut videmus aliam Solis, aliam Lunæ radios vim habere. Et ſecundum ea manebat lux tribus rebus à tenebris diſtincta. Primò quantum ad cauſam: quia ſubſtantia Solis cauſſa lucis erat; obſcuritas terræ, cauſſa tenebrarum. Secundó, quantum ad locum; nam in noſtro hemiſphærio lux, in altero tenebræ erant. Tertiò, ratione temporis, quoniam in eodem hemiſpherio viciſſim lux aut tenebræ erant. Quare etiam hanc ſententiam ſi amplectamur, nulla difficultas ſupereſt, quan-

do quartâ die solum plus virium Soli inditum, ad particulares effectus.

III. Rabbi Elihezer Germanus, secutus opinionem R. Moseh in Directore, et Gerundensis ad hunc locum, ( qui statuebant obscuritatem de quâ secundo versu Geneseos agitur, elementum ignis esse ) dicit Deum huic igni imperasse ut demitteret se ad elementum aëris, et postquam ab eo accensus fuerit, lucem exstitisse, adeo ut iuxta illum lux primæ diei aër fuerit ab igne accensus. Hæc lux, inquit, illustravit hæmisphęrium, seu medium cœli circulum: ait quoque, alteram partem circuli obscuram fuisse. Et quia ista lux, primi mobilis motum secuta, ab Occidente in Orientem decurrebat, nox erat: postea ubi ab Oriente ad Occidentem, unde venerat, regressa fuerat, dies. Præterea quoniam lux ea languida, et minus clara erat, necessarium fuit creare Solem quartâ die, qui clarior priore luce terram illustravit. Hanc autem opinionem adstruit eo, quod versu supra citato, dicitur, *ad illustrandam terram*: quibus verbis significatur, caussam novæ creationi illustrationem terræ dedisse, quâ facultate prior lux destituebatur. *Morch. lib. 2. cap. 30.*

IV. Isaac Abravanel ab eo diversus, sensit Deum in principio produxisse luminare, quod se per aërem extenderet. Neque id ex aliquo lucido corpore, sed miraculosè esse primi tridui caussa creatum; quod abditum noctem, revelatum diem constitueret, et mensura temporis foret. At quarto die actu extitisse Solem, Lunam, et stellas reliquas. Quoniam autem prima ista lux tantum dicto illo triduo, nec ultra duravit, putat S. Scripturam in hac creatione non dicere ויהי כן *et fuit sic*, quibus verbis utitur in reliqua creationis historia. Et sic etiam in glossa sua supra Exodi cap. XL. ait, lucem hanc illam esse, in qua Dominus aliquoties apparuit Israeli, in columna nubis; quæque vocatur כבוד יי *gloria Domini*. Fortassis etiam hoc voluere antiqui, cum dixerunt Deum iustis seposuisse primam lucem. *Beres. R. cap. 3. & 12.*

V. R Ioda bar Simon in Rabot intelligit lucem hanc metaphoricam esse, et creationem angelorum denotare. Ait enim: *Et vidit Deos lucem bonam esse, ac divisit Deus &c. hoc est, creavit lucem, et animadvertens mundum illius capacem haud esse, seorsim eam locavit.* Quibus verbis ostendere vult, secundum expositionem doctissimi R. Iosseph Albi, in opere suo quod Icarim inscripsit, intellectum humanum nequaquam comprehendere posse mundum angelicum, et hunc nô alio fine creatum, quàm ut perfectius cognosceret ac laudaret Creatorem suum. Eandem sententiam sequitur R. Levi ben Gerson ad hunc locum, et in opere Milhamot a-sem; In principio, inquit, creationis cœli & terræ, dixit Dominus, *fit lux*; hoc est, exsistat mundus angelicus. Asseritque illo creato, elementalem mundum illius comparatione nihil nisi tenebras fuisse, et sic Deum divisisse lucem ac tenebras; nimirum mundum angelicum, qui luci confertur, à corruptibili, qui meræ tenebræ, et obscuritas: eaque de caussâ angelicum vocari lucem, ob claritatem ac puritatem suam: inferiorem veró appellari noctem, quia destituitur illustri illa luce. Quod si hanc sententiam admittamus, primi tridui Sol mensura fuerit; nam iuxta opinionem R. Moseh statuit omnia eodem momento creata esse. Quin et potuerint tres illi dies mensurari divinâ æstimatione, ut Sol non exstiterit. *Beres. R. cap. 3.* *lib. 2. cap. 29.* *lib. 6. part. 2. cap. 8.*

VI. Alii existimant Dominum primo die creasse Solem, et Lunam, ac stellas, sed non illas tunc iunctas sphæris fuisse; verum per aëra in gyrum processisse,

et

et hanc fuisse mensuram primorum trium dierum; at quarto fixas esse in sua quamque sphæra. Et hanc volunt fuisse opinionem sapientum nostrorum, cum dicerent luminaria suspensa fuisse quarto die. Vt ut est, singulæ illarum, quas retuli, sententiarum, conciliare hosce duos S. Scripturæ locos possunt, et cuique eligere licet eam, quam maximè verisimilem judicabit.

## QVÆSTIO. III.

Gen. 1. 12. *Et protulit terra germen, herbam seminificantem semen &c.*

Ibid. 2. 5. *Et omnem stirpem agri, antequam esset in terra, et omnem herbam agri antequã oriretur &c. et formavit D. Deus hominem.*

HÆc pugnare palam videntur. Etenim si tertio die plantæ creatæ sunt, sexto autem homo; quomodo dicit altero loco S. Scriptura, hominem à Deo creatum antequam florescerent, aut orirentur è terrâ plantæ.

## CONCILIATIO.

*cap. 3.* IN Gemara Holin R. Amè hanc quæstionem proponit, et huiusmodi fere verbis conciliat. Tertio, inquit, die creverunt plantæ, donec superficiem terræ æquarēt; at sexto, Adamus à Deo pluvias petivit, quibus delapsis terra irrigata, et variæ plantæ enatæ sunt. Arbitror dicere eum velle, tertio die à Deo potentiam terræ infusam producendi plantas; verum sexto demum ad actum venisse. R. Selomoh hanc sententiam his verbis S. Scripturæ confirmatum it: *Et omnis stirps agri nondum erat in terrâ, et omnis herba campi priusquam oriretur; quia Dominus pluviam non effundebat in terram, nec homo erat, qui eam coleret.* Vult, caussam, cur plantæ nullæ conspicerentur, eam fuisse, quia pluviis nullis fœcunda humus reddebatur, et homo creatus non erat, qui eam exerceret. At ubi creatus est Adamus, et requiri plantas vidit, preci bus susceptis poposcit à Deo ut pluviam demitteret, atque obtinuit. Quod autem subiungit S. Scriptura: *Et vapor adscendebat de terra, et irrigabat universam superficiem terræ:* tangit creationem hominis, uti etiam observatum Isaco Aramæ. Etenim hic memoratur, quomodo homo ex quatuor elemētis creatus sit. Nam vapor nihil aliud est, quam humidus aër attractus calore Solis: illo igitur in sublime evecto, permista sunt, aqua, aër, et ignis. Postea descendente aquâ, et terram irrigante, quatuor elementa coaluerunt in massam argillæ, ex qua corpus Adami formatum fuit, unde continuo sequitur: *Et formavit Dominus Deus hominem è pulvere terræ.* Solius autem terræ hic mentio fit, quia hoc elementum prædominatur. Atque hæc caussa est, cur in creatione plantarum mētio hominis fiat. R. Levi ben Gerson quoque existimat plantas tertio die haud visas esse; agi tamen hic de creatione hominis, ut significetur, quemadmodum plantæ non simulac creatæ, sed paullatim perfectionem suam adeptæ sunt; sic neque hominem è vestigio adsequi finem propter quem creatus est, supremam felicitatem, sed interjectu bonorum operum et temporis. Quam sententiam certè

*Aquedat Ishac. saar 5.*

certè firmare mihi videntur hæc verba S. Scripturæ: *Hæ sunt generationes cœli & terræ, quando creata sunt: in die quo creavit D. Deus terram & cœlum. Et omne virgultum campi antequam esset in terrâ, et omnis herba agri priusquam effloresceret.* Itaq; priusquam actu existerent, potentiâ terræ inerant.

II. Ishac Abravanel ad hunc locum, uti et Moses Ægyptius in Directore, et Gerūdensis in glossis suis, plātas tertio die perfectas creatas dictitant: sed nō crevisse, neque species ullas produxisse ante sextum diem: ab eo demum tempore generationem naturalem cœpisse vires suas exserere in rebus omnibus, ita ut sui similia producerent. Quod his verbis voluisse S. Scripturam, putat Abravanel: *Et omnis stirps agri nondum erat in terra, et omnis herba agri nondum exorta fuerat &c.* h. e. naturali generatione, quia deerant pluviæ, et homo, qui terram coleret. Igitur statuo, ex priore opinione, quæ vero similior videtur, facilè conciliari utrumq; Scripturæ locum. Etenim tertio die plantæ, quantum ad caussam et originem suam, in terra creatæ sunt; at sexto demum post creationem hominis, gignere cœperunt. Potest etiam secunda opinio admitti; ut tertio dicamus perfectas eas ortas esse, sed mansisse eodem in statu ad sextum usque diem; et tunc naturalem generationem cœpisse: quippe & eo modo hominem antecesserint.

*Moreh. lib. 2. cap. 30.*

---

## QVÆSTIO. IV.

Gen. 1. 16. *Et fecit Deus duo luminaria magna.* | Ibid. *Et luminare parvum ad dominium noctis.*

VIdetur hic contradictio eodem versu. Cum enim priùs Solem et Lunam vocasset magna luminaria, mox Lunam parvum vocat luminare.

## CONCILIATIO.

R. Simon ben Pazi, conciliet hæc, refert in Gemara Holin, Lunam disputasse cum Deo, quæsiisseq; ex eo, quo pacto fieri posset, ut eadem coronâ duo Reges uterentur: Dominum verò respondisse, abi, et diminue te ipsam. Tametsi autem colloquium Lunæ cum Creatore suo prolixiùs ibi legatur, sufficiunt hæc pauca quæ diximus ad propositum nostrum. Nititur verò ista sententia opinione R. Ieosuæ ben Levi, putantis omnia in principio perfecta creata esse, ut traditur in Gemara Ros a-sanà. Quomodo adsurdū fuerit dicere, Lunam creatam fuisse cum Sole conjunctam, quando minima est: sed potius Soli opposita, quando plena est, fuerit creata. Constat hoc, ut mihi videtur, ex S. Scriptura, quæ ait creatum Solem fuisse ut interdiu, Lunam ut noctu luceret. Itaq; quis dubitabit, eodem momento, quo Sol orsus est illustrare dimidiam orbis portionem, alteram partem dimidiam, quæ Solis lumine frui nequibat, sed terræ umbra involveretur, à Luna illustratā fuisse? Etenim quia creata simul ambo hæc luminaria, insimul quoque officio suo fungi cœperint; quod Luna, si in conjunctione Solis creata fuisset, non nisi post diem quin-

*cap. 3.*

*cap. 1.*

quintum decimum facere poterat. Ita ut, si sequamur opinionem R. Elihezeris, qui mundum creatum putat in תשרי, hoc est, mense Septembri, fuerit tũ æquinoctium auctumnale, eoq; Sol in signo Libræ fuerit; Luna in signo Arietis. His admissis, nullo negotio intelligitur colloquium Lunæ; etenim Luna plenam se lucis, et illustrem Solis instar videns, quærit, quomodo Reges duo eâdem corona utantur? nimirum videtur ei superflua esse lux altera, quando una idem virium haberet, quod ambæ. Ad quæ, inquit, verba respondit Dominus, planè illam falli; ut quæ, simulatque motum suum cœperit, imminuatur, eo quod lucem suam à Sole recipiat; inq; orbe infimo constituta, quanto magis propinquet Soli, tanto minus ab eo accipiat lucis. Proinde suam cuiq; coronã esse; alteram in usum diei, alteram noctis. Ex apologo hoc, fictove colloquio, cõciliatio istiusmodi petitur. & Luna primò magna appellatur, quia plena creata est, et opposita Soli; paullo post parva dicitur, quia lucem à Sole accipiens, cum motu simul decrescit. Ait quoq; Rabenu Bahye, quatuor esse quæ his verbis Scriptura doceat. Primò, stellas esse fixas, et cœlum moveri; contra opini-
vers. 17 onem eorum qui diversum sentiunt; atq; hoc indicari verbis hisce: *Et posuit eas Deus in firmamento cœli*: unde colligere sit, primo cœlos exstitisse, et mobiles fuisse, postea infixas ei stellas. Secundò, stellas occupare universam cœli altitudinem, idq; significari his verbis, *in firmamento cœli*. Tertio, cœli corpus pellucidum adeo esse, ut nihil impediat, quo minus Sol, et stellæ diffundant radios suos, et inferiora illustrent: illud innui istis S. Scripturæ verbis: *ad illustrandam terram*. Postremò, Lunam à Sole accipere lumen suum; et quia nunc plena, nunc minor fit, dici יהי מארת *sint luminaria*; quæ dictio מארת *mearat*, (luminaria) vitiosa est, et secundum Grammaticam in plurali numero deberet habere additam literam ו, ac dicendum esset מאורות *meorot*, non *mearat*, nisi hac re designaretur id quod supra diximus. Sive, ut bene hoc expendit R. Yoel ben Sueb, in docto opere suo Olat Sabat, etiamsi duo sint luminaria, tamen unum tantum esse, si consideremus Lunam Soli suum lumen debere.

II. Doctus Abraham Aben Ezra, quem sequitur Ishac Abravanel, ad hunc lo-
cap. 8. cum, et R. Elihezer Germanus in opere suo Maase a-Sem, dicit Lunam magnam vocari, respectu lucis, quæ maxima videtur, quia in orbe est nobis proximo: sed eandem ratione molis suæ parvam appellari; quoniam solis Mercurio, & Venere, exceptis, cæteræ stellæ majores sint. Nec propterea quod utrumq; luminare magnum vocatur, eo consequitur Lunam Soli æqualem esse.
1. Sem. Etenim sic quoque de filiis Yssai Scriptura dicit: *et incesserunt tres magni filii*
cap. 17. *Yssai*, non quasi tres illi ætate fuerint æquales; sed quia respectu minorum
13. quisque eorum poterat magnus vocari. Similiter igitur Luna magna appellatur, quia lux ejus major est, quàm multorum aliorum syderum, quamvis Soli impar sit.

III. Nec multum ab his abscedit R. Levi ben Gerson, cum ait, magnam nuncupari Lunam, quia talis videatur, parvam, quod revera exigua sit corpore, et radii ejus minus virium habeant.

IV. Possumus etiam dicere, quamvis Luna magna vocetur, quia luce ingens est, tamen minutam vocari, quia officium ejus sit noctu lucere, quomodo Princeps, qui imperium in unam tantum urbem habet, exiguus fuerit cum eo collatus, qui magno dominetur regno, tametsi par utriq; in suos potestas sit.

V. Quia

V. Quin nec ille peccaverit, qui putet ingens utrumq; luminare vocitari quantum ad excellentiam, quia vitam dant mundo inferiori, plantis, animalibus, hominibus. Nam Sol naturalem dat calorem, Luna humidum radicale: quo vivunt, et aluntur. Postea autem Lunam vocari parvam, quia constet lumine Solari, et opacis ac tenebrosis terræ partibus: uti etiã ex obscuris maculis plenilunii tẽpore videmus. Et hæc ad conciliandà Scripturæ verba sufficiunt.

---

## QVÆSTIO. V.

Genes. I. 20. *Postea dixit Deus, modo reptilium progignunto aquæ reptilia animantia, et volucris volato supra terram.*

Ibid. 2. 19. *Quum Dominus Deus formavisset è terra omnes bestias agri, omnesque volucres cœli.*

IN Gemara Holin inter alias controversias, à Principe quodam Raban Gãlieli motas, etiam hanc fuisse traditur. Et sanè si aves ex aquis productæ sunt, ut constat ex priore loco, quare altero versu de terra dicitur?

## CONCILIATIO.

DOctissimè respondit iam dictus Raban Gamliel, probe hæc loca conspirare, si statuamus aves creatas ex spumà maris, quæ mixta est ex duobus elementis, terrà et aquà; unde, ut rectè notavit R. Mosseh Alcheh, creari potuerunt. Etenim si solà ex aquà productæ aves fuissent, quomodo extra eam viventes non moriebãtur, piscium instar? aut si tantùm ex terrà, elemento tam gravi, et ponderoso, unde iis facultas volandi? Sed quando creatæ erant ex mixta substantia; terrà scilicet per aquam attenuatà, et hoc et illud fieri poterat. Hanc conciliationem amplectuntur R. Selomoh, doctus Aben Ezra, et Rabenu Bahye in glossis suis: adeoq; omnes uno consensu volunt utriusque elementi volucres participes fuisse. *Holin. cap. 2. Thorat Moseh ad hunc locum.*

II. Sed eodem, quem citavimus, loco, jam dictus auctor discipulis suis alteram quoq; solutionem dedit, et argutiorem ac subtiliorem meo quidem judicio. Erat ea, aves re verà ex terrà creatas esse, ut posteriore versu dicitur, idq; etiam ex priore colligi, quia dicat Scriptura, *reptilium modo progignunto aquæ reptilia animalia, et volucris volato supra terram.* Ergo ex terra creatæ fuerint, quia textus non ait, *et avem quæ volet*, sed ועוף יעופף *et avis volet supra terrã*, Id est: jussit aquas producere pisces in aquis victuros, et ut aves procrearentur in terrà, ex eadem terrà. Idem sentit R. Levi ben Gerson ad hunc locum. Iuxta quam opinionem uterq; versus dicat, aves è terra productas.

III. R. Mosseh Gerundensis secutus opinionem R. Elihezer Agadol in divinis suis Peraquim, id est, *tractatibus*, defendit, ex aqua provenisse volucres, ut sonat prior versus, si verbum verbo reddas. Quod autem postea dicitur: *Et formavit Dominus Deus è terra omnia animalia campi, et aves cœli*: hoc modo interpretandum ait. Et formavit Dominus Deus è terra omnia animalia campi, et præterea formavit omnes aves cœli. Neq; opus id referri ad formationem è terrà *Pirque R. Eliezer cap. 9.*

terrã: sed tantùm ad nudam Dei creationem. Quæ expositio præterquã quod simplicior est, etiam firmatur pluribus S. Scripturæ locis, ubi similis phrasis occurrit.

*cap. 3.* IV. R. Perfetus Durantes, autor Ephod, egregie notavit ארמה *terram* accipi pro massa quatuor elementorum, uti quoque R. Mosseh per ארץ, *terram*, primo Geneseos versu intelligi elementa. Ita ut quando Moses scribit Dominum de terra aves creavisse perinde sit ac si dixisset, ex quatuor elementis. Sic etiã cũ in avibus prædominetur elementum aquæ, nulla contradictio est, quando ex omnibus quatuor eas cõstare dicimus, quæ natura est omniũ perfecte mixtorũ.

V. R. Hisquiah, autor Hisquuni, simpliciter hanc controversiam tollit, dictitans utrũq; versum verum esse, quia aquæ genuerint aves, ut anseres, cygnos, atq; id genus alias, quæ in aquis vivunt; terram verò alias quoque produxisse, cujusmodi sint, pavones, gallinæ cæterǫq; omnes, quæ in terra vivunt.

*cap. 17.* VI. In Beresit Raba, R. Iohanan vocem ויצר *vayser*, exponit, *et subjecit*, quo *Deut.* significatu legitur כי תצור *quando subiicies civitatem &c.* quem si sequaris, nulla **20. 19.** hic contradictio est. Etenim non dicitur, Deum formavisse è terra bestias aut aves, sed terræ animalia agri, et cœlo omnem volucrem subjecisse, easque ad Adamum adductas sub eius imperio posuisse. Hanc conciliationem sequitur Ishac Abravanel, nisi quod ויצר explicat *et conjunxit*, i. e. congregavit Deus coram Adamo animalia, ut videret, quæ nomina iis impositurus esset.

VII. Mea verò sententia est, avium corpora dupliciter considerari: primum in se, quomodo si spectentur, certum est, prædominari in iis terram; quia cum volucres ex quatuor mistæ sint elementis, necessũ est eas maxime abundare elemento minime activo. Deinde eas attendimus, quatenus natæ sunt, ut talem motum habeant. Et sic spectatæ, naturam habent eius corporis in quo moventur, scilicet aëris. Quare verba illa, *modo reptilium progignunto aquæ reptilia animantia, et avis volet super terram, super facies expansi cœlorum*: quæ expansio est aërea regio; referenda sunt ad aërem, propter similem earũ naturam. At altero versu, quo terræ mentio fit, considerantur in se, quia prædominatur in illis hoc elementum.

---

## QVÆSTIO. VI.

| | |
|---|---|
| Gen. 1. 26. *Et dixit Deus, faciamus hominem.* | Deut. 32. 29. *Videte nunc me me ipsum (esse) et nullum Deum mecum.* Item Iesa. 43. 10. et 45. 18. |

CVm Deus sit simplicissima unitas, quomodo dicit, *faciamus*, qua voce denotat multitudinem in divina sua essentia?

### CONCILIATIO.

*cap. 8.* R. Semuel bar Nahman, verbis R. Ionatan in Beresit Raba ait, Mosem cum in scribenda lege ad hunc locum *faciamus hominem* pervenisset, dixisse, Domine mundi, quare occasionẽ hominibus præbes errandi in simpli-

simplicissima tua unitate? Ei q; respondit e Dominum, tu modò Moseh scribe, et qui errare cupiet, erret. Sane verisimiliter vaticinabatur Moyses versum hunc daturum erroris occasionem hominibus nonnullis, cum multiplicem facturi essent caussam primam, quæ unica & perfectissima est: quam opinionem nonnulli habuere, quibus videbatur, ex uno agente non posse (ut Avicenna ait) duos contrarios effectus procedere, quales quia bonum et malum sunt, crediderunt duas esse caussas aut principia, ex quorum uno bonum proveniret, ex altero malum, ut notavit R. Levi ben Gerson ad X. cap. Exodi, R. Iosseph Al- † *Icarim*
bus †, R. Abraham Salom ‡, et alii complures. Ideoque fingit Mosem, timen- *li. 2. cap.*
tem ne hic versus errorem eorum firmaret, retinuisse ad tẽpus manum à scrip- 13.
tione: sed postea reputasse, nihil esse cur metueret, quod soli qui errare vellent, ‡ *Neve*
hinc colorem suo errori quæsituri essent, ut rectè sensit R. Yoel ben Sueb in *Salom l.*
opere suo Olat Sabat * et R. Semuel Yapheh, in Yephe Toar † supra idem di- *3. cap. 1.*
ctum. Nec ratio ejus rei obscura est: nam sequens versus demonstrat, unum * *Par.*
modò et solum creatorem esse, cùm dicitur, *Et creavit D. Deus Adam*, ubi in *Beressit.*
singulari dicitur, *et creavit*, non in plurium numero, *et crearunt*. Super caussà † *pag. 57*
autem verborum *et faciamus*, variè dissenserunt sapientes nostri. R. Ieosuah sub nomine R. Levi in Beresit Raba ait, *Faciamus hominem: quicum Deus con- cap. 8.*
*sultavit? cum fabrica cœli et terræ.* Sanè bene respondit. Etenim quomodo Rex, tametsi supremam potestatem et imperium habeat, sæpe subditorum se consiliis subjicit, ostendens hâc re caritatem suam in ministros et clientes suos: ita et Rex Regum ad creationem nobilissimæ hujus creaturæ, convocavit ad consilium omnes mundos, quos creaverat. Eandem sententiam amplexus R. Selomoh dicit porrò, Deum his verbis humilitatem nobis commendare, tanquã principem omnium virtutum, eoq; sæpius sic loqui, quasi accipiat consilium ab inferioribus. Etiam R. Semuel bar Nahman ait, Deum consultavisse cum opere cuiusq; diei: quo innuere vult, omnes quodam modo creaturas concurrisse in creatione hominis. Divini theologi Cabalistæ in sacro opere Zoar, subtiliùs ver- *Par. Be-*
ba S. Scripturæ accipientes, dicunt, Ecce, in cunctis reliquis operibus et crea- *res.*
turis S. Scriptura in singulari loquitur, ut, *sit lux; producat terra &c.* sed quando de homine agit, ait, *faciamus* in plurium numero, significans (quæ etiam Platonis sententia erat) Deum loqui cum secundis caussis, quibus dicat, Ecce, *in Ti-*
superest ut animal creem, quod nomine cum immortalibus conveniat. Verũ *mæo.*
id si immediate à me procederet, totum divinum esset: proinde vos corpus date, ego, quæ restat, animam dabo. Huic sententiæ quoque favet R. Moseh Al- † *Torat*
chech † ad hunc locum, et in libro suo Sosanat à-Amaquim *, atq; ita ait, De- *Moseh*
um locutum cum quatuor mundis, quos ponunt Cabalistæ: idque quia homo *ad literã*
constans corpore, et triplici animâ, congruit mundo fabricæ, formationis, crea- * *pag. 56*
tionis, et emanationis: ideoq; dixit in plurali, *faciamus*, quia unusquisq; suam contulit portionem: et quemadmodum R. Ishac Arama, in gloss. ad Penta- *Aquedat*
teuchum ait, quia coaluerunt mundi tam contrarii, necessarium erat, medium *Ishac.*
aliquod existere, quod particeps omnium, eos inter se colligaret. Adeò ut om- *saar 3.*
nes isti autores existiment, Deum, qui unicus et solus est, hic secundas caussas in plurali numero allocutum esse.

II. Doctus ille Aben Ezra D. Benedictum cum solis intelligentiis locutũ arbitratur, in hanc quasi sententiã, Hactenus imperavi aquis et terræ, ut animalia

producerent; ſed nunc creaturam hanc cæteris perfectiorem, ſimul ego et vos faciemus: ut ſic homo æquali loco cum intelligentiis ponatur. Quoniam et illæ qualem qualem affinitatem cum materia habent, quatenus deſpicientes occupantur movendis orbibus, et nihilominus ſpirituales ſunt, quod ſuſpiciẽtes propter finem magis ſublimem, Deum nempe, orbes moveãt, ut Ariſtoteles docet.

*Bereſ.R. cap. 8.* Sic etiam, iuxta R. Semuel bar Nahman, homo fuit creatus ו פרצופין *duabus figuris*, quæ cum animam et corpus ſignificent, contrariæ ſunt: quia corpore deorſum ſpectat, at anima ſurſum ſe erigit: quam ſententiam ſequitur R. Levy ben Gerſon, et Ishac Abravanel in gloſſis ſuis ad hunc locum. R. Iehuda Levita † dicit quoque Deum angelos allocutum, quos Prophetæ intelligebant in figura humana: et quemadmodum nobiles ac præcellentes hæ creaturæ, propiores ſunt primæ cauſæ; ſic homo terreſtris, qui illis ſimilis eſt, ratione quadam factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Idem ſenſiſſe Abrahamum B. David diſcimus ex autore Igarot.

*† Cuzari li. 4. Artic. 4.*

III. R. Moſeh Gerundenſis, verbis R. Ioſeph Quimhy, ait, Deum locutum cum terrà atq; elementis; adducitq; pro ſe quod eodem ſexto die terram producere animalia juſſerat Deus, cum quì nunc quoque ſermonem habens dicat, *faciamus* in plurali. Et ſic terram limũ ac pulverem dediſſe, unde corpus Adami creatum eſt, cui Deus animam inſpiraverit.

*Bereſ.R. cap. 8.* IV. R. Ieoſſuah de Sahnin ait, Deum conſultaviſſe cum animis. Videtur mihi id dicere voluiſſe, quemadmodum animæ iam primo die creatæ erant (quod plerique Hebræorum ſentiunt) noluiſſe Deum per vim et invitas illas indere latenti materiæ, ſed volentes, ideoq; dixiſſe *faciamus*: nempe in hanc mentem, formate humana corpora.

V. R. Sehadiah a-Gaon exiſtimat, uſitatum hunc in Scriptura loquendi morem eſſe, ut rex dicit, *Nos Rex*, tametſi præter eum nemo alius loquatur. Et pro hàc ſententia (ut tradit Aben Ezra ad hunc locum, et ad nomen אלהים) duo loca adducit. Eandemq; ob cauſſam dicit R. Amè, Deum cum corde ſuo conſultaviſſe, ut ſignificet non cũ ulla creatura, ſed ſecum tantũmodo locutum. *Ibid.*

VI. Aut dicemus, plerũque id, quod majoris momenti videtur, majori quoq; ſtudio et deliberatione nos aggredi: ideoque Scripturam in creatione hominis peculiari modo loqui in plurali, *faciamus*: quod verbum videtur imperantis ſibi ipſi, et ad ſuſcipiendum ac faciendum aliquid incitantis: eaq; re oſtendere Dominus vult, omnes reliquas creaturas ſuo beneficio creatas. Sed ſive cum omnibus ſecundis cauſſis loquatur Deus, ſive cum intelligentiis tantum, ſive cum elementis, ſive cum animis, ſive regio more hæc dicat, ſeu denique incitet ſemetipſum, ſibique imperet, conciliatione eiuſmodi tota tollitur controverſia. Etenim non quia *faciamus* dicitur, inde ſequitur multiplicatio aliqua primæ cauſſæ, quæ ſimpliciſſima eſt & unica. Moſes verò cauſſam cur ita ſcriberet, iuſtam habuit, quia clariſſimè paſſim docet unicum Numen eſſe; eòque ſolus is, qui ſciens volens errat, his verbis errorem ſuum defenſurus eſt. Quanquam ad evitandum hunc LXXII. interpretes tranſtulerint, *faciam hominem* in ſingulari &c. R. Ioſeph Albus in Icarim† quoq; eandẽ materiam tractat: et in Ticunim‡ mirabilia adferuntur, quæ omitto, quia non omnes ſublimis adeo myſterii ſint capaces.

*Meguila cap. 1. † lib. 2. cap. 29. ‡ Par. Bereſit.*

QVÆS-

## QVÆST. VII.

Genes. 1. 26 *Et dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram.* | Iesa. 40. 24. *Cui assimilaretis me, aut æqualis essem?*

QVæ comparatio aut similitudo esse potest inter nihilum, et fontem omnis existentiæ, ac sapientiæ? Si nulla est, quemadmodum constat ex versu statim citato, quomodo Scriptura ait, hominem creatū esse ad imaginem et similitudinem Domini?

## CONCILIATIO.

MAnifestum est, quamvis supremus Creator, et divina forma, immensa sit atq; infinita, illud tamen, quod communicare voluit in creando hoc universo finitum fuisse; et quia maximam partem cepit mundus angelicus, postea cœlestis, inde corruptibilis, per gradus suos, ideo dici propiorem esse divinitati: non verò quia major inter hunc et illam proportio sit: neq; enim inter finitum et infinitum ulla esse proportio potest: ideoq; Propheta ait, *Quem assimilabis Deo? et quam imaginem comparabis illi?* quibus verbis ostendit, nullam esse comparationem inter creatorem et creatū. Neq; inde quod Scriptura dicit, *faciamus hominem ad imaginem nostram;* contrarium sequitur. Nam imaginem infiniti necessum est finitam esse, alioqui enim non imago foret, sed ipsum hoc, cujus est imago. Pingitur divina quædam species Creatoris in formà creatà, quomodo formosa aliqua figura in speculo: nec tamen æqualis fit imago divinæ illi naturæ, quæ repræsentatur, sed ejus duntaxat simulachrum est, et similitudo. Deus igitur his verbis ostendere vult, quantum divinæ naturæ homo participet. Ita ut cum creatum esse ait ad imaginem & similitudinem suam, tantundem sit, ac si diceret, sui simulachrum. Quia vero comparatum non potest per omnia æquale esse illi cui comparatur, eò ait, כדמותנו *iuxta similitudinem nostri,* cum litera כ quam Grammatici כף הדמיון *Caph comparationis* nuncupāt.

II. Possimus quoque iisdem, quæ superiori quæstione diximus, hanc decidere controversiā: nimirū, ut Dominus mundis universis hæc verba dixerit, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: id est, contineantur uno in simulachro tres hi mundi, angelicus, cœlestis, & corruptibilis. Vnde hominem Græci *Microcosmon* vocavere, Hebræi עולם קטן *mundum parvum,* aut *compendiarium:* quoniam ut rectè traditum R. Mosch *a*, Aben Ezræ *b*, R. Bahyæ *c*, Abravaneli *d*, Ishaco Aramæ *e*, Semueli Lannado *f*, R. Iehudæ Moscato *g*, R. Meir Gabai *h*, Philoni *i*, et Leoni Hebræo *k*, in jecore, corde, ac cerebro, in quas tres partes homo dividitur, magna similitudo est cū dictis jam tribus mundis.

a *More. lib. 1. cap. 72.*
b *Paras. Teruma.*
c *Par. Beres.*
d *Par. Beresit.*
e *Aqued. Saar.* 12
f *Keli hēda. pa. Emor.*
g *Nefusot Ieuda sermō* 9.
h *Abodat acodes helek aihud. cap.* 18. *Tolaat Iahacob.*
i *De plātatione Noe.*
k *Dialogo* 2.

## QVÆSTIO. VIII.

Genes. 1. 27. *Marem et feminam creavit eos.* | Ibid. 2. 21. *Et sumsit unam ex costis eius.*

Si

SI in principio Deus marem et feminam concorpores creavit, eosq; Adamum vocavit; quomodo altero versu dicitur, Hevam desumtam ex unâ costarum Adami?

## CONCILIATIO.

cap. 17. INter veteres Hebræos, qui subtilius hanc rem examinarunt, duæ erant opiniones circa creationem hominis, quæ in Beresit Raba commemorãtur: quarum alteram amplexus R. Semuel Adamum costâ unâ abundâsse, indeque formatam Evam putabat. At R. Semuel Bar Nahman mulierem conjunctim cum Adamo creatam, et quasi pice agglutinatam scapulis ejus existimabat, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva esset. Priorem opinionem proba-
lib. 2. runt R. Moseh in Directore suo, Arama, Abravanel, Ben Sueb, Sem tob, Al-
cap. 30. chech, aliiq; in glossis suis: qui verba, *marem et feminam creavit eos*, ita intelligenda ajunt, ut mulier non actu, sed potentiâ creata sit cum homine: videlicet in costâ illâ, ex quâ postea Deus Evam formavit. Nec alteri opinioni sui desunt fautores, quorum in numero est R. Selomo, Aben Ezra, Rabenu Bahye, R. Eliezer Germanus, et Ishacus Karus in glossis suis. Qui uno ore ajunt, hunc Scripturæ locum magis secundum verba ipsa accipi debere: eoq; Adamum & Evam primò non bicorpores, sed concorpores fuisse, et corpus hoc vocatum Adam, quæ vox marem et feminam simul denotet, propriâque significatione
31. 35. ambos contineat: idque apertè cõstare ex loco Numer. ונפש אדם מן הנשים *Et animæ humanæ ex mulieribus*. Iuxta hanc opinionem, illa, quæ post sequuntur, *et sumsit Deus unam ex costis ejus*, vertere oportet, *unũ ex lateribus ejus*, quia vo-
Exod. cabulum צלע *Selah* etiam denotat *latus*, ut videmus sumi in fabrica Tabernacu-
26. 20. li ולצלע המשכן *et latus Tabernaculi*. Igitur cum interpretamur, *unum ex lateribus eius*, vult Scriptura discidisse et dissecasse Deum illud corpus, et alterum ab altero divisisse. Quia verò partes illæ plenæ erant sanguine, eò dicitur *substituit carnem in locum ejus*. Præterea quoniam nulla hic nova creatio, sed Eva potentia solum in Adamo erat, eò non usurpatur vox ברא *bará* vel יצר *Yassar*, quæ creationem vel formationem denotant. Quamvis autem Scriptura dicat: *Non est bonum hominem solum esse, faciam ei auxilium, quasi coram eo*: unde aliquis colligere possit, ad tempus eum sine vxore fuisse, magis tamen hæc verba juvãt opinionem alteram: quia exponere ea sic licet: Non est bonum hominem unicum esse, id est solũ corpore ex utroq; sexu coalito differre à cæteris animantibus. Vnde postea adiutorium coram eo statuit; hoc est à fronte: adeo ut corpus illud, quod antè humeris adglutinatum hærebat, deinceps in ejus conspectu esset. Aut velit fortassis S. Scriptura: Bonum non est esse Adamum, id est, masculum et feminam, solos humeris connexos, averso alterũ ab altero visu; eoq; præstat mulierẽ separari, et vbi disjũcta erit corã virũ intueri, eiq; subsidio esse. Secunda hæc opinio etiam nostro, quamvis tenui, iudicio, magis videtur probabilis. Movet quod Rex Psalmographus creationem Adami respiciens dicat,
Psalm. *Retrò et ante formastime*. Nimirum innuit bisorme illud corpus. Ipsaq; ut vide-
139. 5. tur, ratio hoc dictat. Quod ita probamus: Adamus, cum primitus crearetur, vel solũ habuit costas sibi necessarias, vel iis accesserat alia, unde Eva sumta est. Quæ si supervacua fuit, imperfectus natus est. Verùm id magnopere adverse-

tur

tur doctrinæ nostrorum sapientum, qui volunt omnia opera Beresith perfecta creata esse. Sin necessarias solùm costas habuit cum produceretur, ablatâ earum unâ sequitur mutilum, imo et claudum relictum. Nam eo pacto magis inclinasset in latus alterum. Præterea quotquot ab eo descenderunt, similes hac parte primo parenti, vitiosi nascituri erant; quod longè aliter evenire experientia docet. Adde, quod S. Scriptura non memorat, Deum Evæ animam inspirasse. Quæ quæstio deciditur, si statuamus, eam humeris Adami prius conjunctam fuisse. Quando verò Scriptura ait Dominum Adamo animam infudisse, per Adamum intelligere convenit corpus illud ex mare et femina constās, quia, ut ante demonstravimus, nomen אדם utrique competit. Nec scrupulum injicere debent ii, qui quærunt uter ex duobus antrorsum incesserit. Etenim brevi illo tempore Adami corpus, quippe robustius, naturali motu incesserit, uti dicitur in Gemara Hirubin. Ne septuaginta quidem interpretes aliud sensisse videntur, *cap. 2.* quam in uno corpore utrumque creatum; nam *marem & feminam creavit eos*, *Meguil.* verterunt, *creavit eum* in singulari. Plato in Symposio, ex Aristophane, quasi *cap. 1.* per fabulam ait, principio humani generis, extitisse et tertiam hominis speciem, non virum, aut mulierem, sed quæ Androgynos vocaretur, et ex mare ac femina simul constaret, quis brachia quatuor et totidem manus, crura et pedes quaterni, cæteraq; eundem ad modum membra geminata forent; adeo ut ferè formâ essent circulari. Vnde evenisse addit, ut Androgynos virium fiducia elatus certamen adversum Deos susciperet. Sed Iovem, ira accensum, imperasse Apollini, ut speciem hanc ex duabus connexam dispararet, et ex unâ duas faceret. Videmus clare hanc fabulam antiquiorem autorem, quam Græcos, habere. Scilicet desumta est ex historia Mosaicâ, de creatione primorum parentum Adamo & Eva, tametsi Plato more Græcorum fabulæ eam involucro texerit. Eodem tamen et S. Scriptura, & ille tetendit: uti alio tractatu, quo Platonem Mosaicum describere statui, demonstrabo, et simul utriusque narrationis significationem. Sufficit in præsens ostendisse, Platonem quoq; putasse, eâ quâ diximus formâ, hominem fuisse creatum.

II. R. Selomoh, postquam in glossis suis super Pentateuchum exposuit jam allatam opinionem, ait, satis convenienter ipsis verbis, quando dicitur, *marem et feminam creavit eos*, nequaquam illud significari, Evam potentiâ creatam fuisse in Adamo, multo minus eius humeris affixam fuisse naturali, quem dixi, modo; sed simpliciter id velle Scripturam, Deum sexto die marem et feminam creavisse: cæterū quâ ratione id fecerit, postea accuratiùs exponere. Nec profectò illa sententia difficultatis quidquam relinquit.

---

## QVÆSTIO. IX.

| | |
|---|---|
| Gen. 1. 29. *Et dixit Deus, ecce dedi vobis omnem herbam &c. et omne animal terræ, et omnem avem cæli.* | Ibid. 9. 3. *Omne reptile quod est vivens, erit vobis in escam: sicut viridem herbam, dedi vobis omnia.* |

SI simulatq; Adamum creavit Deus, permisit ei comedere omne animal vivens, ut constare videtur ex priori versu; quomodo altero dicitur, Noacho

acho, quum arcâ egrederetur, demum esse permissum iis vesci.

## CONCILIATIO.

R. Selomoh, Aben Ezra, R. Moses Gerundensis, R. Bahye, R. Nissim, Ishac Karus, Ishac Arama, Ishac Abravanel, et R. Moseh Alchech, qui ad hunc locum sequũtur opinionem R. Iohanan, et Rab in Gemara Sanhedrin †, et Rabot ‡, in eo consentiunt, Adamo nefas fuisse comedere animalia: ac propterea S. Scripturam hunc in modum interpretãtur. Postquã Dominus benedixit Adamo, eumq; supra cuncta animalia constituit, addidit continuo, quamvis imperium in ea habiturus esset, non tamen id fore domini instar, sic ut pro libitu iis vesceretur; quippe iam unicuique viventium assignasse alimenta sua. Et ideo dicere illis. *Ecce dedi vobis omnem herbam seminantem semen, quæ est in superficie omnis terræ. Et omnis arbor in qua est fructus arboris, seminans semen, vobis erit in escam.* Atque hic finem imponi iis, quæ Adamo assignantur ad victum. Sequi autem alterum versum, quo dicitur. *Et omni bestiæ terræ, et omni volucri cœli, omnibusq; reptantibus super terram, in quibus est anima vivens, omnes herbas virides in escã.* Vbi videamus animalibus pro alimẽto dari herbas, et olera. Qua in re, ut notat Ishac Abravanel, demonstravit Dominus Adamo, etiam quantum ad escam, illius conditionem animalium conditione meliorem fore; quandoquidem illi, et semina, et arbores concederentur, bestiis solæ herbæ. Favet valde huic opinioni, quod sub finem cuiq; horum versuum subjicitur vox לאכלה *leohla (in escam)* quod clarè ostendit, agi hic de duobus alimentorum generibus, de quibus iam dictum est. Et iuxta hãc sententiam, non licuit Adamo vesci animalibus: at Noacho eiusque posteris id concessum, sive quia terra, ut R. Mosseh Gerundensis ait, aquis diluvii corrupta erat, et plantarum copiâ deminutâ, necessarium fuit animalibus suppleri, quod hâc parte deerat; sive quia, ut ait R. Bahye, animalia deflexerant à viis suis, ideoque ademtum iis beneficium fuit, quo fruebantur, et Noacho permissum, iugulare ea ac comedere: seu quia deficientibus plantis ob continentes imbres, opus fuit Noachum vivere carnibus animalium eorum, quæ in arcam coẽgerat, quia expectare nequibat, donec sererentur et crescerẽt herbæ, quod sentit Ishac Abravanel: vel, ut statuit Ishac Arama, quoniam nulli materiæ forma eripitur, nisi ut meliori donetur: iam verò primæ hominum generationes pessimæ erant, ipsisque adeo bestiis similes; quare iniquum erat destrui animalia, esuq; in hominis substantiam, ut tunc erat, haud sane meliorem, cõverti. At Noacho ob pietatem suam id concessũ, ut observat R. Elihezer Germanus, et R. Mosseh Alchech: aut denique, ut putabat R. Ishac Karus, quum Noachus eiusq; liberi, quia tam pauci erant, metuerent sibi à tanta animalium multitudine, non solùm Deus liberavit eos hoc timore, verùm etiam iugulare ea, et comedere permisit. Ex quibus omnibus caussam intelligere est, cur vesci animalibus licitum Noacho, Adamo nefas fuerit: ut nulla in his quoq; versibus contradictio sit.

† cap. 7.
‡ cap. 34

QVÆS-

## QVÆSTIO. X.

Gen. 1. 31. *Et vidit Deus omnia quæ fecerat, et ecce erant bona valde.* | Levit. 11. *immundum est vobis.* Itẽ Eccles. 1. 2. *omnia vanitas.*

SI Deus, quæcunq; creavit, bona esse vidit, quomodo postea multa animalia immunda esse ait? Et qua ratione sapiens, mundum contemnens, dicit omnia vanitatem esse.

## CONCILIATIO.

SI bene consideremus, in cunctis Dei operibus (ut Rex Psalmographus ait) comperiemus elucere immensam ejus bonitatem. Ideoque Pythagoras, & Plato, primam causam summum bonum appellaverunt. Nimirum videbãt communicatã à Deo cum creaturis bonitate sua, nullam exsistere, quæ non plus boni, quam mali habeat. Eamq; ob caussam ex antiquis sapientibus, cum interpretantur illud, *et ecce erant valde bona*; R. Meir dixit, tale bonum etiam esse mortem: R. Simon bar Nahman, potentiam appetitivam mali: R. Huna, poenas: R. Zeera, infernum: Rabanan, hominem. Quibus verbis propositum iis fuit significare, utcunq; illa, quorum meminimus, videantur penitus mala, non tamen omnimodis talia censenda, quia plus habent boni, vel boni sint caussa. Ac mortem quidem affirmant bonam esse, quoniam Sapiens dicat, *Generatio vadit, et generatio venit*; et necessarium sit, ut ait R. Moseh in Directore suo †, et R. Bahye in glossis supra Pentateuchum ‡, ut propter generationem sit corruptio: sive quia per hanc liberatur homo ex corruptibili hoc mundo, quoniam, ut inquit Plato, quæcunque infra Lunarem orbem sita, nonnisi infernus sunt. Etiam somnus bonus est, quia etsi nobiles illæ animæ operationes ad tempus cessent, hoc tamen commodi inde consequamur, quod eo refecti majori vigore atque alacritate tum ad studia literarum, tum ad reliqua vitæ officia revertimur. Dicunt quoq; à potentia appetendi malum, bonum esse, eo quod Propheta mundum creatum dicat, ut populis impleretur, et sine potentia hac appetitiva non illud desiderium foret propagandi genus humanum; non sic domicilia extruerentur, aut plantarentur vineæ. Præterea quemadmodum ait Sapiens, etiam per invidiam pia et bona opera præstantur. Et afflicta à malis virtus magis crescit. Quæ ostendunt, potentiam non solum appetendi bonum, sed et malum, plus habere boni, quàm mali, bonorumque multorum esse caussam. Pœnæ, tametsi malæ videantur, bonæ sunt, ut dicit Psaltes, *Beatus ille homo est, quem Deus castigat*: et Sapiens, *Quem amat*, inquit, *Dominus castigat*. Nimirum quoniam per castigationem reducitur peccator ad caussam suam, quando patienti animo, ac forti eam tolerat; eaque edoctus peccata magis odit ac fugit. Etiam infernus bonus est, quia homo pœnam inferorum metuens, magis observat Divina præcepta. Adde, quod sic iustitia divina comprobatur, ut alia mittam bona, quæ tradunt sapientes nostri. Idem quoque, inquit non immerito alius Sapiens, de homine intelligitur, quoniam non potest adeò pravus esse, quin plus boni, quàm malitiæ habeat; quoniam malitiæ

Marginal notes: *Psalm.* 25. 10. — *Beres. R. cap.* 9. — † *Moreh lib.* 3. *cap.* 10. — ‡ *Par. Beressit.* — *Iesai* 45. 18. — *Eccles.* 4. 4. — *Psalm.* 94. 12. — *Prov.* 3. 12.

malitia ejus non nisi extrinsecus est respectu alterius hominis, at bonitas ejus intrinseca: accedit quòd alioqui homo futurus non esset. Ideoque doctus ille Aben Ezra in glossa sua supra Eccles. hunc in modum scribit. In omni re quatuor in considerationem veniunt, sitne tota bona, an majori ex parte bona, minori malà: vel tota prava, an majori ex portione prava, minori bona. Actio, quæ tota bona, est donum Dei: illam autem, quæ plus boni, ac minus mali habet, participãt creaturæ: reliquæ duæ, quarum una prorsus mala sit, altera pravi majorem habeat portionem, inter opera Dei non reperiuntur. Etenim Deus Benedictus nihil fecit, quod non vel omnino, vel majori ex parte, bonum sit. Vnde R. Mosseh Gerundensis, R. Iosseph Albus †, et R. Abraham Salom ‡, exponunt mirabiliter hunc textum, dicentes, *et ecce bonum valde*, est ac si dixisset, *bonum est multum*, vel eorum major pars est bona: malum minor pars; quia nulla est vipera adeò venenosa, unde non sumantur multa utilia: præterea nihil malum creatum fuit, quando hoc non aliud est, quàm privatio boni; quẽadmodum in secunda parte hujus operis ostendemus. Quàre verum esse cõperitur, quicquid Dominus creavit, bonum esse: quod autem in Levitico usus quorundam animalium, ut immundorum, interdicitur, spectat id legem cærimoniæ, quia nolebat Deus sanctum populum Israëlis, cui omnem sanctitatem ac puritatem commendabat, iis pro esca uti. At quãdo Sapiens dicit, omnia vanitatem esse, sciendum, eum non tractare de his, quæ creata sunt, sed de superfluis illis bonis, quæ homo consectatur. Eodem quoque modo idem postea loquitur de sumtuosis domiciliis, hortis, servis, ac mulieribus. Aut quemadmodum dicunt veteres in Midras Koelet, septies Selomoh repetit vocem הבל *vanitas*, significans opus septem dierum dissolvi & finiri debere, sub finem septem revolutionum, quinquagies millesimo anno, quæ opinio Theologorum Cabalistarum et Platonis est, ut suo loco monstrabimus.

† *Icarim li.2.cap. 20.*
‡ *Neve Salom l. 3.cap.1.*
*in principio.*

II. Etiam si expositionem Ishaci Aramæ, et Ishaci Abravanelis secuti, illud, *et ecce erant bona valde*, ad solum hominem referamus, nulla relinquetur controversia. Siquidem hic solum agitur de homine diciturq; eum, quantũ ad creationem, valde bonum h. e. perfectum esse. Nempe quia anima ejus est radius splẽdoris divini, vel quoniã, ut R. Elihezer putabat, caussa finalis est creationis.

*Mahasse a-sem. cap. 13.*

---

## QVÆSTIO. XI.

| | |
|---|---|
| Genes. 1. 31. *Et vidit Deus, quicquid fecerat, et ecce erat bonum valde.* | Ibid. 2. 18. *Nequaquam bonum est hominem solum esse.* |

MAnifestũ hæc loca scrupulũ injiciunt. Etenim cùm prius dixerit S. Scriptura, Deũ omnia, quæ creaverat, vidisse bona et perfecta esse; quomodo postea de Adamo, qui sine conjuge erat creatus, fore bonum negatur, si solus ageret?

## CONCILIATIO.

Post-

POstquam S. Scriptura, de creatione hominis locuta, generatim dixerat, marem et feminam creatos; in secundo capite ( ut plerique autores volunt ) particulatim describere aggreditur, quâ forma fuerint, et quomodo intelligendum sit fuisse marem ac feminam. Itaque ait, Deo Benedicto, cum creare hominem vellet, nequaquam bonum visum, ut homo solus esset, i. e. ut unicus is et solus, sine consorte vivendo, hac parte à cæteris differret terrestribus animalibus. Ideoque non eum secundùm naturam angelicam condidisse, quâ unumquodque individuum perpetuum est: sed voluisse, ut species per propagationem perpetua foret. Ac propterea creasse etiam mulierem humeris illius quasi agglutinatam, prout diximus cap. VIII. Iuxta quam opinionem ista verba, *non est bonum hominem solum esse*, dicta sint ante creationem; ita ut, quemadmodum ante probavimus, hic iterum referatur modus quo Eva creata est, ut rectè notat R. Bahye et R. Semuel ben Aderet in libro quæstionum et responsorum. Quod autem dicitur, vidisse Dominus omnia ea, quæ fecerat, bona esse, id intelligendū, postquam uterq; eum in modum esset creatus. *Arisba artic.60*

II. R. Elihezer Germanus ait, Scripturam de illis creaturis, quæ simulatque creatæ erant, habuerunt causam materialem, formalem, et finalem, usurpare vocem עשה *Assa (fecit)* i.e. penitus perfecit,& consummavit: uti de stellis, cœlo, atq; animalibus, quę simulac creata etiam perfecta fuerunt. Sed de homine, quatenus ab initio non habuit finem propter quem creatus est, sed temporis spatio per bona opera, et virtutes eum adipiscitur, uti voce ברא *bara(creavit)*. Iuxta hanc sententiam illa verba, *non est bonum hominem solum esse*, respiciunt eò, quod homo cum primò creatus, perfectus non erat. Illa autem, *vidit Dominus omnia quæ fecerat, et ecce erant bona valde*, referuntur ad reliquas omnes creaturas, quæ iam adeptæ erant perfectionem suam; quod denotatur verbo עשה *Assa ( fecit )*.

---

## QVÆSTIO. XII.

| | |
|---|---|
| *In Genesi nulla mentio est creationis angelorum.* | Psal. 104. 4. *Qui facit angelos suos spiritus.* |

QVamvis hic, non, uti in cæteris, loca ponamus quæ pugnare videantur, est tamen difficultas nonnulla. Etenim in Genesi tractatur de omnibus creatis, nec tamen ulla angelorum mentio fit. Quare igitur David opera creationis referens, eos inter illa nominat?

### CONCILIATIO.

INter veteres Sapientes Thalmudis duæ erant opiniones de creatione angelorum. R. Iohanan existimabat, die secundo id factum. Sed R. Hanina, nixus שוה גזרה *sententia simili* (quæ est una ex XIII. conditionibus illis, quibus R. Ismael ex traditione accepit S. Scripturam explicandam esse ) statuit die quinto angelos creatos esse, idq; quia quinto die dicitur; *Repere faciat aquæ reptile* *Ruah hē cap. 2. et 3. Yalcut artic. 5. vers. 20.*

cap.6.2. *reptile animæ viventis* ועוף יעופף *et volatile volet.* Sexto autem cap. Iesaiæ legitur de angelis, *et cum duobus volabat,* ובשתים יעופף. Per hanc itaque regulam sequatur, quando dicitur *avis quæ volet*, metaphoricè denotari angelos. Idque
28.21. etiam firmari potest Iobi verbis, qui de excellentiis Legis loquens, ait: *Et abscondit se ab oculis omnis viventis, et à volucri cœli occultata est.* Vbi per aves
Debari. cœli metaphoricè, juxta veteres sapiētes, intelliguntur angeli: nempe propter velocitatem, quà ex uno loco in alium se commovent.

Rab.par. Atē nissabim. ad hunc locum. II. R. Mosseh Gerundensis, & R. Bahye, Theologico & Cabalistico sensu volunt significari angelos nomine אלהים *Eloim*, quod in primo S. Scripturæ versu occurrit. Et hunc in modum eum locum explicant, בראשית *Beresit*, i. e. *cum* חכמה *Hohma, sapientia,* (unà ex decem lucibus divinis, quas vocant ספירות *Sephiroth,*) creavit ille, cujus essentia est incognita, & nullum nomen habet quo denotetur, tres ordinatos gradus, scilicet, אלהים שמים ארץ *Eloim, Samaim, Ares:* ubi *Eloim* mundum angelicum repræsentat, cui sæpe in sacrâ Scripturâ hoc nomen datur: *Samaim,* cœlum, seu mundum cœlestem: *Ares*, terram, aut mundum elementalem. Et sic in Genesi mentio fiat nobilis illius creaturæ. Eandem quoq; opinionem sequi videtur Targum Hierosolymitanum: nam pro בראשית *Beresit* habet בחכמא *Behuhma*, *(cum sapientiâ).*

†Moreh. lib. 3. cap.13. †Iob.15. 15. *Aqued. saar 2. III. R. Mosseh Ægyptius† diversum sensit, ac vocem שמים *Samaim* non *cœlos*, verùm *angelos* explicat. Vnde quando † Iob dicit ושמים לא זכו idem exponebat, *et angeli non fuerūt puri in oculis ejus.* Idem quoq; placuit R. Ishaco Aramæ.* Nec sanè vero id absimile est, quatenus שמים *Samaim*, est dictio composita ex duobus אש מים *Es, Maim, (ignis et aqua)* idq; quia inter angelos alii sunt ministri severitatis, quæ symbolum & simulachrum ignis, alii misericordiæ, quæ aquam repræsentat.

IV. R. Levi ben Guerson existimat lucem primo die creatam, esse mundum angelicum, merito comparatum luci, propter spiritualitatem suam. Quod si sequamur, per obscuritatem intelligatur mundus elementalis, qui nihil aliud quam meræ tenebræ. Quare hic nonnisi excellentiæ divisio fit. Idem quoque
Par. Beres. putavit R. Querospeday in libro Midras à-Neelam.

Psalm. 104.4. V. Ishac Abravanel per spiritum Dei super aquas volantem, significari angelos putabat iuxta illud Psalmographi, *Qui facit angelos suos spiritus.* Vocari autem eos spiritus Dei, quia propiores sunt eius formæ & perfectioni.

VI. Philosophi nonnulli, qui cœlum animatum esse existimant, dicunt, voce שמים *Samaim (cœlum)* includi animas ejus, eodem modo, quo hominem nominantes, intelligimus corpus et animam conjunctim.

†Par.beresit. †1 Regū 22.19. VII. R. Berahjah in Midras à-neelam † censet, eos significari hoc versu: *Et perfecti sūt cœli ac terra, & ōnes exercitus eorū.* Quo loco exercitus cœlestes sunt angeli, iuxta illud Prophetæ †: *Vidi Dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum cœli stantem juxta eum, à dexterâ ejus, et à sinistrâ ejus.* Vbi clarè videmus, angelos vocari exercitum cœli. Idem sentit sapiens R. Mosseh Gerundensis, qui et adiungit animas esse exercitum cœli. Itaque ex omnibus his quæ dicta sunt, infertur, in Genesi mentionem fieri illarum nobilium creaturarum, nec Davidem quidquam novasse, cum angelos referret inter reliqua creata. Etenim quemadmodum incorporei, eoq; invisibiles sunt, ita occultè et sub tralationis involucro eorum fit mentio: tametsi Aben Ezrah ad Genesin existimet

met in creatione non agi nisi de his, quæ visu percipiuntur, cuiusmodi sunt cœlum, terra, Sol, Luna, stellæ, plantæ, & animalia, cæteraque: non autem de illis, quæ separata à materià solà mente comprehenduntur. Etenim sensus, tanquã corporei, non capiunt res spirituales: qua in opinione etiam est R. Simhon bar Semah in libro Maguen Abot. *lib. 2. cap. 2.*

---

## QVÆSTIO. XIII.

Gen. 2. 2. *Et perfecit Deus die septimo opus suum, quod fecerat.* | Exod. 20. 11. *Quoniam sex diebus Deus fecit cœlum & terram.*

QVi perficit opus suum, aliquid agit. Ergo si Deus opus suum sex diebus absolvit, quomodo dicitur illud septimo die consummasse?

### CONCILIATIO.

A Deo difficilis hæc quæstio LXXII. interpretibus visa est, (quemadmodũ traditur in Guemara Meguila *a*, Mehilta *b*, Thalmud Hierosolymitano c, Massehet Sofrim *d*, et Rabot *e*,) ut pro verbis, *et perfecit Deus die septimo*, transtulerint *die sexto*. Idque ne offenderentur infideles, qui facilè fieri poterat, ut non acquiescerent solutioni, quam peritissimi veterum ac recentium sapientum attulerant. R. Simhon ben Iohay inquit *: *Deus Benedictus, qui horas & momenta quæque novit, ingressus est diem septimum instar pili capitis.* Dicere id vult, non sequi ex priore versu, Deũ septimo die ullum opus fecisse, sed omnia perfecta esse finiente die sexto: finis autem ille est punctum, seu momentum indivisibile, cui temporis nomen dari nequit. Adeo ut punctum seu momentum ultimum sextæ diei, principium sit septimæ. Et hac ratione dici quoque potest, opus septimà die finitum esse. Nõ quasi verè illà aliquod opus factum sit; sed quia cum ipso fine sextæ diei consummaretur, et communis, ut vocant, terminus sit, quo sextus definit dies, et septimus incipit. Atque hunc in modum conciliabat R. Selomoh: ut monent R. Eliah a-Mizrahy, R. Yohel ben Sueb †, et Ishacus Karus ‡. *a cap. 1. b cap. 14. c cap. 1. d cap. 1. e Vaiicra R. Par. semini. * Beres. Raba. cap. 11. † Olat Sabat. Par. Ber. ‡ Par. Beres.*

II. R. Gueniba ait mundum fuisse destitutum ingenti bono, scilicet quiete, quam demum adeptus sit Sabbato. Mirabiliter verò exponit verba ejus R. Mosseh Alchech. Quæ, inquit, ex materia facta sunt, durare nequeunt sine spiritu, atq; anima. Quia autem mundus instar corporis sine animà facile poterat corrumpi, Sabbatum institutum est, quo spiritus et sanctitas quædam in eum descendit, qua animatus fuit. Ideoq; dicitur in textu וינפש *vainafas*, quod derivatur à נפש *nefes (anima)*, propterea quod septimo die anima est infusa mundo. Atque hoc modo dicitur opus septimo die perfectum esse; sed quia proprie & strictè loquendo id opus dici haud potest, secundo versu dicitur, Deum sexto die quievisse.

III. Targum Hierosolymitanum pro ויכל *vayhal*, quod vertimus *& perfecit*, ponit vocem ושמי *vehamid*, (*& desideravit*,) ab altera significatione verbi כלה *Cala*, quod etiã notat desidero, ut, ותכל דוד *et desideravit David*. Eadem ratione expo-

exponens R. Levi ben Guerson dicit, quemadmodum universa creationis opera non aliud fuerunt, quàm symbolum divinæ illius Ideæ, quæ ante existebat in mēte supremi artificis, ita Deum intimè amâsse opera sua, et summâ cum providentia continenter ea conservare. Quæ sententia scrupulum omnem tollit, quia non dicitur perfecit opus suum septimo die, sed Deus desideravit opus suum, id est, conservationem omnium eorum quæ fecerat.

IV. Doctus Aben Ezra subtilius ait, eum qui perficit opus suum nullum opus facere. Et ad probandam opinionem suam, in commentariis ad Exodi cap. XII. 15. trahit verba quibus prohibentur fermentata: *Verumtamen die primo cessare facietis fermentum è domibus vestris.* Quæ necessariò ita accipienda: die primo cessare facies, i. e. cessabit, non autem quod primo Paschatis die cessare faciat, quia obligatio comedendi azyma, nocte antecedente incipiebat, totoq; septem paschatis dierum spatio interdictum erat fermento. Idem existimat hic locum habere, atque ubi dicitur septimo die perfecit opus, tantundem esse

*lib. 3.* ac, iam perfectū erat. Eadem in sententia fuit R. Bahye, et R. Iehuda a-Levi

*Arti. 10.* in docto opere suo Cuzari.

V. Rab Ishac Arama, et Ishac Abrav. dicunt, utcunque Deus rebus omnibus suum esse dederit, quod sex dierum spatio habuerint, naturalem tamen motum & operationem eadem non habuisse ante diem septimum, quo Dominus benedixerit. Quippe tum demū cœpisse cuncta naturaliter operari, et finem adepta esse, cuius gratia creata erant. Icciirco dici ויכל *vayhal*, quod derivatum à voce תכלית *Tahlit (finis)* denotet, Deum die septimo finem imposuisse operibus quæ fecerat, nec deinceps quicquam creavisse. Hæc opinio mihi maximè probabilis videtur. Etenim quævis res artificialis duobus perficitur: prius similitudine formæ & artis, quam mens artificis concepit: deinde fine ipso, sive proprio rei usu, cuius caussa facta est: quemadmodum prior domus perfectio est quando facta est ex arte ab architecto: altera verò, quando in ea habitatur: quem ob finem extructa est. Et hoc pacto intelligitur Dominus opus fecisse die septimo; non quod novas fecerit creaturas, sed quod ea, quæ crearat, pariter se exserere utiliaq; esse cœperint.

VI. Etiam verisimile est, quando ait Scriptura die septimo opus omne perfectum esse, non aliud notare, quàm tunc compertum esse, opus perfectum fuisse, quia sex diebus novæ quotidie creaturæ productæ sunt: septimo autem nihil novi creabatur: unde non obscure colligere erat, iam consummatam esse creationem.

---

## QVÆSTIO. XIV.

| | |
|---|---|
| Gen. 2. 2. *Et perfecit Deus die septimo opus suum.* | Ibid. 2. 4. *Istæ sunt generationes cœli & terræ, in die qua D. Deus creavit terram & cœlum.* |

SI mundus creatus fuit sex diebus, quomodò dicit, in die quo fecit D. Deus terram et cœlum? Hinc enim consequi videatur, cum cuncta uno die creavisse.

CON-

## CONCILIATIO.

TOllitur hæc controversia, si ex opinione R. Mosis (quam prima quæst. retulimus) omnia primo die, et eodem momento, creata dicamus: reliquis autem diebus summum Creatorem dedisse stabilem cuiq; naturã. Quod firmatur etiã à R. Selomone, qui ait: *In die qua fecit: ostendit omnia eadem die creata fuisse.*

II. R. Mosseh Gerundensis, quem sequitur Ishac Abravanel, cùm à Scripturæ verbis minimè abeundum putaret, censuit Dominum non uno momento mundum creavisse, sed spatio sex dierum, claris his verbis impulsus: *quia sex diebus fecit Deus cœlum & terram.* *Exod. 20, 10.* Nempe arbitratur potuisse quidem eum uno momẽto creare, sed maluisse sex diebus, ut quoq; die significentur singuli millenarii, ac sex dies designent sex millia annorum, quis mundus duraturus est. Præterquam quod ad vivum etiam repræsentant, quicquid singulis mille annis memorabile eventurum sit, ut curiosè disserit R. Abraham bar Hiya a-Nassih in libro suo Meguilat a-Meguila †, R. Mosseh Gerũdensis in glossis suis ad hunc locũ, et Ishac Abravanel in opere quod inscripsit Miphalot Eloim ‡. Mihi sane hæc conciliatio magis placet. Nam vox יום *Iom*, quam vertimus *dies*, etiam *tempus* notat: ut Numer. VIII. 17. dicitur ביום הכותי *in tempore quo percussi omne primogenitum.* Neq; enim verti debet *in die*, quia noctu percussi sunt primogeniti. Idem invenitur pluribus aliis locis, quæ citat R. Semuel de Vrbino in libro suo Ohel Mohed, quem de synonymis composuit.

† *cap. 2.*
‡ *lib. 1. cap. 4.*

---

## QVÆSTIO. XV.

Gen. 2. 14. *Et flumen quartum est Perath.*

Ibid. 15. 18. *à flumine Ægypti ad flumẽ magnũ, flumẽ Perath.* Itẽ. Dan. 10. 14. *supra flumen magnũ Hidekel.*

SI inde quòd fluvius Perath nominatur ultimo loco, colligi potest minorem esse reliquis quatuor, quomodo altero versu magnus vocatur? aut si Perath maximus est, cur in Daniele idem Hiddekeli tribuitur.

## CONCILIATIO.

RAb, in Beresit Raba, putabat fluvium Perath maximum esse, uti ex altero versu constat: quarto autẽ cap. Genes. ubi mentio quatuor fluviorum occurrit, à minore ad majorem procedi. *cap. 16.* Quod verò Hiddekel magnus dicitur, non adversatur: nam Propheta hoc loco ei ingentis nomen dat cõparatione אובל *Hubal*, de quo antea fuerat sermo. Huius opinionis videntur esse Anquelos a-Guer, et Ionathan ben Vziel: eodemq; modo, quando Scriptura ait נהר *nahar*, (*fluvius*) nec addit nomen ullum, semper transferunt נהר פרת. Sic cap. XXXVI. ubi dicitur, *Saul ex locis fluminis:* explicant Perat, sive Euphratis, quoniam ille, tanquam maximus, per excellentiam appellatur *Fluvius.*

Præ-

Præterea פרת *Perat* nomen accepit à פרה *Para* (*fructum producere,*) quia fœcundissimus omnium est, et multas regiones fertiles suis aquis facit.

II. Magnus ille commentator R. Selomoh, dicit Euphratem aut Perat grãdem vocari, non ob magnitudinem, sed dignitatem: quoniam conjunctus est terræ sanctæ, iuxta antiquum proverbium, *propinqua bonis, et eris unus eorum.* Sic quia terra sancta optima est orbis universi, et umbilicus mundi (nam sub quarto climate jacet, quod medium locum inter septena obtinet) omnia quæ in ea erant magna vocabantur. Ita templum sanctum, magnum: et summus *Paras.* sacerdos, magnus appellatus, ut recte notat R. Bahye. Adeò ut fluvius Euphra- *Lehleha* tes magnus nuncupetur, quia conterminus est terræ sanctæ, aut quoniam ex ea ad Babylonios descendit, ut volunt Tosaphot; aut quia à Babyloniis ad terram *Ymre* sanctam decurrit, ut putabat R. Azaryah a-Adomi. in libro suo Mehirat Ena- *bina. cap. 11.* im. Hidekel autem magnus dicitur comparatione aliorum qui minores sunt.

III. Dicere etiam liceat, iuxta R. David Kimhy in gloss. suâ supra cap. I. Ieosluæ, ex eo quod Scriptura ait magnus fluvius Perat, nequaquam consequi eum esse maximum quatuor illorum, qui ibi memorantur, sed ingentem esse cõparatione aliorũ terræ sanctæ amnium, quales sunt mare salis, et Kineret.

---

## QVÆSTIO. XVI.

| | |
|---|---|
| Gen. 2. 18. *Non est bonum esse hominem solũ, faciam illi adjutoriũ &c.* | Eccles. 7. 26. *Et invenio ego amariorem morte mulierem.* |

## CONCILIATIO.

*† cap. 6. ‡ cap. 17.* IN Guemara Yebamot †, et Beresit Raba ‡, R. Elhazar loquitur hunc in modum, *Faciam illi adjutorium velut contra eum: quomodo potest adjutoriũ, et simul contra eum esse?* ait fieri id posse, et significare Scripturam mulierem aliquando utilem esse viro, aliquãdo noxiam: et prout viri magna vel parva merita sint, ita eum adipisci conjugem ex animi sui sententia, aut contra. Hinc Babylone uxorem ducens, interrogabatur מצא או מוצא *Massá o Mossé*, (*invenit, an inveniens?*) quia duo cõtrarii versus de muliere apud Sapientem exstant: is quem supra citavimus, מוצא *mossè, inveniens ego mulierem morte amario-* *Proverb. 18. 22.* *rem:* et מצא *massa, inveni mulierem, inveni bonum.* Atque ita eleganter interrogabant, felix an infaustus quispiam in matrimonio suo esset. Adeo ut prior ille versus nostram quæstionem decidat. Ideoque sapiens mentem suam explicans subdit, *quia est sicut hami & sagena cor ejus:* ac si diceret, illa quæ morte amarior, est hæc, cuius cor est hamus et rete. Quod autem postea dicit, intra millenas se nec unam reperisse, loquitur de semetipso. Nam ut legimus in libro Regum, millenas habuit, in quibus nullam invenit quæ illi placeret. Et huc respiciens R. Aquiba dicit in nomine איש אשה *His* et *Hissá*, (*maritus* et *uxor*) esse vocem יה *Yah* (*Domini,*) quo sublato manere in quoque nomine duas literas, *Sota cap. 2.* quæ faciant אש אש *Es Es* (*ignis, ignis*). Præter ea quæ dicta sunt, potest mulier esse bona et mala diverso respectu. Nam bona intelligitur esse, quia per illam propagatur humanum genus, ut dicunt Gerũdensis, Bahye, et Karus in glossis suis

suis ad hunc locū: deinde quia servit viro in omnibus necessariis. Qua de causa R. Hiya, quærentibus nonnullis, quare impense adeo amaret conjugem, quā ferocem et superbam habere: sufficere respondit, quod liberos ex ea suscipe- Iebamot. cap. 6. ret, et peccatum vitaret: cui non absimile Socratis dictum erat. Potest tamen diversis quoq; modis dici mala, quatenus avertit hominem à bona contemplatione, quæ solitudinē exposcit. Quam ob caussam Mosseh se à conjuge segregavit, et Ben Azay, quia valde addictus erat literarum studio, noluit uxorem Beres. R. cap. 34. ducere, addito, nihilominus duraturum genus humanum. Idem quoq; dixit Plutarchus, in vitis illustrium et excellentium virorum, de Thalete, uno septē Græciæ sapientum. Etiam legimus filios Keni, soceri Mosis, exivisse ex civitate Tamarales in desertum Iehuda, ut addiscerent legem Otnielis. Marsilius Ficinus in epistolis suis ait, Platonem virum opulentum, omnia bona sua fratribus suis distribuisse, tantum retento agro ac vineâ iuxta urbem Athenas, cui imposuerit nomen Academiæ. Nimirum quia solitaria vita est contemplationi aptior. Ita ut mulier, quando munus Dei est, bonum sit: at mors, ubi ducentis merita exigua, peccata magna sunt.

---

## QVÆSTIO. XVII.

| | |
|---|---|
| Genes. 2. 24. *Idcirco relinquet vir patrem suum, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ.* | Exod. 20. 12. *Honora patrem, & matrem tuam.* |

## CONCILIATIO.

PRior versus de amore agit, quia ut inquit R. Selomoh filius Sem tob, in opere suo Sem tob, primo animam suam homo diligit, inde corpus, mox Sem tob. Par. Beresit. uxorem, quæ velut alterum corpus est, quartò liberos ac parentes, deinde fratres, et sanguine proximos. Ideoque dicitur virum consuetudine et caritate parentum postpositâ, conjugi adhæsurum: quemadmodum Adam uxoris gratiâ amorem pluviæ ac terræ, parentum suorum, (ex his enim creatus est) deposuit, ut ait Ishac Abravanel. Sed alter versus loquitur de honore et veneratione: in quâ semper anteponuntur genitores, quibus et filius, et uxor hujus, obsequi et honorem deferre tenentur.

II. R. Selomoh dicit priori loco tantummodo interdici, ne filius, aut filia, cū parente, aut matre, matrimonium contrahant. Quod moneri necessarium fuit. nam illis temporibus nondum prohibitum erat matrimonium cum sororibus, ut † cap. 7. traditur in Guemara Sanhedrin †, & Rabot ‡. Quâ opinione tollitur difficul- ‡ cap. 18. tas omnis. Etenim cū dicitur propter uxorem relinquet patrem, vult Scriptura, propter illam matrimonio parentis abstinere filium debere, etsi matrimonia cum sororibus licita essent.

---

## QVÆSTIO. XVIII.

Gen. 4. 3. *Adduxit Cain de fructu terræ oblationem Domino.* | Ibid. 4. 26. *Tunc cæptum est invocari nomen Domini.*

CAin et Hebel obtulerunt sacrificium, & invocarũt nomen Domini: quomodo ergo dicitur tempore Enos demum cœpisse invocari illud?

## CONCILIATIO.

*Beres. R. cap. 23.*

IVxta R. Simon, qui deducit vocem הוחל *Huhal* à verbo חלול *Hilul*, (*profanare*,) facilis est solutio: quia non dicitur tempore Enos invocari cœpisse nomen Domini, sed contrà, tunc idolis datum fuisse vocabulum Domini, et illis exhibitum esse cultum, qui soli Deo, primæ caussæ, debebatur. Vt Scripturæ verba ita transferenda sint: profane actum est in invocando Dei nomine. Hanc opinionem amplectitur R. Mosseh †, qui in opere suo Misne Torah, ubi de idololatria tractat, dicit eam cœpisse tempore Enosi. Idem vult R. Selomo, quem bene intellexit R. Semuel Yaphé, in libro suo Yephé Toar ‡, nisi quod dictionem הוחל *Huhal*, derivari ait à תחלה *Tehila* (*principium*,) et esse ac si diceret S. S. tunc cœperunt invocare in nomine Domini: hoc est vanæ idololatriæ attribuere venerandum Dei nomen. Idem placuit R. Levi ben Guerson, R. Elihezero Germano, R. Mosseh Alchech, & Baal a-Hisquuni.

*† Yad abazaqua Halahot aboda zara. cap. 1.*
*‡ fol. 162*

II. Doctus ille Aben Ezra, statuens dictionem הוחל *Huhal* venire à תחלה *Tehila* (*principium*) iuxta R. Selomonem ait, Cain et Hebel quamvis scirent esse Deum, tamen non precatos esse, neque invocasse eum in adversitatibus suis, quod demum fieri cœperit temporibus Enos. Et profecto illud dicere Scriptura videtur, cum ait, tunc inceperunt invocare nomen Domini, id est, preces suscipere, expetere eius gratiã. Eandem opinionem probat Ishac Abravanel.

III. Conciliantur quoq; hæc loca, si dicamus, quamvis Adam, Cain, et Hebel, ac pauci alii, primæ caussæ notitiam habuerint, tamen cæteros homines in tenebris atq; ignorantia vixisse, usq; ad tempus Enos, qui cum sapiens esset, incepit, uti et postea Abrahamo actum, Deum, cunctis notum facere: et ab illo tempore publice etiam invocari cœpit nomen Domini.

---

## QVÆSTIO. XIX.

Gen. 5. 2. *Marem & feminam creavit eos.* | Ibid. 9. 7. *Quia ad imaginem Dei fecit hominem.*

QVomodo fieri potest ut homo creatus sit mas & femina, & factus tamen sit ad imaginem Domini?

CON-

## CONCILIATIO.

SI ſequamur opinionem divinorum Cabaliſtarum, cum quibus & Plato ſenſit, à ſummo Creatore, qui ſolus et purus eſt, emanaſſe primum et ſupremum effectum, quem vocat primam mentem, aut primum intellectũ, per quem creatũ ſit formoſum illud univerſum, ut rectè notat Iehuda Abravanel, in Philographia ſua: iam recte intelligetur hominem, quamvis marem et feminam, creatum eſſe ad imaginem Dei. Etenim quomodo ex ſimplici illo puroq; actu, nec non è primo effectu, (qui ab eo emanans, tanquam patiens, feminæ comparatur) provenit hæc mundorum varietas; ita et Heva divulſa ab Adamo, eo modo quo ſupra dictum, et ex eo nata, poſtea uxor ei fuit: et ambo hi ſunt origo et cauſſa humani generis: ut recte ſenſit R. Moſſeh Iſral in libro ſuo Torath Olà.

*Leõ Hebreus. Dial.* 1.
*lib.* 3. *cap.* 70.

II. Quin et dicerè poſſis, hominem ad Dei imaginem factum eſſe, quantum ad animam & intellectũ, ut rectè iudicabat R. Moſſeh in Directore ſuo †: quod vero dicitur marem & feminam creatum eſſe, reſpicit compoſitionem corporis, quia, ut probatum eſt, Heva fuit cum Adamo creata. Etiam R. Iehuda a-Leví ‡ ait, quemadmodum prima cauſſa eſt anima ac ſpiritus mundi; uti etiam confirmatur in ſacro libro Zoar *, ubi dicitur Deum Benedictum eſſe ſpiritum atque animam univerſi; ſic intellectum actu in homine (qui parvus mundus vocatur) eſſe animam ac vitam ejus. Divini theologi Cabaliſtæ in Zoar dicunt hominem vocari animam, quia corpus eſt veſtitus hominis, et vocatur בשר ודם *caro et ſanguis*. Quã opinionẽ et Plato pluribus locis *a* ſecutus eſt, dein Porphyrius *b* Iamblichus *c*, Proclus *d*, Plotinus *e*, Cicero ac Macrobius *f*, et Lactãtius *g*. Avicennæ quoque is *Ego* vocatur, id eſt, perſona perfecta: et Averroës affirmat formam conſtituere totam rei eſſentiam; ita ut anima hominis ſit totus homo, corpus non pars, ſed inſtrumentum quo anima utitur. Contra Ariſtotelẽ *h*, Auguſtinũ *i*, ac Damaſcenũ *k*, qui corpus putant eſſe partem eſſentialem hominis, quia eius ſit materia. Igitur recte hoc modo dicitur homo creatus ad imaginem Dei, ſcilicet reſpectu animæ. Etiam de compoſitione corporis in Zoar, Ricanat *l*, et Hayat *m*, admirabilia dicuntur, et quomodo ſymbolum ſit mundi divini. Sed ſufficiunt in præſens ea quæ diximus.

† *lib.* 1. *cap.* 1.
‡ *Cuzari lib.* 4. *Artic.* 3.
* *Zoar. Par. Aba re mot.*
a *in Axiocho, Phædone Timæo, Alcib.* 12. *de Legg.*
b *de Abſtinent.*
c *de myſteriis.*
d *de Anim. et Dæm.*
e *l. quid anim. et homo ſit.*
f *lib.* 2. *c.* 12. *in ſomn. Scip.*

---

## QVÆSTIO. XX.

Gen. 5. 32. *Et erat Noah quingentorum annorum, et genuit Noah Sem, Ham, et Iepheth.*

Ibid. 9. 22. *Et vidit Hã, pater Kenaan, turpitudinem patris ſui &c. Et expergefactus eſt Noah à vino, et cognovit quid feciſſet ſibi filius ſuus minor.* Item 10. 21. *frater Iepheth magni.*

g *lib.* 2. *div. inſtit. c.* 3. *et de opiſicio Dei cap.* 20. h 10. *Ethic.* 7. 4. *Poli.* 4. 2. *de gener. animæ text.* 1. i *de civit. Dei. li.* 13. *c.* 24. k *lib.* 3. l *Par. Bereſ.* m *Hayat ſaar a-Adam.*

S. Scriptura in recẽsendis filiis Noachi, primo Sem, deinde Ham, tertio Iephet nominat, tanquam minimum. Quod si ita est, quomodo altero loco Ham vocat filium minorem? Aut si Sem natu maximus erat, quare alibi Iaphet maior dicitur?

## CONCILIATIO.

VEteres nostri sapientes cum manifestè pugnare hæc loca viderētur, ut quorum primo Sem filiorum Noachi natu maximus, Ham secũdus, Iaphet minimus dici videtur; altero contra Iaphet maximus, Ham me-
cap. 37. dius, Sem tertius; denique et tertio loco Ham minimus; in Beresit Raba, ut huic difficultati occurrerent, dixerunt: Iaphetum primum, et natu maximum fuisse, quemadmodum colligitur ex versu, quem tertio loco posuimus, quo di-
Gen. 11. 10. citur, *frater Iapheti maioris.* Idem et his S. Scripturæ verbis firmatur, *Sem cẽtesimo ætatis anno genuit Arpahsad, biennio post diluvium.* quod necessario se-
Ibid. 5. 32. quitur, quia Noah quando genuit liberos erat annorum quingentorum, ut S. Scriptura ait. *Et fuit Noah quingentorum annorum, et genuit Noah Sem, Ham,*
Ibid. 7. 11. *& Iaphet.* Diluvium autem in sexcentesimum Noachi annum incidit, ut adstruunt verba hæc: *Anno sexcentesimo annorum vitæ Noah, mense secundo, septimà decimà die mensis, hàc die rupti sunt omnes fontes voraginis magnæ &c.* Ergo illo tempore filiorum natu maximus centum erat annorum. Iam si Sem biennio post diluvium complevit annum ætatis centesimum, ut demonstravimus, sequitur eum non fuisse natu maximum, quia necessario fuerit illi frater biennio ætate major. Et quoniam dicit S. Scriptura Iaphetum ex fratribus maximum fuisse, cogimur dicere tres filios triennio eodem, quemque uno post alterum anno natos; quomodo Iaphet genitus sit anno Noachi quingentesimo & primo, Sem post secundum, intermedio tempore Ham. Ita ut Iaphet fuerit primogenitus, secundus Ham, tertius Sem, quemadmodum ait R. Selomo
cap. 1. in Guemara Aboda Zara. Iapheto autem qui natu maximus, sæpius Sem anteponitur tanquam sanctimonià ac pietate præstantior, ut vel inde liquet quod quo loco de reverentià eius erga patrem Noachum agitur, ille primus nominetur: *et sumsit Sem ac Iephet.* Adde quod hunc putant Malkisedek esse. Quando autem de Hamo dicitur, *& rescivit quid sibi fecisset filius suus minor*, non minor ætate intelligitur, sed contemtior cæteris, ac minus æstimatus: quemad-
Ierem. 49. 15. modum הנה קטון נתתיך בגוים בזוי *Ecce enim parvum te dabo inter gentes, contemtum inter homines.* Vocat vero eum parvum & vilem, quia contẽserat patrem suũ.

II. Doctus Aben Ezrah, et R. Levi ben Guerson, de ætate filiorum Noachi idem sentiunt: quod confirmatur cap. X. quo primum narrantur filii Iaphet, postea Ham, et ultimo liberi Sem. Cæterum quamvis hàc parte conveniant, nihilominus aliter accipiunt locum illum quo dicitur, *& cognovit quid sibi fecisset filius minimus.* Nimirum, Hamum quidem vidisse turpitudinem parẽtis sui, sed Kenahan aliquid multo fœdius patrasse, quod reticeat S. Scriptura. Idque inde colligunt, quod quamvis Ham plures filios haberet, S. Scriptura tamen solùm dicat, *et vidit Ham pater Kenahan nuditatem patris sui.* Deinde quod No-
Gen. 9. 24. ah non filio Ham, sed nepoti Kenahan maledixit. Et iuxta hanc opinionem, quando Scriptura ait, *Et expergefactus est Noah à vino, et cognovit quid sibi factum*

*ctum esset à filio suo minore*, non Hamum, sed filiorum Hami natu minimũ designat, nimirum Kenahan; unde alio loco legimus: *Et filii Ham, Cus et Misraim, Put, & Kenahan*. Atque hoc pacto Iaphet natu maximus fuerit, Ham proximus: verba autem, *filius eius minor*, Kenahanum significant. Sem vero quãvis ætate reliquis impar, propter excellentem virtutem præponitur. Gen. 10. 6.

III. R. Moiseh Gerundensis credebat Iaphetum nascendi ordine primũ fuisse, ut constat ex tertio versu, *frater Iephet magni*: Ham vero minimum, ut infertur ex loco hoc, *cognovit quid factum sibi esset à filio suo minore*. Vnde probat necessario Sem esse medio loco inter utrumq; natum: præponi autem eum fratribus suis, tanquam virtutibus præcellentem. Quoniã autem Ham statim post Semum natus sit, Scripturam, ne ordinem conturbet, eum secundo loco nominare, et Iaphetum qui maximus erat, postremo.

IV. Aliud Ishaco Abravaneli visum: scilicet, Semum primum fuisse filium, alterum Ham, tertium Iaphet, quo ordine semper in Scriptura nominantur. Neque repugnare, quod Sem centũ annorum fuisse dicatur biennio post diluvium: nam cùm Noah quingentesimo ætatis anno Semum genuisse dicitur, non sequi inde illum principio anni quingentesimi natum, sed sub finem, ita ut paucis diebus post nativitatem ejus annus quingentesimus Noachi exspiraret. Simili ratione diluvium non cœpisse sexcentesimo Noachi anno elapso, sed aliquot tantũ diebus ejus anni exactis, atq; ita Sẽ illo tẽpore non fuisse plusquã XCIX. annorum. Ex Semo autem Arpahsad natum cum centesimum annum aliquot mensibus superasset. Quod autem de biennio post diluvium dicitur, intelligendum de principio anni, qui à cœpto diluvio secundus numeretur. Sanè eodẽ modo complura loca in S. Scriptura inveniuntur, ubi plenus annorum numerus ponitur, quamvis desint menses vel dies aliquot. Sic legimus filios Israël XL. annis manna comedisse, atqui si exacte numeres XXX. dies minus reperiantur. Sunt et alia id genus loca, quæ, cap. LXXXVII. adferemus. Igitur dictus jam auctor, versus de quibus hic agimus, hoc pacto conciliat. Cum primo dicatur, *Et ipsi Sem natus est. Etiam ipse est pater omnium filiorum Heber, frater Iephet major*: vocem *major* referri ait ad Sem, et tantundem esse ac si Scriptura dixisset, Sem erat frater Iephet major, aut major frater Iephethi: quod verò alter textus ait, *et rescivit quid sibi fecisset filius suus minor*: vult, ut supra diximus, intelligi de Kenahan filio minore Ham. Neq; sic ullus scrupulus relinquitur. Idem quoque R. David Kimhi credidit: sed Iaphetum hic ob virtutes magnum dici existimabat. Ibid. 11. 10. Exod. 16. 35. *super Chroni.*

V. R. Elihezer Germanus, statuit tres filios Noachi eodem partu natos, quo primus prodierit Sem, postea Ham, ultimus Iephet, iuxta ordinem quo semper nominantur in S. Scriptura. Quando autem dicitur frater Iephet major, velle Scripturam, Semum fuisse maximum fratrum Iapheti: propterea quod Sem, ut diximus, primus in lucem prodierit. Verba autem hæc, *rescivit quid sibi fecisset filius minor*, referenda esse ad Kenahanum filiorum Hami natu minimum. Ita ut iuxta illum cum dicitur Sem biennio post diluvium fuisse centum annorum, hoc modo intelligendum sit: Noah cum quingentorum esset annorum, tres filios genuit, qui anno ætatis illius primo post quingentesimum nati sunt. Diluvium mundo supervenit cum Noah ingressus esset annum sexcentesimum; ita ut Sem biennio postquam illud cœperat impleverit annum centesimum

mum. Quod si ita accipiamus illud biennium ab eo tempore quo diluvium cœpit, congruet supputatio, nec ulla in verbis Scripturæ discrepantia erit. Sed poterit quisque eligere ex his sententiam, quæ maxime probabilis videatur.

## QVÆSTIO. XXI.

Gen. 5. 32. *Et fuit Noah quingentorum annorum, & genuit Sem, Ham, & Iaphet.*

Ibid. 11. 10. *Sem cum esset centum annorum, genuit Arpahsad biennio post diluvium.*

FVndamentum huius quæstionis est; si Noah quingentesimo ætatis anno genuit Sem, ut constat ex priore loco; et sexcentesimo cœpit diluvium, ut cap. VII. vers. *XI.* dicitur: necessario sequitur illo tempore Semum fuisse annorum centum. Quod si ita est, quomodo altero versu scribitur, eum biennio post diluvium fuisse annorum C. et genuisse Arpahsad, cum recte supputando anni sint *CII.*?

### CONCILIATIO.

SI primam earum opinionum, quas superiori capite retulimus, sequamur, nullus scrupulus relinquitur. Nam Sem, quippe liberorũ Noachi natu minimus, potuit centum tantum annorum esse biennio post diluvium.

II. Quin et licet Semum maximum statuamus, recte hæc loca conciliari possint opinione Ishaci Abravan. quã supra memoratã hic repetere nihil attinet.

III. Aut dicemus, Noah genuisse Sem, quando Io. erat annorum: sed illum natum primo post quingentesimũ ætatis eius anno: atque ita exordio anni, qui post cœprum diluvium secundus fuit, Sem centesimum annum impleverit.

## QVÆSTIO. *XXII.*

Gen. 6. 3. *Et erunt dies eius centum et viginti anni.*

Ibid. 11. reperiuntur qui vixerint annos plus quam quadringẽtos. Item Psalm. 90. 10. *Dies annorum nostrorum in iis LXX. anni &c.*

### CONCILIATIO.

CIrca hanc rem duæ fuerunt opiniones, quarum prior est Anquelos, R. Selomonis, Aben Ezræ, Aramæ, R. Levi ben Guerson, R. Bahye, Ishac Kari, R. Mosseh Alchech, R. Obadiah Sphorni, qui omnes in glossis suis ad hunc locum dicunt, Deum verbis illis *dies hominis erunt CXX. anni*, nequaquam hoc spatium ponere vitæ humanæ, quippe postea fuisse qui multo lõgius vixerint, sed tantum indicare Noacho, Prophetæ illius sæculi, dare se hominibus spatium *CXX.* annorum ad pœnitentiam peccatorum; cuius rei cun-

ctes

ctos admonitos voluisse, ut nisi intra illud tempus pœnitentia ducerentur, scirent diluvio sibi pereundũ. Atque eodem modo Ionam Ninivitis prædicere iussum intra XL. dies fore ut urbs destrueretur. Iuxta hanc sententiam illi *CXX.* anni terminantur sexcentesimo Noachi anno, quo diluvium cœpit. Et, ut rectè notat R. Selomoh, et Aben Ezrah, non est difficultas in eo, quod hic versus ponitur, postquam dictum est de nativitate Iaphet: qui natus est anno quingentesimo Noachi, cum diluvium cœperit sexcentesimo, ut ad implendos CXX. annos, requirantur anni *XX.* Quippe lex non semper ordinẽ tẽporis, quo quidque actum est, sequitur, sed sępe anteponenda postponit, ut ostẽdemus quæst. *XXXV.* et sic illa sententia pronuntiata est *XX.* annis ante nativitatem Iaphet, nec tunc ullus objectioni locus relinquitur.

II. Altera opinio est Ishac Abravanel, quem sequitur R. Elihezer Germanus. Nimirum, Deum, cum videret in dies hominum gliscere malitiam, quia sic utile illis putaret; voluisse ut brevior eorum vita esset; et ut ratione naturæ, si nullis morbis aut id genus incommodis conflictarentur, viverent annos *CXX.* nec amplius. Etenim, ut Aristot. ait, omnis species viventium certum vitæ terminũ habet. Quamvis autem post hoc decretum Dei exstiterint, qui supergressi sunt illos annos; ait, putare nos non debere Dei placitum statim ab eo tempore cœpisse: nam ab uno extremo ad alterum non nisi per media procedi: sed ita accipienda esse verba illa, ab eo tempore fore ut paullatim decrescat hominum ætas, donec deventum sit ad *CXX.* quem tamen plerique nunc non attingunt, ob intemperantiam: Moses verò attigit, quia inoffenso cursu, et nullis conflictata molestiis ætas ejus processit. Ideoq; dicit R. Hanina bar Papa hoc versu Mosem designari, dictione בשגם *besagam* i. *quoniam*, quæ iuxta numerum quem hæ literæ apud Hebræos exprimunt, valet *CCCXLV.* et tantundem quoque valet vox משה. Ratio autem cur Domino placuerit adeò contrahere hominis vitam, erat, ut cogitans quam brevis hæc vita sit, præpararet se ad alteram longiorem et sempiternam: ideoque Adamum postquam peccàverat expulit paradiso, ne decerperet fructus ab arbore scientiæ boni & mali, atq; æternum viveret: quia non expediebat ei semper vivere in hoc mundo. Quicquid de opinionibus his sit (quamvis mihi prima verisimilior et certior videtur) quando dicit David, dies nostræ vitæ esse annos *LXX.* loquitur, ut R. David Kimhi notat, de eo spatio, quo plerique hodie vivunt; aut ut inquit Ishac Abrav. in opere suo Miphalot Eloim, à septuagesimo anno molesta vita est, ut idem textus ait: et senectus quam nos nunc anno L. ingredimur, illis incipiebat anno septuagesimo, quo respiciens R. Hisquiah in nomine R. Iahacob bar Ahà, in Yerusalmi de Bicurim, dicit, siquis *LXX.* anno ætatis moriatur, hanc Dei quampiam gratiã esse, quia ab eo tempore molesta vita sit.

*Beres. R. cap. 26.*

*lib. 8. cap. 1.*

*cap. 1.*

---

## QVÆSTIO. XXIII.

| | |
|---|---|
| Gen. 6. 6. *Et pœnituit Dominum quod hominem creasset.* et Sem. 15. 20. | Num. 23. 24. *Non est Deus homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat.* Item Sem. 25. 22. |

CON-

## CONCILIATIO.

POenitentia infert ignorantiam præteriti, præsentis, et futuri, mutationẽ voluntatis, et errorem in consiliis, quorum nihil in Deum cadere potest. Dicitur tamen ille metaphoricè pœnitentia duci. Quemadmodum nos quando alicuius rei pœnitet, abolemus id quod antea feceramus: quod fieri potest sine tali mutatione volũtatis; quâ nunc homo alquid facit, quod post mutato animo destruit. Atque ita quando dicitur Deum pœnitentia duci, accipiendum de effectu, quatenus hominem quem creaverat diluvio sustulit. Sic sane R. Mosseh, et doctus Aben Ezra, in similibus casibus semper utuntur his verbis דברה תורה כלשון בני אדם *loquitur lex humano more*: nimirum, accommodat verba sua corporeis et sensibilibus, quo melius capiantur.

---

## QVÆSTIO. XXIV.

| | |
|---|---|
| Gen. 6. 6. *Et mœstus fuit in corde suo.* | I. Chron. 16. 27. *robur et gaudium ante eum.* |

## CONCILIATIO.

I.Dial.3. IEhuda Abravanel in fine Philographiæ suæ probat esse delectationẽ in Domino, quoniam cum ille sit summa delectatio universi, oporteat in eo esse summam delectationem: in illo autem delectatio, et qui delectatur, et illud quod delectat idem sunt. Eamq; ob caussam veteres Hebræi, cum hilares essent, dicebant, ברוך אלהינו שהשמחה במעונו *benedictus sit Deus noster in quo habitat delectatio*: unde S. Scriptura ait, Deum animadversâ hominum malitia contristatum esse: at non eò vel tristitia vel hilaritas affectiones Dei sunt. Sed delectari ille dicitur, quando effectum ejus, perfectione sua accurate ei congruit; contristari, ubi effectum, suâ culpâ, perfectione ista caret. Idem sensit R. Ioseph Albus in libro suo Icarim. (lib. 2. cap. 15.) Divini quoq; Theologi Cabalistæ statuunt inferiores posse operibus suis movere superiores; quod credibile est, cum videamus magnete in duas partes dissciso, ubi ab omnibus sordibus expurgatus sit, etiãsi multum intervalli sit inter utramque partem, tamen si unam moveas, alteram quoque eodem temporis vestigio moveri: quemadmodum etiam vinum doliis conditum, mutationem & alterationem sentit, quando vitis qua crevit mutationem experitur: quemadmodum denique, quod tradit Rab Ishac Arama, (Aquedat Ishac. Saar. 12.) si duo musica instrumenta, eadem proportione et temperamento fabricata sint, ita ut per omnia congruant, ubi unum tetigeris, sua sponte alterum movetur, eiusdemq; toni sonum edit; sic quoque inquit Hayat, (Saar a-Mercab. ad hunc locum.) cum animæ emanarint ex illo splendore divino, movent eundem operibus suis, ita ut divinitas quasi participet imperfectionem creaturæ, per relationem effecti ad causam suam. Eodem prorsus modo quo non verè felicem nominare patrem eum possis, qui filium habet malum, tametsi in illo concurrant omnes virtutes.

II. Sed doctè profecto super hâc re disseruit R. Mosseh Alchech, et clarius

illo R. Moseh Albelda in opere suo Olat Tamid. Dicunt enim lætitiam in Deo vocari, quod spiritum suum hominibus communicat; tristitiam autem, quando privat eos hoc bono. Etenim ut in lætitia omnes spiritus vitales à corde exiliũt, ut objectum bonum percipiant; in tristitia verò introrsus se recipiunt, præsens malum fugientes: sic quod Deus delectatur effectibus suis, idem est ac si dicas eum demittere spiritũ suum in homines; ut quando tristatur, retinet eas in fonte suo, quia indigni sunt mortales tali bono; eamq; ob caussam dicitur, *et contristatus est in corde suo*; quoniam, ut Aristoteles ait, cor dat, nec recipit. *Moreh.*

III. R. Moseh verba quæ nos vertimus, *et contristatus est in corde suo*, trans- *lib. I.*
fert, *et rebellavit adversus voluntatem ejus:* nam verbum עצב etiam *rebellare* si- *cap. 29.*
gnificat, ut colligitur ex versu Psalm. כל היום דברי יעצבו *toto die verbis meis rebel-* *Psalm.*
*lant.* לב vero multis locis pro *voluntate* etiam sumitur, quia dependet ea à cor- *56. 6.*
de. Ideoq; ad vitandam hujus loci difficultatem, ita interpretatur R. Moseh:
*et pœnituit Dominum, quod creasset hominem in mundo, atque rebellavit contra* *helek a-*
*voluntatem ejus:* nimirum homo rebellavit. R. Mehir Gabai in libro suo Abo- *tablit.*
dat a-Codes in alia opinione est; quam, ut brevitati consulam, non adscribo. *cap. 57.*
Curiosus lector ipsum adeat. *et 60.*

---

## QVÆSTIO XXV.

| | |
|---|---|
| Gen. 6. 19. *Et ex omni vivente, ex omni creatura duo duo introduces in arcam.* | Ibid. 7. 2. *Ex omni jumento mundo capies tibi septena septena &c. etiam ex volucribus cœli septena septena.* |

## CONCILIATIO.

R. Selomoh ait, quando imperat Deus Noacho, ut duo duo, introduceret in arcam, ita accipiendum esse, acsi generatim dicat, ad minimum duo ex quaq; specie: postea vero ubi legimus septena septena, descendere S. Scripturam ad speciem, nimirum pura animalia.

II. Sed doctus Aben Ezrah, R. Mosseh Gerundensis, R. Nissim, & R. Bahye ad hunc locum, dicunt, propter conservationem specierum, Noachum à Deo jussum duo duo i. e. masculum & feminam in arcam cogere; at septena illa paria fuisse (etenim mysterium est in numero septenario) ad sacrificandum, quãdo ex arca egressurus esset, ut fecit. Ideoq; volunt jam dicti autores paria illa, quæ necessaria ad propagationem erant, divino instinctu sponte arcam intrasse,
ut textus ait, *duo duo venerunt ad Noachum in arcam*, scilicet, ultro, et sine coa- *Gen. 7. 9.*
ctu: sed septena illa paria cujusq; speciei, quæ ad sacrificium requirebantur, uti erat præceptum, voluisse Deũ ut Noachus promereretur labore capiendi. Ideoq; dicere, *sumes tibi*, aut sic loqui, quia benignissimũ Numen nollet id genus animantes sua sponte se ad mortem offerre, ostenderèque eà re hominibus, eos in ipsa animalia rationis expertia clementes esse debere.

III. Mihi, si judicare licet, dixerim optimè eos versus cõciliasse Ishacũ Abrav. qui ait, primo versu universe Deũ decernere, ut animalia & aves nõ seorsim, sed cũ cõpare in arcã venirent, idq; indicare Scripturam cum ait, *bina introducas*

*in arcam, quæ in vita conserves tecum: mas et femina futura sunt.* Sed secundo loco præfiniri certum numerum Noacho: nimirum ut ex mundis animalibus septena, ex impuris bina tantum apud eum essent.

## QVÆSTIO. *XXVI.*

Gen. 7. 11. *Anno sexcentesimo vitæ Noachi, mense secundo, decimo septimo die hujus mensis; hoc ipso die aperti sũt omnes fontes, &c.*

Ibid. 8. 4. *Et requievit arca mense septimo, decimo septimo die ejus mensis, super montes Ararat.*

ANnus, qui iuxta R. Elihezer incipit à mense תשרי Tisri, *septembre*, quo mense mundus creatus est, hoc ordine procedit.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Tisri | Hesvan | Kislev | Tebet | Sebat | Adar |
| 1 תשרי | 2 חשון | 3 כסלו | 4 טבת | 5 שבט | 6 אדר |
| Nisan | Iyar | Sivan | Tamuz | Ab | Hilul |
| 7 ניסן | 8 אייר | 9 סיון | 10 תמוז | 11 אב | 12 אלול |

Cœpit diluvium septimo decimo die secundi mensis Hesvan, et imbribus per XL. dies delapsis, cessavit vicesimo octavo mensis Kislev. His adjiciendi CL. dies, hoc est menses quinque, qui finiuntur sub exitum Iyar: postea vero arca conquievit in montibus Ararat. Quod si ita est, quomodo ait S. Scriptura, decimo septimo die septimi mensis montibus insedisse? Quod fieri haud potuisse videtur. Etenim à principio Tisri, qui primus anni mensis est, usq; ad decimum septimum diem mensis Hesvan, qui secundus est, mensis et *XVII* dies numerãtur: quis si accenseas *CXC*. dies diluvij, *VIII*. in universum menses habebis. Quomodo igitur hos textus conciliabimus?

## CONCILIATIO.

*Beres. R. cap. 33.* ARdua hæc quæstio etiam antiquis sapientibus nostris visa, cui hoc modo occurrerunt. Cum annus incipiat a mense Tisri, iuxta opinionem R. Elihezer, cœpit diluvium decimo septimo die secundi mensis Hesvan, et durarunt imbres diebus *XL*. finitiq; sunt septimo et vicesimo die Kislev: tum annumerandi dies CL. hoc est menses quinque, qui sub finem mensis Iyar terminantur, quo tempore dicitur arca requievisse in montibus Ararat. Ita ut cum Scriptura ait septimo eam mense quievisse, non intelligendus sit mensis qui septimus à Tisri numeratur, quod, uti ostendimus, fieri nequit; sed Sivan septimus supputando à mense Kislev, in quo cessarunt imbres: etenim à Kislev usq; ad Sivan sunt menses septem; nimirum, Kislev, Tebet, Sebat, Adar, Nisan, Iyar, Sivan: postea affirmatur, decimo mense apparuisse culmina montium, nimirum mẽse Ab: neq; enim decimus intelligitur à principio anni, quia à Tisri usq; ad Sebat sunt menses decem: multo minus decimus intelligitur mensis à finitis imbribus, qui erat Kislev. Nam à Kislev usq; ad Ab sunt menses tantũ novem: sed decimus est, quando numerare incipimus a decimo septimo die secundi mensis Hesvan, quo inceperunt imbres. Et tunc congruit supputatio. Nam ab Hes-

ab Hesvan usq; ad Ab sunt menses decem; scilicet Hesvan, Kislev, Tebet, Sebat, Adar, Nisan, Iyar, Sivan, Tamuz, Ab. Adeo ut hac ratione in illis mensibus considerari debant tria diversa principia; scilicet, primum numerando secundum ordinem mensium anni, et tunc à Tisri incipimus: secundum ab eo tēpore, quo imbres cessaverūt: tertiū ab eo, quo pluviæ cœperunt, quo pacto exacte numerus congruet, secundi, septimi, & decimi mensis. Hanc quoque opinionem secutus est R. Selomoh, et R. Nissim.

II. Simpliciter tamen, nec minus commodè, hos versus conciliat Gerundensis. Quamvis enim ab exordio anni numerare incipiat, facit ut nihilominus mensium congruat numerus: idq; in hunc maximè modum. Incipit annus à Tisri; diluvium decimo septimo die secundi mensis Hesvan cœpit, et duravit dies XL. qui definunt in vicesimum octavum diem tertij mensis Kislev. Exinde ait S. Scriptura aquas crevisse supra terram diebus CL. quo loco ad duo attendi oportet. Primò, quod illis centum quinquaginta diebus includantur etiam *XL*. dies, quibus imbres delapsi sunt, ita ut postquam *XL*. dies imbriū exacti essent, reliquo tempore aquæ terram inundaverint: secundo, quod quo loco dicitur aquas CL. dies crevisse supra terram, non significet, omni eo tempore illas crevisse, multo minus eodem in statu permonisse: quia eodem modo, quo quis dicit, decennium jam est, ex quo centurio hic illum hominem devicit, non sequitur necessariò ab eo tempore victorias ejus crevisse, sed illud quidem, ab eo tempore victorem illum fuisse: sic quando dicitur aquas supra terram crevisse CL. dies, non sequitur semper auctas eas, verùm eâ altitudine fuisse, ut terram contegerent. In his duobus Rab Ishac Arama, et Ishac Abravanel dicunt errasse priores, quos diximus, magistros. Adeo ut hac ratione, quando XL. dies sub illis centenis et quinquaginta comprehendantur, qui faciunt menses quinque, futurum sit ut numerus respondeat. Nam decimo septimo die mensis septimi aquis indies decrescentibus potuit Arca conquiescere in montibus Ararat, qui sunt humillimi: atq; ille septimus mensis fuit Nisan, qui septimus etiam in ordine mensium: nam numeramus Tisri, Hesvan, Kislev, Tebet, Sebat, Adar, Nisan: et ab eo tempore continenter deminutæ fuerunt aquæ, ita ut Kalendis decimi mensis Tamuz (qui etiam decimus est, si à Tisri supputare cœperis) apparuerint culmina montium. Quoniam quemadmodum arca septimo mense mōtibus insedit, ita decimo mense omnes aquæ abcesserant. Supersunt jam tres menses ad absolvendum annum, quo Noah in arca fuit: hi sunt *XC*. dies: quorum facit mentionem S. Scriptura, cum ait Noachum sub finem *XL*. dierum aperuisse fenestellam arcæ; accedunt unus et *XX*. dies, quibus columba et corvus emissi sunt: hi igitur duo menses. Tertio autem mense siccata est terra: atq; ita Noah, qui decimo septimo die secundi mensis Hesvan arcam ingressus erat, exivit vicesimo septimo die eiusdem mensis sequente anno: illi autem *XI*. dies (tantum enim interest) sunt isti, quibus Lunarem annum Solaris superat. Nam hic est dierū CCCLXV: ille CCCLIV. Hanc interpretationem quoq; sequitur R. Bahye; estq; facilis et aperta, quia tota supputatio eodem modo fit; incipiendo à Tisri, & desinendo in eodem.

---

## QVÆSTIO. XXVII.

Genes. 8. 1. *Et recordatus est Deus Noachi.* | Iesai. 49. 15. *At ego non obliviscar.* Itē Psalm. 77. 10. et Prov. 5. 21.

### CONCILIATIO.

IN Deo cui præterita et futura præsentia sunt, nequit locum habere oblivio, quæ indicium est debilis memoriæ. Quare cum dicitur Noachi recordatus, loquitur Scriptura figuratè: nam quando aliquis curæ nobis non est, dicimur obliti esse illius: rursum quando cogitamus de illo, dicimur memores illius esse. Idem in Noacho videbatur: postquam enim annum integrum in arca fuerat, Deus, humano more loquendo, recordatus est eius, cuius oblitus videbatur.

---

## QVÆSTIO XXVIII.

Gen. 8. 13. *Die primo mensis &c. ecce autē siccata erat superficies terræ.* | Ibid. 8. 14. *Mense autem secundo, vicesimo septimo die illius mensis, exaruerat terra.*

### CONCILIATIO.

*Beres. R. cap. 33.* VEteres sapientes in Beresit Raba conciliantes hæc loca, volunt, quando S. Scriptura dicit, primo die primi mensis siccatam esse faciem terræ, per faciem solum intelligi superficiem ejus, et nihilominus interiora humida permansisse: sed vicesimo septimo die secundi mensis siccatam esse terram, hoc est, usque ad intima. Quam expositionem sequitur R. Selomoh; & Aben Ezrah, et cum verbis S. Scripturæ satis congruere videtur.

II. Sed Ishac Abravanel verbum חרבו *harbu*, quod nos *siccatæ sunt* interpretamur, exponit *desolatæ sunt*, significatione deducta à חרבה *horbà* (*desolatio*) et arbitratur dicere S. Scripturam, aperuit Noah fenestram arcæ, viditq; desolatas facies terræ: h. e. esse eam sine animalibus, plantis, et cæteris omnibus. Atq; hoc modo rectè dicitur secundò versu, vigesimo septimo die mensis secundi siccatam esse terràm. Quæ expositio perquam commoda est: nam priore loco dicitur חרבו *harbu*, quod cum sit verbum æquivocum, etiam exponi potest *destructæ sunt*: at altero loco est יבשה *Iabsa* (*siccata est*) quæ variatio vocabulorum videtur innuere duas diversas significationes.

---

## QVÆSTIO. XXIX.

Gen. 8. 20. *Et ædificavit Noah aram Domino.* | I. Sem. 14. 35. *Et ædificavit Saul arā Domino, illud cœpit ædificare &c.*

CON-

## CONCILIATIO.

R. Ioſſch in Bamidbar Raba, quærit quomodo Saul primus dicatur altare ædificaſſe, ſi conſtet à Noacho aram extructam, imo et ab aliis ante eum. Cui quæſtioni ipſe ſic occurrit, Saulũ inter reges primũ fuiſſe, qui aram Domino ædificaverit. Addere poſſis id quod R. Ieſaiah dicit in gloſſa ſua ſupra Semuelem, quamvis Gideon et Manoah ædificaverint aram, id tantùm privatim ſibi illos feciſſe: ſed Saul, tanquam Regem, pro toto eam Iſraele ædificaſſe. Quare cum dicitur primus, ſubintelligitur Rex. *cap. 10.*

II. R. David Kimhi ad hunc locum ait, velle S. Scripturam, hanc primam fuiſſe aram, quam Saul extruxerit: nam cum in Gilgual ſacrificaret Domino, eum reperiſſe aram iam ædificatam. Nec abnuit hunc ſenſum phraſis Hebræa: quia non dicit Scriptura הוא החל *ille incepit*, ſed אותו החל *illam incepit*. Eandem opinionem ſequitur R. Selomoh.

III. Eſt et altera expoſitio veterum Hebræorum. Nimirum, ille incepit ædificare, i. e. ille princeps manum operi admovit, et fundamentum orſus eſt, primo lapide poſito: exinde cæteri ſecuti ſunt exemplum.

IV. R. Levi ben Guerſon, & Iſhac Abravanel putant, hunc textum referri ad antecedentia verba, quibus dicitur, quemadmodum Saul, monitus populũ carnes comedere non ſatis expreſſo ſanguine, juſſerit advolvi petram: atq; hãc eſſe illam, quã verſus antea citatus dicit primo ad ædificandum jactam: nam adverbium אותו *illam* referri poteſt ad *petram*: quia nomen אבן *lapis*, eſt commune, et nunc in maſculino, nunc in fœmineo genere uſurpatur.

---

## QVÆSTIO XXX.

| | |
|---|---|
| Gen. 8. 22. *Deinceps omnibus diebus terræ, ſementis &c.* | Eccleſ. 1. 4. *Et terra ſemper manet.* |

EX priore loco collegeris certum ac determinatum mundo tempus eſſe: quod ſi ita eſt, quomodo ſapiens dicit, ſemper terram durare?

## CONCILIATIO.

*lib. 2. ca.*
NOn ſolum hi duo verſus, quos adduximus, pugnare videntur; verum et *27. 21. &*
alii complures, qui pro alterutro horum adferri poſſunt. R. Moſeh in *29.*
Directore ſuo credit mundum fore æternum; et opinionem eorum, qui *† Eccleſ.*
putant neceſſario eum finem habiturum, non eſſe caput fidei. Corroborat *1. 2.*
hanc ſententiam aliquot locis S. Scripturæ: quorum inter cætera eſt ille ſuprà *‡ Pſalm.*
memoratus, *et terra ſemper permanet* †. Idem infert ex verbis Davidis: *fun- 104. 5.*
*davit terram ſuper locum ſuum, ne dimoveretur in ſæculum et perpetuum* ‡. Itẽ: ** Ibid.*
*Laudate Dominum cœlorum &c. quia ipſe præcepit, et creata ſunt, et ſtare fecit ea 148. 5.*
*in perpetuum, in ſæculum decretum dedit, et non tranſibit**. Dein etiam illis, quæ *Ierem.*
dicit Ieremias: *Qui diſponit Solem ad lucem interdiu, ſtatuta Lunæ, et ſtellarum 31. 34*
*ad*

*ad lucem noctem. Si removeri possunt statuta ista à facie mea dicit Dominus, etiã semen Israel removeri poterit &c.* Citat præterea hæc verba sapientis: *quicquid facit Deus, illud est in perpetuum: ei non est addendum, nec de eo detrahendum quicquam.* Ait ideo R. Mosseh, mundum, quia undiq; perfectus sit, ac nihil supervacui habeat, nihil requirat; æternum esse, nec perfectiorem ei formam induci posse. Eodemq; modo loca reperiri ait, ex quis probetur, solium honoris,

Lamẽt. quamvis creatum, æternum fore. Nimirum ista: *Tu Domine in sæculum perma-*

5. 19. *nebis, solium tuum in generationem et generationem.* Et alio loco: *Solium tuum,*

Psalm. *Deus, in sæculum et sæculum.* quibus verbis æternitatem ejus indicari putat. E-

45. 7. tiam quia durum videtur dicere, immortales animas sanctorum & priorum virorum corrumpi aut exstingui posse, statuebat mundum æternum esse; et versus, quos supra allegavimus, simplicissime, et quomodo sonant, accipiendos. Sed enim cum multis aliis S. Scripturæ locis affirmetur, fore ut hæc mundi machina dissolvatur ac pereat, ait metaphoricè illa intelligi debere, et esse parabolas prolatas, ad repræsentandum bonum aut malum aliquem eventum; uti cum Iesaias exaggerans destructionem Babel, et perniciem Sanherib ac Nebuhad-

Iesai. 13. netsar, poëticâ phrasi ait: *Stellæ cælorum, & sydera eorum, non facient ut luceat*

10. *lux sua. Tenebrosus erit Sol ab exortu suo, et Luna splendidam non edet lucem su-*

Ibid. *am.* Mox eadẽ de re loquẽs: *Idcirco, inquit, faciam contremiscere, et moveri ter-*

vers. 13. *ram de loco suo.* Quæ omnia necessario metaphoricè accipienda sunt; nec quisquam tam imperitus, qui illa proprie exponens, dixerit, Solem, Lunã, stellasq; illo tempore terram non illustraturas: ac terram cum tremore dimotum iri à loco suo: sed totum hoc repræsentat solùm illis regibus cum victi essent, omnem lucem meras tenebras futuras; ipsumq; cœlum contra eos conspirasse. Sic quoq; quãdo idẽ Propheta cum efficacia ob oculos ponit miserias superven-

Ibid. turas Israëli tempore Sanherib, exprimit hoc aliis, sed per similitudinẽ, verbis:

24. 19. *Confringendo confringet se terra, dissipando dissipabit se, movendo se movebit, a-*

Ibid. *gitando se agitabit &c.* ad ultimum, ubi Sanheribi exitum prædicit, inquit, *et*

vers. 23. *erubescet Luna, et pudore afficietur Sol.* Quod, ut ait divinus Ionatan ben Vziel, etiam significat, quando nationes conspecturæ essent idem quod Hierosolyma afflixisset malum, Sanheribo incubuisse, tunc fore ut puderet eas Solem ac Lunam coluisse, et intellecturas esse, hæc à Deo profecta. Deinde etiam S. Scriptura ad exprimendum otium & quietem Israëlis post mortem illius tyranni, ait Solis & Lunæ lucem auctum iri, ac Solis lumen septuplo majus fore luce septem dierum: nimirum dierum initiationis domus Salomonis, quæ omnia metaphorice dicuntur. Contra quando refert destructionem Edom, di-

Ibid. cit: *Et liquescet omnis exercitus cœli, et complicabunt se instar chartæ, et omnis*

34. 4. *exercitus ejus decidet, quomodo decidit uva de vite.* Quibus verbis innuitur, illustres viros, qui dignitatis caussâ cum stellis comparari poterant, subito tunc casuros, quemadmodum uva de vite decidit. Idq; Deus Israëli significare voluit, quando inquit: Adspicerent cœlum: etenim visuros eos, quomodo velut fumus evanescat, et terra panni instar inveterascat. Ideoq; exhortatur eos, agnoscerent à Deo salutẽ sibi datam: quoniam illi, qui fastigio suo cœlum se contingere existimassent, subito cadentes, et fumi instar pereuntes, contrarium sensuri essent. Quando autem regni restitutionem Israëlitis annunciat, ait se renovaturum iis cœlum ac terram, ac si diceret, tale eorum imperium fore,

quasi

quasi novus aliquis mundus illorum gratiâ creatus foret. Et quia monarchiam
potentes amissuri erant, comparat eos montibus et collibus, dictitans, *quamvis* *Iesaias.*
*hi montes recederent, et hi colles dimoverentur*; tum pergens, nulla inquit, tristi- 54. 10.
tia, nullus amplius luctus, sed læta omnia erunt: quod denotatur iis verbis, quis
de novo cœlo loquitur. Et alibi: *Nam ecce ego creaturus sum cœlos novos, et ter-* *Ibid.*
*ram novam*; quis similitudinibus demonstrat, fore quasi novum mundum, quo 65. 17.
oblivio omnium malorum, et acceptarum calamitatum futura sit: idq; ipsum
prænuntians Propheta, ait: *Neque commemorabuntur hæc priora, neq; venient* *Ibid.*
*in animum. Sed gaudete et exsultate in sempiternum.* Eodem modo hæc loca
interpretatur R. David Kimhi. Aben Ezra, quoq; per novum cœlum designari
existimat purum ac salubrem aëra, qui illo tempore futurus sit. Hac, qua dixi
ratione, R. Mosseh prædicta loca, et quæ alia interitum mundi significare vidē-
tur, explicat, ut fusius apud illum videre est. Atque ut verbo complectar, ait,
quibus æternitas mundi significatur, propriè accipienda: neq; inde quod S. S.
dicat *dies terræ* sequi limitatos ejus dies esse, qui æterni atque infiniti sint: ete-
nim sic quoque de primâ caussa, quæ æterna est, dicere Davidem, *Et anni tui* *Psalm.*
*nunquam finientur.* Quantum autem ad opinionem Aristotelis, putantis, quic- 102. 27.
quid principium habuit, idem & finem habiturum; fatetur Mosseh, locum id
habere in generatis, et principium naturale habentibus; illa enim necessario
quoq; finem acceptura: sed uti ex fide Mosaica discimus mundum divina vo-
lũtate principiũ habuisse, ita et ab eadẽ dependere existimat, utrũ æternus fu-
turus sit, nec ne. Super hac quæstione disserit R. Mosseh, cuius opinionem va-
rijs argumentis defendit R. Levi ben Guerson in opere Milhamot a-Sem, et *lib. 6.*
Philo Iudæus. *Part. 1.*

II. Divini Theologi Cabalistæ, quos Plato in Timæo secutus est, putāt, quē- *cap. 16.*
admodum Chaos æterna mater est, sic quoq; et generationem ejus, quæ ab æ-
terno & omnipotente patre, ac summo creatore provenit, æternam esse, hoc
est successive in infinitum durare, ut mundus inferior quibusq; septem mille an-
nis, cœlum quinquaginta annorum millibus locum *novo factura sint cœlo et mū-* *Zoar.*
*do.* Hoc aiunt Adamum tradidisse Setho, hunc Hanocho, Hanochum Noacho, *Par. Be-*
illum Semo, hunc Hebero, Hebræorum Patriarchis: postea id confirmatum es- *resit. et*
se à Moseh, et significari per sex divinos illos creationis dies, qui repræsentant *par. Va-*
sex millia annorum, quia, ut ait Psalmographus, dies Domini est mille anni: *icra.*
*Mille anni in oculis tuis sicut dies &c.* Sic etiam in præceptis sanctæ legis iu- *Psalm.*
betur populus Israëliticus ab exitu ex Ægypto numerare septem hebdomadas, 90. 4.
h. e. dies *XLIX.* et quinquagesimo die celebrare festum datæ legis: quo tem- *Levit.*
pore cum universo populo munera sua Deus communicare volebat: eaque re 23. 15.
denotantur septem illæ revolutiones mundi inferioris spatio *XLIX.* annorum. *ibid.*
Atq; idem designavit Moses in præcepto Semitæ, quo jubetur populus sex an- 25. 3.
nis colere terram, septimo autem cultum intermittere: quia iuxta Astrologos
magnus annus sunt mille anni. Adeo ut hac ratione septem isti anni indicent,
Chaos continenter per sex mille annos propagaturum species, quæ generari
queant; at septimo millenario cessaturum id, omniaq; ad primam confusionem
reditura. Nec alia de caussa שמטה vocatur, hoc est, *intermissio* proprietatis ōni-
um rerum, quæ septimo millenario resolvẽtur in prius Chaos. Iubet quoq; Lex *Ibid.*
transactis septem septenariis, sive cum septies Semita trāsierit, quinquagesimo *vers. 10.*

anno

anno celebrari Iubilæũ, quo tempore omnis servus libertatem recipiebat, fructus communes erant, et hæreditas quaq; ad priorem dominum redibat: quod manifeste quinquagesimum annorum millenarium denotat, quo renovabitur tam hic inferior, quam cœlestis orbis, cunctaq; ad radicem fontemq; suum revertentur: nimirum elementa, quæ ex prima materia ortum trahunt, in eam redibunt; spiritualia, quæq; solo intellectu comprehenduntur, reducentur ad summum Deum, patrem et autorem suum; ut ait doctissimus R. Selomoh ben Guebirol, in opere suo Keter Malchut (*Ex sancto*, inquit, *loco veniunt, et rursum à fonte lucis colligentur*) ibique lucidè conservabuntur in altissimis ideis intellectus divini. Nam angeli et animæ unientur cum illo, uti scintillæ cum Sole, usq; ad novam revolutionem ipsarum. Et illa quidem Cabalistarum est opinio,
† *Sãhed.* quam R. Ketinà † confirmat in Thalmude, sex millia annorum mundum du-
*cap.* 11. raturum dictitans. Idem quoq; in Pirke R. Elihezer ‡, et in Thalmud Hiero-
‡ *cap.* 51. solymitano tractatu de Sabbato, à R. Mehir dicitur. Etiam R. Tordos Levita, in opere suo Osar a-Cabod, ait unam generationem Cabalistis L. annos esse:
*Psalm.* eodemq; modo cum Psalmographus ait, *verbum præcepit in mille generationes*
105. 8. significat quinquagies mille annos, quibus mũdus duraturus est. At utrũ ãte hũc mundum alij fuerint, et post eum plures futuri sint, affirmare et disputare nefas judico: nam veritatem periculosam celare, prudentis; proferre, temerarii est: sufficit, quòd sciamus, credere eos, hunc mundum, ut principium habuit, ita et finem habiturum. Vnde loca, quibus corruptio mundi affirmatur, propriè, et secundum ipsa verba accipiunt; cætera, ex quibus contrarium elici videatur, aliter exponunt. Ita quando sapiens ait, terram semper duraturã, negant עולם *Olam*
† *Exod.* denotare æternam durationem, sed tempus limitatum. Vti cum de servo dici-
21. 6. tur † ועבדו לעולם *et serviet ei perpetuo*, et de Semuele dixit mater ‡ וישב שם עד עולם
‡ *I. Sem.* *et manebit ibi in sæculum.* Quibus locis necessario dicendum est, tempus limita-
1. 22. tum denotari: nimirum famulum usq; ad Iubilæum, Semuelem usq; ad mortẽ
* *lib.* 3. suam mansurum, ut recte observatum R. Iosepho Albo in Icarim *. Quod ve-
*cap.* 16. rò David ait †, *posuit terram supra fundamenta sua, non movebitur in sæculum,*
† *Psalm.* uti supra ostendimus, æternam durationem nequaquam significat, sed limitatã:
104. 5. vel, ut R. Bahye ‡ inquit, ostendit, adeò firmam naturam iis à Deo datam esse,
‡ *Par. beabalotha* ut naturaliter nunquam ex loco suo moveri, aut finem habere possint, sed solà Dei voluntate. Eodem modo intelligenda hæc verba ", *Et stare fecit ea à sæculo*
" *Psalm.* *in sæculum.* Neque adversatur, quod sapiens * dicit: *Quicquid Deus fecit, sem-*
148. 5. *per mansurum*, quando עולם, quemadmodum jam probatum nobis, non signifi-
* *Ecclés.* cat æternitatem. Sic etiam idem sapiens ait: *Quod fuit, jam est, et quod futu-*
3. 14. *rum est, jam fuit*: respiciens, ut videtur, ad illam mundorum successionem: nimirum vult, illud, quod futurum est, jam fuisse, in altero scilicet mundo.
*Ibid.* Quod verò dicitur solium Dei perpetuo mansurum, sive, per solium illud intelli-
*uers.* 15. gi debeant angeli, sive cœli, iam ostensum est עולם designare tempus limitatum. Sic quoque Ieremias, cum prædicit duraturum Israëlem, quamdiu cœlum et terra statura essent; primo ostendit mundi corruptionem; sed quamdiu ille maneret, etiam mansurum Israelem; quando finiretur, simul finem Israëli fore: si omnia creata revertentur ad radicem et fontem suum, quid mirum eandem conditionem Israëlis esse? Itaq; hoc modo recte conciliantur versus. Quamvis autem hæc quæstio (ut R. Moseh ait) non sit caput fidei, et quisque inoffensã

consci-

conſcientiâ, opinionem quæ maximè arridet ſequi poſſit, illa tamen Cabaliſtarum ſententia ut verior, ita et pia magis videtur. Eamq; in ſermone ſuo amplexus eſt R. Moſſeh Gerundenſis, R. Haſdai, libro IV. Or a-Sẽ diſcurſu I. et R. Abraham bar David in ſuis Aſagot: etiam R. Selomo bẽ Aderet in quæſtionibus ſuis dicit, hanc veritatẽ à prophetis ſapientibus acceptã eſſe, quod omnia creata interitura ſint in fine mundi. Idque ipſa, ut videtur, ratio illi dictavit. Etenim ſummus Creator noluit creare quidquam ſimile et coæternum ſibi: qualis ſi mundus fuiſſet, non agnoſceret Creatorem ſuum, diceretq; creatura Autori ſuo, nequaquam me feciſti. Eam ob cauſſam voluit Deus opt. max. cætera omnia corruptibilia eſſe, ut agnoſcerẽt magnitudinem Creatoris ſui. Adde quod diſertim illud David demonſtrat, cum ait †, *Ante fundaſti terram, et opera manuum tuarum ſunt cœli: illi peribunt, et tu permanebis.* Et alio loco ‡: *Idcirco non timeremus, ſi commutaret terra* (locum) *aut ſi dimoverentur montes ad cor maris.* Nimirum in Iubilæo magno, ut jam dictum eſt. Idem quoq; innuit Propheta Ieſaias *, *Ego,* inquit *ſum primus, et ego ſum ultimus.* Igitur ſi Deus noviſſimus erit, et poſt creata permanebit: ſequitur creata omnia peritura, alioqui Deus poſtremus eſſe nequiret. Neque in eo difficultas ulla eſt, quod ajunt, cœlum nequaquam eſſe compoſitum ex contrariis, quæ corruptionis cauſſa ſunt. Nam cœli quidem naturaliter non peribunt, quam ad rem requirerentur cõtraria illa: ſed divinâ voluntate, quæ cum cœlos ex nihilo creaverit, iterum eos in nihilum rediget. Quid quod memorantur in Bereſit Rabba, qui cœlos ex contrariis cõpoſitos aſſeverant, ideoq; eos vocari שמים, quæ vox compoſita eſt ex אש מים *es, maim,* (*ignis* et *aqua.*) Quod Platonem quoque, et philoſophorum alios, ſenſiſſe affirmat Leon Hebræus. Sed ne longior ſim ſuperſedeo. Qui plura ſuper hac re velit, adeat quæ docte commentatus eſt in Miphalot Eloim *a*, Iſac Abravanel, qui accuratè omnem hanc rem perſequitur. Videat quoq; Leonis Hebræi Philographiam *b*, R. Moſeh Gerundenſem ad caput XXV. Levitici *c*, R. Bahye ſupra caput X. Numerorum *d*, Elihezer Germanum in Maaſſeh a-ſem *e*, deinde Maarehet a-Elaut *f*, denique inſpiciat quæ egregie hac de re ſcripſit doctus & ſapiens Cabaliſta R. Ishac de Loria *g*, et R. David ben Zimra *h*, et R. Menahem de Ricanat *i*.

*Ariſba artic. 9.*
† *Pſalm.* 102.26.
‡ *Ibid.* 46. 3.
* *Ieſ.* 44. 6.
*cap.* 4.
a *toto li. octavo.*
b *Dial.* 3
c *Par. Bear.*
d *Par. be-aalotha.*
e *Maaſe ber. c.* 13
f *Hayat. ſaar aſebiyot.*
g *Adam cadmon.*
h *Magen David.*
i *Rican. Par. bear Sinay.*

---

## QVÆSTIO. *XXXI.*

| | |
|---|---|
| Gen. 10. 22. *Filii Semi, Helan, et Aſſur, et Arpahſad.* | Ibid. 11. 10. *Hæ ſunt generationes Semi. Sem cum eſſet centum annorum genuit Arpahſad.* |

AIt Scriptura, Semum poſt Arpahſad genuiſſe filios et filias: unde videtur Arpahſad primogenitus fuiſſe, qui dicitur biennio poſt diluvium natus: quod ſi ita eſt, quare præponuntur ei Helam et Aſſur?

### CONCILIATIO.

SAcra Hiſtoria non obſervat ſemper ordinem temporis. Quare ſi Arpahſad

ſad primogenitus fuerit, nihilominus Helam et Aſſur prius nominantur; uti et
Exod.6. 27. dicitur Moſeh atq; Aharon, quamvis Moſeh minor natu fuerit.

II. Poſſimus etiam dicere, Elam natum eſſe in Arca, et ſequente anno Aſſur: atq; ita recte dicitur, Arpahſad biennio poſt diluvium natum eſſe. Quod verò ait Scriptura, Semum poſt Arpahſad genuiſſe filios et filias, intelligitur hoc de aliis, qui non nominantur: quia in lege non memorantur omnes uniuſcuiuſq; generationes, ſed illæ tantum, quarum propter hiſtoriam hanc vel illam mẽtio neceſſaria eſt.

---

## QVÆSTIO *XXXII.*

| | |
|---|---|
| Gen. 10. 25. *Et ipſi Heber nati ſũt duo filii: nomen unius Peleg, quia in diebus illius diviſa eſt terra.* | Multo tempore pòſt facta eſt diviſio terræ. |

SI Ioctan erat minor filius Pelegi, atq; ille habuit multos liberos antequam terra divideretur, ut ex S. Scriptura conſtat; poſtea verò, ubi omnes illi receſiti ſunt, narratur hiſtoria turris Babylonicæ: quomodo dicitur priore verſu, Pelegum id nomen accepiſſe, quia in diebus illius diviſa eſt terra?

## CONCILIATIO.

cap. 1. IN Seder Olam legimus, turrim Babylonicam conditam extremis annis Pelegi, et Heberum prophetico ſpiritu in rei futuræ ſignum Pelego vocabulum impoſuiſſe, quod denotaret diviſionem. Eandem opinionem fovet
cap. 37. R. Ioſeh bar Halpetah in Bereſit Raba.

II. At doctus Aben Ezrah, terram centeſimo poſt diluvium anno diviſam putabat, idq; accidiſſe quo tempore natus eſt Peleg: quem ſi ſequamur, dicendũ Scripturam non ubiq; rationem temporis atque ordinis habere, et quãvis prius memoret nativitatem fratrum Pelegi, natos tamen eſſe poſt diviſionem, et conditam turrim.

Ad hunc locum. III. Iſhac Abravanel caſu impoſitum Pelego hoc vocabulum ait: ſed poſtea cum fieret diviſio terræ, homines pro omine accepiſſe, perinde ac ſi divinâ inſpiratione, in futuræ rei ſignum id accidiſſet. Sic etiam Iacobus quidem ita nuncupatus, quod in nativitate fratrem calcibus percuſſiſſet: tamen Eſavus,
Gen. 27 36. cum ejus fraude benedictione ſe excidiſſe videret, dixit, *Verè vocatum eſt nomen ejus Iahacob:* quaſi diceret, bene congruit hoc nomen illi, quia bis me decepit. Etenim עקב ſignificat *calcitravit*, et *decepit.*

IV. Fieri etiam poſſit, ut, quia vivente eo facta eſt diviſio, ad miraculi memoriam ei tale nomen ab hominibus inditum ſit: et ſic verba iſta כי בימיו נפלגה transferre oporteat, *eo tempore quando vivente illo diviſa eſt terra.* Nam adverbium כי multis locis denotat *quando.*

V. R. Selomoh in expoſitione Chronicorum ait, per diviſionem terræ non denotari diſperſionem generis humani, quæ facta eſt tempore turris Babylonicæ; ſed velle iis verbis Scripturam, hominum vitam tempore Pelegi, dimidia

parte

parte imminutam. Nam ante Arpahsad ii vivebant annos CCCC. et ultra: Peleg, et posteri eius, ducentesimum ætatis annum non multo excesserunt. Quod alio loco Aben Ezrah quoque affirmat, et inde Pelego id nomen impositum arbitratur.

---

## QVÆSTIO XXXIII.

Gen. 11. 5. *Et descendit Dominus ad videndam civitatem.* Numer. 22. 9. *Et venit Deus ad Bilham.*

1. Reg. 8. 27. *Ecce cæli ipsi, et cæli cælorum non capiunt te.* Item Ierem. 23. 23.

ASscendere et descendere sunt accidentia corporis, quod quando ex altiore loco in humiliorem se demittit, dicitur, descendere: contra ascendere, cum ex humiliori loco in sublimiorem transfertur. Sed cum Deus, quippe incorporeus, nullum corporis accidens admittat, quomodo descendisse dicitur ad videndam civitatem? Præterea cum Dominum, ut altero loco dicitur, nec cœlum nec terra omnis comprehendat; quia, ut verbis Philosophi cujusdam utar, circulus est, cuius centrum in omnibus partibus est, et circunferentia omnes excedit: cur necessarium erat descendere illum, cujus gloria est plenitudo omnis terræ?

## CONCILIATIO.

ÆQuivoca apud Hebræos sunt verba ista ירד *Iarad*, et עלה *alà*, quæ iuxta R. Moseh † tria significãt. Primo *adscendere*, et *descendere*, motu vide- † *Moreh*
licet corporali, ut in objectione diximus. Secundò attolli honore, vel *lib.* 1.
deprimi, quomodo in benedictionibus Israëli promittit Deus‡ ונתנך ״ עליון *Et po-* *cap.* 10.
*net te Dominus excelsum supra omnes gentes*: nimirum, dignitate: in maledi- ‡ *Deut.*
ctionibus quoque ait, *peregrinus qui intra te evehetur, et tu deiicieris*: scilicet 28. 1.
à dignitate et gradu tuo. Tertio, applicatur ad intellectum, qui quando con-
templatur sublimia ac divina, dicitur adscendere: ut, *Et Moseh adscendit ad* *Exod.*
*Deum*: nimirum contemplatione; et quando demittit se intellectus ad inferio- 19. 3
ra, dicitur descendere. Quare, quando Dominus invisit mortales, ut præmio aut pœnâ eos afficiat, dicitur descendere, quia cum homo comparatione divinæ majestatis nihil sit, apparet non pro dignitate ejus esse, quod humiles adeo per-
sonas respiciat: ut ait Psalmographus, *Quis est homo ut ejus memor sis?* Atq; *Psalm.*
hanc in mentem cætera quoque Scripturæ loca intelligenda sunt, quibus D. 8. 5.
Deus descendere dicitur.

II. Acutè profecto doctus Aben Ezrah ait, animam hominis cœlestem et illu- *Par. Itrò.*
strem; corpus terrestre atq; è materia esse: neq; in mundo inferiore præter ho- *et Par.*
minem esse quidquam, quod loquatur et intelligat: cum autem sermo proprium *Korah.*
sit hominis, compositi ex incorporea animâ, et corpore è quatuor elementis;
eum quando humiliora alloquitur, eadem supra dignitatem eorum attollere, † *Par. bò*
et ad naturam suam adaptare. Hinc quoq; in Ialcuth †, et Midras Koelet ‡ fie- *el Parbò.*
ri legimus, quod S. Scriptura terræ caput, os, coxendices, manus, & cor tri- ‡ *in prin-*
buat *cipio.*

buat, quæ cuncta improprie accipienda, quia terra illis membris destituitur: sed homo ei affingit, quicquid ipse habet, agitq; cum ea tanquam homo esset. Similiter quoque, quando superiores homo alloquitur, scilicet eos qui in mundo angelico sunt, quia ipse multum infra eorum perfectionem est, deprimit eorum celsitudinem et dignitatem, ac divina sibi æquat, quomodo de angelo Gabriele † dicitur, brachia, pedes, et vox ejus &c. quia concipit eum homo in formâ humanâ. Eandemq; viam insistunt prophetæ, quando de ipsâ majestate divinâ loquuntur: ut, *Et galeam salutis capiti suo.* Sic os Domini, manus, oculi, aures, &c. apud eosdem reperias. Nimirum ei, qui incorporeus est, membra corporea tribuunt; quæ omnia improprie intelligenda sunt. Igitur S. Scriptura ait Deum descendere, quia quando cum hominibus loquitur, necessario limitatur eius potentia, et magnitudo deminuitur, ut aptetur captui hominis.

*† Dan. 10. 6. Iesaias. 59. 17.*

*et in par. Semot.*

III. Idem quoque ad hunc locum dicit, Prophetas, quamvis Deus ubiq; sit, tamen collocavisse eum in cœlis, quia inde ad inferiores omne bonum promanet, adeò ut cœli ratio & via sint, per quæ diffundat se immensa ejus virtus. Et quemadmodum ait R. Iuda Levita in doctissimo opere suo Cuzari; primæ caussæ idem quod intellectui accidit, quem Philosophi alii in corde, alii in cerebro esse aiunt, rem incorpoream in loco improprie collocantes: quia omnia reliqua membra serviunt intellectui, interventu cordis, aut cerebri, quæ sunt præcipua instrumenta. Sic etiam dicitur Deus B. qui incorporeus est, in cœlo esse, quia per illos absque aliis ullis solâ voluntate divinâ, hæc inferiora regũtur; unde et pium virum vocamus ירא שמים *Ierè Samaim, (timentem cœli)* propter scintillam istam divinam, quæ cum eo conjuncta et unita est: aut quia per motum cœli, ut ait R. Moseh, cognoscimus primam caussam: et hoc respectu, humano loquendi more, dicimus Deum descendere.

*lib. 4. artic. 3.*

*† Helec atahlit. cap. 27. ‡ Mahacrebet Saar a-Mercab. * Gen. 18. 33.*

IV. Divini theologi Cabalistæ, ut tradit R. Mehir Gabay in libro Abodat a-Codes †, et Hayat ‡, intelligũt, quando dicitur descendere Deus, extendi lucẽ eius superne deorsum, et communicari per decem illustria lumina, quæ ספירות vocant, et ascendere eundem dicunt, quando revertitur per easdem decem luces sursum, et retrahit divinũ suum influxum: idq; significari verbis Geneseos*, *abiitq; Dominus, postquam cessavit loqui cum Abraham.*

## QVÆSTIO XXXIV.

Gen. 11. 5. *Et descendit Dominus ad contemplandam civitatem et turrim quam ædificarant filii hominis.*

Ibid. v. 8. *Atq; ita dispersit eos Dominus ex illo loco per õnes facies terræ, et cessarunt ædificare civitatem.*

SI iam omnino turrim & civitatem exstruxerant, quomodo altero versu dicitur destitisse eos ab opere?

## CONCILIATIO.

*cap. 38.*

R. Iodad in Beresit Raba vult turrim quidem, at non civitatem consummatam fuisse. Et videntur verba Scripturæ, si ut sonant ea accipias, favere

vere huic conjecturæ. Nam cum dicitur, *ad videndam civitatem & turrim quam ædificaverant*, verbum illud *ædificaverant* refertur ad solam turrim, quam ad fastigium perduxerant: perstititq; ea longissimo tempore, ut complures autores affirmant. Sic quoque, ubi Scriptura ait opus ab iis intermissum. *cessarunt*, inquit *ædificare civitatem*: ubi turris nomen non additur, quia jam suprema illi manus imposita erat. Etenim, ut ait R. Ishac bar Semuel adarbi in libro suo Dibre Salom, turrim quam ædificarant idololatriæ studio, perfecerunt: quippe libero præditi arbitrio: sed civitatem quam extruere agitabant, ut omnes una natio essent, perficere nequiverunt, quia Deo placebat eos in LXX. diversas nationes dividere. *Par. 58.*

II. Iuxta doctum Aben Ezrah *ædificarunt*, non aliud notat, quam incepe-runt ædificare: et hac ratione, quando altero loco dicitur eos cessavisse, nulla est contradictio.

III. Fieri etiam potest, ut Scriptura solam voluntatem et cogitationis hominum, æstimans, loquatur tanquam re jam perfecta. Certè Ieosuah cum persuadere Israelitis vellet ut firmi persisterent in amore divino, dicit venisse Balak, et pugnasse adversum Israelē; cū tamen Balak non venerit, sed venire voluerit. *Ieoßuah. 24. 9.*

---

## QVÆSTIO. XXXV.

Gen. 11. 26. *Et vixerat Terah LXX. annos, et genuit Abram.* Et 11. 32. *et fuerunt dies Terah anni CCV. et mortuus est Terah in Haran.*

Ibid. 12. 4. *Et Abram erat annorum LXXV, cum exiret ex Haran.*

VIdetur non rectè instituta supputatio. Nam si Terah annum impleverat septuagesimum, quando genuit Abrahamum; et illo, cum annorum esset CCV, mortuo, Abraham ex Haran egressus est: quomodo fieri potest, ut Abraham illo tempore annorum fuerit solum LXX. qui, si recte supputamus, esse debebant *CXXXV.* nam *CXX.* annis de CCV. demtis, manebit numerus *CXXXV.*?

## CONCILIATIO.

SI R. Isaco credimus, Abrahamus LX. annis ante mortem patris sui Harane egressus est: tametsi S. Scriptura prius mortui Terahi, quam egressi Harane Abrahami mentionem faciat. Etenim arcanas ob caussas, ut Quæst. XXII. diximus, prudenter sæpe Scriptura, neglecto temporis ordine, postponenda antè actis præponit; quod passim fieri Aben Azrah notavit. Hinc veteres nostri Sapientes dixere, אין מוקדם ומאוחר בתורה *in Lege non est antepositio aut postpositio*: hoc est, non spectandum est in Lege, quo quidq; ordine memoretur. Sed nullum clarius exemplum, quam principio Numerorum reperias; ubi, primo die mensis secundi, anno secundo ab egressu Israëlitarum ex Ægypto, Dominus Mosem jubet recensere capita Israëlis: eodemq; libro cap. IX. refertur anno secundo ab exitu ex Ægypto, primo mense Israëlitas pascha celebrare *Ber. Ra. cap. 39.*

lebrare jussos. Nimirum tanto intervallo postponitur id, quod toto mense antè evenerat. Qualia complura in S. Scriptura invenire est. Mihi certe videtur ex
Gen. 12. 1. ipsis S. S. verbis probari posse, Abrahamum superstite adhuc parente suo iter illud suscepisse. Etenim cũ Harane exire eũ jubet, ait Deus: *Egredere ex terrà tuà, et ex cognatione tua, et ex domo patris tui.* Quo loco per terrã, patria; per cognationem, propinqui; per domum patris, genitores intelligendi sunt, qui in Haran profecturi erant; nam et illà terrà Deus Abrahamo interdicit. Quærere etiam libet, si Abrahamum jam, postquam Terah, Vr Chaldæorũ relictâ, mortuus erat, Dominus Harane excedere jussit: quomodo dicere ei potuerit, *exi ex terra tua*, qui jam extra illam erat? Nimirũ manifeste hoc ostendit, Abrahamum vivente adhuc patre id mandati accepisse. Quod verò in ordine historiæ Terahi mors vocationem Abrahami præcedat, nec novum, nec mirandum: quippe ad finem usq; prosequi vitam illius voluit, ne interrumpenda essent, quæ de Abrahamo postea memorantur.

II. Facilius tamen hœc loca conciliaveris, si non habitâ ratione ordinis, quem S. Scriptura observat in enumerandis Terahi liberis (nam Abramũ primo, exin Nahorem, tertiò Aranum nominat) dicas Abrahamum natu suisse minimum,
*Sãhedr. cap.* 8. sed ob excellentiam præponi cæteris; quod etiam in Gemara notatur, et nos Quæstione XX. de Semo affirmavimus. Id autem certissime hinc probatur, quod in Gemara Sanhedrin cap. VIII. veteres dicant יסכה *Isca* esse שרה *Sara*, ita nominatam, quia vestita esset spiritu sanctimoniæ. Vti Deus ipse Abrahamo indicavit, dicens, *In cunctis, quæ tibi Sara dixerit, audi vocem ejus.* Iam verò Iscam illam, aut Saram ait textus esse filiam Arani, quam constat fuisse decennio minorem Abrahamo: unde ipse admirabundus ajebat, *an nato centum annos nascetur* (proles)*? et an Sara nonaginta annos natu pariet?* Iam si Terahus septuagenarius genuit Abrahamum, sequente anno Nahorum, tertio Aranum: Abram biennio major Arano erat; unde si anno unum demas, quo prægnans fuit Milca, alterum quo Isca aut Sara fuit gravida, consequatur Aranum sexto ætatis suæ anno generavisse; quod, absurdum est, uti recte observat R. Hazariah a-Adumi in opere suo Imre Bina cap. XVII. Quare dicemus, Terahum cum LXX. annorum esset, liberos genuisse, et primo Nahorem, aliquot post annis Aranum, inde sexaginta annis completis Abramum. Qua ratione fieri potuit, ut Teraho annum ducentesimum & quintum implente, Abramo quintus & septuagesimus finiretur.

---

## QVÆSTIO XXXVI.

| | |
|---|---|
| Gen. 12. 5. *Et assumsit Abraham Sarai uxorem suam, et Lot filium fratris sui.* | Ibid. 13. 8. *Et dixit Abraham ad Lot, ne sit deinceps lis inter me et te, et inter pastores tuos ac pastores meos, quia viri fratres nos sumus.* |

LOth genitus erat fratre Abrahami: cur ergo frater eius appellatur?

CON-

## CONCILIATIO.

CONstat in S. Scriptura avis parentū, nepotibus filiorū nomen dari. Quare si Lot Terahū, avum suum, patrem nuncuparet, cōsentaneū erat ut frater Abrahami vocaretur. Certè illa ratione ipse Abrahamus, Saram, Haranis fratris sui filiam, apud Abimelechnm sororem nominavit.

II. R. Iuda bar Simon, ait dicere Abrahamum, nos sumus tanquam fratres, quia simili ingenio uterq; erāt; id est, pii, et virtutis sectatores: quippe ab optimo magistro uterque eruditus. Etiam R. Mosch in Directore ait, illud fratris vocabulum aliquam morum atq; animi congruentiam denotare. *Beres. R. cap. 41. More. li. 1. cap. 4.*

III. In Pirque R. Elihazer legimus, quemadmodum nepotes filii, ita et fratrum filios in S. S. fratres appellari. *cap. 36.*

IV. Aut dicendum est, propinquis, et omnibus his quibuscum arctam colimus amicitiam, fratrum nomen dari. Sane Iacobo cum uxoribus suis è domo patris Betuelis profugo, ait Scriptura Labanum fratres suos assumsisse; et postea, Iacobum fratribus suis imperasse, ut lapides colligerent: ubi fratrum vocabulo designantur propinqui Labani, et liberi Iacobi, qui auxilio illis erant in adversis. Etenim nec Laban, nec Iacobus, fratres habuere. Eodemq; modò intelligenda Iacobi ad Rachelam verba †, cum se fratrem patris ejus nuncupat; quāvis eius sorore natus; sed dicere volebat propinquū se ejus esse. Neque aliam ob caussam David Ionathanem deplorans, fratrem nuncupat ‡, quia socius fuerat. Etiam de Levita * qui quinquaginta annos inter sacra exegerat, Scriptura ait, serviet fratribus suis; id est, sociis. *Gen. 31. 23. Ibid. vers. 46. † Ibid. 29. 12. ‡ 2 Sem. 1. 26. * Num. 8. 26.*

---

## QVÆSTIO XXXVII.

Gen. 12. 13. *Deinceps soror mea eris.*

Ibid. 26. 5. *Eo quod obedierit Abraham voci meæ, et custodierit præcepta ac mandata mea.*

INter sexcenta et XIII. præcepta Legis unum est de fugiendo mendacio. Iam si Abraham mentitus est, et sororem suam esse dixit, quæ conjux erat; quomodo altero loco ille mandata divina custodiisse dicitur?

## CONCILIATIO.

SVnt qui putent, prophetas mentiri nec debere, nec posse: quare quando in sacris literis contrarium inveniunt, ajunt verba ambigua esse, et sub specie mendacij occuli veritatem. Vnde iidem negant mentitum Abrahamum, quia (ut superiore Quæst. ostendimus) cum neptis appelletur filia, poterat quoque Abrahamus, incorruptà veritate, Saram appellare sororem; quippe genitam Arano, fratre suo, filio Terahi: aut etiam, ut ibidem annotavimus, iis verbis propinqua designabatur. Eodemq; modo astutiam Iacobi excusatum eunt, quando à patre Isaco interrogatus quis esset, respondit; Ego, Esav primoge- *Gen. 27. 19.*

nitus

nitus tuus: ac si dixisset, Ego: tum pausum quiescit, ac si diceret, sum qui sum; Esav tuus est primogenitus. Vel, ut inquit R. Bahye, ego sum in loco Esavi, et repræsento eum, postquam vendidit mihi ius primogenituræ. Illud verò, quod
Gen. 33. dixit fratri suo: *sic enim vidi faciem tuam, quasi vidissem faciem angeli*, non fuit, ut arbitror, adulantis: sed dubiis verbis affirmavit, non minus se timuisse aspectum eius, quam solent homines revereri adspectum sacrosanctorum. Eâ quidem mente ipse Patriarcha ea verba protulit, quamvis videretur Esavo indicare adeò se lætatum conspectu ejus, ac si ipsos angelos vidisset. Talibus autem ambagibus atq; intricatis verbis, et quocumq; ducantur inclinaturis, uti licet, modò necessitas urgeat, et bono fine, atq; absque alterius damno id fiat. Sic sane fecerunt X. Patriarchæ, cum coram Iosepho stantes dixerunt de ipso Iose-
Ibi 42.3 pho והאחד איננו *et unus non est amplius*: ambigua significantes, aut mortuum esse eum, aut saltem ignaros sese, quid ei evenisset. Eodem modo excusare Mosem
Exod. 8. 23. possumus, quando Pharaoni dixit, *iter tridui ibimus*: quæ quamvis manifeste dolosa verba videantur, tamen, ut sentit Aben Ezrah ad cap. V. Exodi, vera erant: quia ex Ægypto ad montem Sinai, quo contendere in animo habebant ad accipiendam legem, rectà regione est tantum iter tridui. Neq; sic Moses se
quæst. 13 in Exod. tom. 4. ad cap. 3. Exod. ad reditum obstringebat; tantùm dixit, *viam tridui conficiemus*. Augustinus, Tostatus, & Nicolaus Lira, effugium hisce verbis quærẽtes, dicunt Mosem quidem tunc temporis spatium tridui petiisse; ut si concederet id Rex, cum populo tridui iter procederet: sed postea reversurum, et Dei nomine plus temporis petiturum fuisse. Sed prior sententia, quam nos diximus, verisimilior videtur;
I. Sem. 16. 2. quia ab uno loco ad alterum tridui tantum iter est. Hoc pacto etiam Semuelem excusaveris, quando ad ungendum Davidem profecturus, vitulum assumsit, ut hoc obtentu velaret iter suum, alioqui suspectum Saulo futurum, dixitq; iussu Domini se vitulum ad immolandum sumsisse. Nam quantum ad vitulum, vera
a Iebam. cap. 6. b Pehà. cap. 1. c Ialcut. artic. 82 et 162. d Ber. R. cap. 100. vaiicra R. cap. 2. Debari. R. cap. 9. e Iuramẽ tũ. 4. q. 7 f Iuram. 5. nu. 9. g in manum. 12. nu. 8. 9. & 19. locutus est, eumq; immolavit in Bet-lehẽ, etsi non illà solà de caussà iter suscepisset. Adeo ut talibus uti ambagibus liceat, si id exigat necessitas. Sic quoque veteres nostri sapientes dixerunt, quod in Talmud Babylonico *a*, Hierosolymitano *b*, Ialcut *c*, et pluribus locis Rabot *d*, confirmatur, מותר לשנות מפני השלום *licet variare pacis caussa*: ubi illud *variare*, ambiguitatem verborum denotat: *pacis* autem vocabulum id, quod nemini detrimentosum, et proximo utile est, finemq; bonum habet. Quin et exemplo ipsius angeli utuntur: quia is solutâ in risum Sarâ, quòd marito et se ad gravem provectis ætatem, audiret nihilominus se filium parituram esse; Abrahamo non omnia Saræ verba retulerit, sed dimidiam tantum partem: scilicet, risisse eam, quia vetula esset, perinde ac si non de marito, sed se tantum desperaret. Idq; fecisse eum ajunt pacis studio, ne sciret Abramus se ab uxore sua pro effeto haberi. Hanc doctrinam sequuntur multi, in his Sylvester *e*, Angelus *f*, Navarrus *g*, Lesius *h*, et Suarez *i*: unde infertur Patriarchã Abrahamũ mandata diuina non excessisse, sed vera prolocutũ.

II. Contra Abraham Aben Ezrah statuit, Prophetam, qui legatione Dei nomine fungitur, mentiri nulla ratione debere: eum tamen, qui prænuntiat futura, posse si ita res ferat, mentiri: sed tunc demum, quando necessitas adeo valida incumbit, ut nullũ aliud effugium detur: idq; etiam affirmat R. Ieosuah ben

h *lib. 2. de just. cap. 42. dub. 9.* i *Suares lib. 3. de juramenti præceptis cap. 9. 10. et 11.*

ben ſueb in ſermonibus ſuis. Quare cum præcepta data ſint ut vivamus ſecundũ ea quod in Levitico dicitur, non peccabat Abrahamus, cum ad ſervandam vitam mentiretur.

Cæterum ut tota hæc res clarior fiat, dico ſecundum Auguſtinum, mendacii tres ſpecies eſſe, aliud enim pernicioſum, aliud iocoſum, aliud officioſum eſt. Pernicioſum appellatur quod legi et bonis moribus adverſatur, et nemini prodeſt, alicui nocet. Hoc ſemper eſt peccatum mortale. Tale fuit mendacium ſerpentis, Saræ, filiorum Iacobi apud patrem ſuum, uxoris Potifaris, Gabaonitarum, meretricis quæ ad Salomonem venit, falſorum teſtium Izebel, falſi prophetæ Betel, Guehazi, Hazael, et Haman, qui mentiti ſunt neminis commodo, ſed damno alieno. Mendacium iocoſum ad movendum riſum, et oblectãdis hominibus uſurpatur: ſed tali abſtinere debet quicumq; Deum reveretur, huiuſmodi erat Simſonis mendacium apud uxorem Delilã, quod vitã ei tandem ſtetit. Sed officioſum eſt, quod neminem offendit, et quibuſdam prodeſt, idque ſi neceſſitas urgeat, licitum eſt: hoc uſus Abraham apud Pharaonem, et Abimelechum, et famulos ſuos; deinde et Ioſeph, Iſhac, Iahacob, Patriarchæ; obſtetrices Hebrææ in Ægypto, Rahel, Mihal, David, Huſai, Eliſſah: qui mendacii beneficio à periculis evaſerunt, abſq; damno aut offenſa cuiuſquam. Nec Abrahamus ſine cauſſa id fecit; etenim (ut recte iudicat R. Niſſim, R. Ioel ben Sueb, et Iſhac Abravanel) intelligebat, ſi Saram uxorem ſuam eſſe dictitaret, ob eximiam ejus formam periculum ſibi imminere, nec defuturos qui mortem ſibi intentarent, ad obtinendam illam. At ſi ſororem appellaret, non diſcrimẽ ullum, ſed etiam principum virorum gratia eum manebat, qui ad habendam Saram eius amicitiam erant expetituri: potuiſſetq; eos, donec civitate excederet, inani hàc ſpe lactare. Quamvis id quod futurum putabat, non evenerit. Quippe ut in S. Scriptura legimus, Principes, cum tantam formam non caperent, omnes dignam regio faſtigio rati, Pharaoni eam commendarũt. Sed hæc hactenus. Addere libet, in veritate mundum à Deo creatum, nec ſine eà ſtare poſſe. Quod denotatur in principio et fine creationis; nimirum ברא אלהים את *creavit Deus:* quarum vocum tres poſtremæ literæ ſunt ת מ א Aleph, Mem, Tau, quæ conjunctæ faciunt vocabulũ אמת *veritas.* Vnde ait Pſalmographus, *Principium verbi tui veritas.* Rurſum in fine creationis dicitur ברא אלהים לעשות *creavit Deus ad faciendum.* Vbi ſimiliter tres poſtremæ literæ formant vocem אמת *veritas.* Eſtq; unum ex divini attributis illud, nam ait Ieremias: *Et Dominus Deus veritatis.* Hoc dicunt ‡ ſigillũ ejus eſſe: quia ex tribus illis literis prima eſt princeps alphabeti, altera media, tertia noviſſima; ſuntq; ſymbolum primæ cauſſæ quæ principium medium et finis eſt; novit præterita, præſentia, ac futura. Adeoq; ipſa veritas eſt, nam ille ſolus verè exiſtit, quia ab alio non dependet. Igitur his de cauſſis æſtimanda eſt moralis illa virtus, quia ut ait Iſhac Abravanel ad cap. III. Zechariæ, includit omnia activa præcepta, et virtutes Theologicas. Cæterum, ut dixi quando aliter eſſe nequit, neq; offenditur quiſquam, licet uti mendacio officioſo.

*Par. Told. Par. Tiſſa. Deraſot bẽ Sueb. par. Vayera. Auguſt. de mendac. Gen. 3. 4. Ibi. 18. 15. 37 32. 39. 14. Ioſ. 9. 8. I. Sem. 13. 30. I. Reg. 3. 22 Ibid. 21. 13 Ibid. 13. 18 2. Reg. 5. 22. Ibid. 8. 14. Eſter. 3. 8. Iudic. 16. 13. Gen. 12. 13 Ibid. 20. 2. Ibid 22. 5. Ibid. 26. 7. Ibid. 27. 19 Ibid. 43. 18 Ibid. 44 1. Ibi. 50. 16. Exod. 1. 18 Ioſ. 2. 4. I. Sem. 19. 16. Ibid. 20. 1. et 21. 5. 9. 2. Sem. 16. 16. 2. Reg. 6. 8 Gen. 1. 1. Ibid 2. 3. Ier. 10. 10. ‡ Ber. Rab. cap. 91. Midras Sir aſirim. in princi p.*

## QVÆSTIO. XXXVIII.

Gen. 13.16. *Et faciam semen tuum sicut pulverem terræ.* Itē 28. 14. Itē Oseas. 2. 1. *Et erit numerus filiorum Israel, sicut arenæ maris.*

Ibid. 15. 5. *Et dixit, suspice cœlum et numera stellas, si possis numerare eas: et dixit ei, sic erit semen tuum.*

SI in Lege promittit Dominus, Israëlem fore tanquam pulverem terræ; et per Prophetam, instar arenæ maris; quomodo iam Abrahamo dicit fore eos stellarum instar, quarum multò minor est numerus?

## CONCILIATIO.

CItatis supra locis, pulveri, arenæ, ac stellis vario respectu populus Israeliticus comparatur. Etenim arena numerum immensum denotat, iuxta illud Prophetæ: *Eritq; numerus filiorum Israel, sicut arena maris, quæ neque mensuratur, nec numeratur.* Dicit, Israëlem instar arenæ maris fore, quæ etsi infinita haud sit, numerari tamen à quoquam nequeat. At cum stellis ob merita, cum pulvere ob delicta comparatur. Quia recte agentibus Deus gloriam promittit, et decus supra omnes gentes, stellarum instar. Sin pravi essent, ut pulverem eos gentium pedibus, ac dominio subjecturum minatur; et uti consequitur, etiam pulveris instar per omnes mundi plagas dispersurum, quemadmodum in Rabot legimus. Quæ tamen maledictio etiam in se continet benedictionem: nam ut incessu pulvis in sublime attollitur, quemadmodum idem quoq; sepultis iniicitur; ita et Israël postquam à nationibus calcatus erit, supra eas evehetur, et (ut recte notat R. Bahye) erit instar pulveris collecti è quatuor plagis terræ. Ita ut iuxta hanc explicationem facile appareat ratio, cur tribus, quas dixi, rebus comparentur.

*Osseas. 2. 1.* *Beres. R. cap. 41. et 69.* *Par. Vayese.*

II. * R. Ieosuah de Sahnin ex R. Levi, ex illo Philo Iudæus † tradit, Deū evexisse Abrahamū supra globū cœlestē, et monstratis cœli circulis atq; itineribus, dixisse, tale tuū semen erit. Quibus verbis, ut R. Ishac Arama ‡ ait, significare volebat, illius semen simulacrum ac symbolum fore, quod ad vivum repræsentaret stellas ac cœlestem mundum. Vtq; id demonstret, varia adfert: idē quoq; facit Ishacus Abravanel ¶ alio loco, satis cum cura: et quia talium numerum augere arduum non est, libet et hic complulscula eandem in rem mihi observata annotare. Quemadmodum igitur in cœlesti mundo consideratur primum mobile, quod per primam caussam movetur, ut affirmat Ishac in libro suo Ateret Zequenim, et ad cap. XL. Iesaiæ: sic in mundo elementali fuit Abrahamus qui ei responderet, in quo semper motus caussa fuit Dominus: ut, *egredere ex terrâ tuâ, et ex generatione tuâ, &c.* et quemadmodum illud primum mobile ab Oriente in Occidentem movetur; sic de Abrahamo dicit Propheta, *Qui suscitavit ab Oriente iustum.* Primum mobile celerrimo motu suo reliquos omnes orbes secum rapit; Abraham multos permovit, ut venirent ad veram cognitionem Dei: E*t vocavit ibi Abraham nomen Domini:* et alibi, *et animas quas fecerant in Haran:* animas nimirum quas traduxerant ad cultū Domini. Porro

** Ber. R. cap. 44.* *† de antiq. Leg.* *‡ Aqued. saar 31.* *¶ Par. Vayeseb.* *cap. 12.* *Gen. 12. 1.* *Iess. 41. 2* *Gen. 13. 4.* *Ibi. 12. 5*

sicuti

ficuti iuxta nonnullos ex intellectu à materia abstracto, procedit secũda sphæra, in qua collocatur Zodiacus et XII. signa, et infinitus stellarum numerus; sic ab Ishac, qui Abrahami comparatione secundus est, processit Iahacob, XII. filiorum parens, ut etiam observatum est R. Iosepho Chiquitillæ in libro suo Guinat Egoz. Hinc etiam in somno Iosephus prostratas coram se *XI.* stellas vidit, quæ denotabant *XI.* fratres; ipse autem duodecimus erat; qui universi postea in infinitum, ceu stellæ, excreverunt. Et quia *XII.* illi filii, ut diximus, repræsentabant XII. signa, quando Iacobus Iosephum existimabat à ferà raptũ, nulla admisit solatia: quamvis enim complures ei filii essent, tamen numerus manebat imperfectus. Sic quoq; mysterio non caret, quod Patriarchæ numero tres fuerunt, quia in cœlo tria considerantur, Sol, Luna, et stellæ. Sol fuit Abraham suscitatus ex Oriente: Ishac, Lunæ instar, ab eo lucem accepit. Pro stellis Iacobus est, cum numerosà sobole; atque adeo in Midbar Raba liberis ejus stellarum nomen datur. Porro si ordine descendamus ad cœlum firmamenti, sequuntur orbes *VII.* planetarum; quibus respondent septem illustres heroës usq; ad Iacobum: nimirũ, Adam, Set, Noah, Sem, Abraham, Ishac, Iahacob: aut juxta alios, Levi, Keat, Amram, Moseh, Aharon, David, Selomoh: vel Abraham, Ishac, Iacob, Moseh, Aharon, David, Selomoh. Quicunq; illi fuerint, mysterium hâc in re est. Nam quemadmodum Sol est medius inter planetas, quorum tres infra eum sunt, Luna, Mercurius, Venus; tres supra, Mars, Iupiter, Saturnus; eodem modo in utroq; septenario illorum quos diximus virorũ, Moseh, Solis instar, medius est, ideoq; dicunt nostri sapientes, *facies Moseh, ut facies Solis.* Fuerunt etiam in Israële septem mulieres prophetissæ, Sara, Miriam, Debora, Hana, Abigail, Hulda, et Ester, respondentes septem Planetis; sicuti et in Gemara dicitur, XLVIII. prophetas fuisse, qui utilia venturis sæculis conscripserint; iiq; recensentur in Halahot Gedolot, et Seder Olã cap. XXI. Hi nimirum symbolum sunt XLVIII. signorum Astrologis in cœlo observatorum, quorum mentionem facit R. Menahem ben Serah in Sedà la-dareh, et doctus Aben Ezrah in glossis ad cap. XX. Exod. Et hanc ob caussam R. Bahye ait Israëlem vocari exercitum cœli in Exodo, propter sympathiam cum stellis, quæ similiter vocantur exercitus: ut, *Qui educit in numero militiã eorum.* Etiam Iesaias ac Ieremias dicunt, quemadmodum cœlum, ita et Israelem æternum fore. R. Ishac quoque supra cap. XV. Genes. sex numero esse ait inquibus animadvertatur Israëlis sympathia cum orbibus: quæ brevitatis studio omitto. Libet tantum addere egregiam et ingeniosam comparationẽ, quæ in Rabot, inter Lunam ac regnum Davidis fit, et huc quoq; pertinet. Videlicet quemadmodum illa usq; ad diem decimumquintum crescit, et per totidẽ dies decrescit, sic præclara stirps Israëlis, ab Abrahamo, luce clarissimâ, crevit usq; ad quintumdecimum numero: qui fuere, Abraham, Ishac, Iahacob, Iehuda, Perez, Hezron, Ram, Aminadab, Nahson, Salmon, Boaz, Obed, Issai, David, Selomoh: in Selomone, qui fuit decimusquintus, in plenitudine sua fuit: unde illa, *seditq; Salomon supra solium Domini.* Abeo rursus XV. fuerunt in quibus paullatim imminuta fuit. Scilicet, Rehabam, Abijah, Assà, Iossaphat, Ahaziahu, Ioas, Amassiah, Iotam, Ahaz, Iehizquiahu, Menasseh, Amon, Iossiahu, Iohahaz, Zidkiahu: in quo Luna velut Soli subiecta defecit: itaq; ille quoq; occœcatus est. Etenim, ut Issahar Coën ait in Matanot Kehuna, Vziahu et Ieorã

*li 2. saar 12. trib.* *Gen. 37 9.* *cap. 2.* *Bababatra.ca.5.* *Meguila cap. 1.* *lib. 1. cap. 27.* *par vaer.* *Iesai. 40. 26.* *Ibid. 54. 10.* *Ierem. 31. 36.* *Ber. Ra. cap. 15.* *I. Chron. 29. 23.*

G 2 non

non computantur, quia viventibus illis filii illorum regnarunt, ut nec Ieochas ac Ieoiahim, qui regno privati sunt: adeo ut soli, quos diximus XV. numerentur, in quibus extincta est lux Israëlis. Sed aliter hæc apud R. Bahye: nam incipit ille à Perezo, quia ab hoc provenit regnum Davidis: et inde usq; ad Zidkiahu rectâ lineâ, ita ut filius parēti semper in regnum successerit, sunt capita XXIX: videlicet, Perez, Hesron, Ram, Aminadab, Nahson, Salmon, Boaz, Obed, Isai, David, Selomoh, Rehabam, Abiah, Asah, Ieosaphat, Ieoram, Ahaziahu, Ioas, Amaziahu, Vzijahu, Iotam, Ahaz, Iehizquiahu, Menasseh, Amon, Ieosiahu, Ieohahaz, Ieoyaquim, et Zidquiahu, qui implet numerum undetrigesimum, iuxta XXIX. dies curriculi Lunæ. Ideoq; Psalmographus, si expositionem R. Elihezer Germani in Maasse Abot † audimus, de temporibus Messiæ ait ‡: *Florebit in diebus illius justus, donec auferatur Luna:* id est, non obnoxius erit mutationi, ut Luna, quæ nunc augescit, nunc minuitur, sed semper in plenitudine sua erit. Et paullo ante dixerat, *Timebunt te cum Sole, et ante Lunam in generatione generationum*: significans, plenitudinem fore, qualis est diebus illis, quibus Sol ex adverso Lunæ est. Sed desino, nam clare satis hinc patet, Israëlem propter similitudinem, quæ inter utrosq; est, stellis; propter numerum, arenæ et pulveri comparari.

† *cap.* 35. ‡ *Psalm.* 27. 7. *Ibid. vers.* 5.

## QVÆSTIO XXXIX.

Gen. 15. 7. *Ego sum Dominus Deus qui te eduxi ex Vr Chaldeorum.*

Exod. 6. 3. *Et apparui Abrahamo, &c. et nomen meum Adonai non indicavi illis.*

SI Dominus in Vr Chaldæorū apparuit Abrahamo in nomine Adonai, Tetragrammato, quare postea ait se patriarchis nomē illud non indicavisse?

## CONCILIATIO.

IVxta R. Seadiah a-Gaon, illa verba, *et nomen meum Adonai non indicavi eis*, ostendunt, Deum non semper apparuisse Patriarchis in venerando nomine Adonai, sed aliquando etiam in nomine Sadai: et pro hac sententia advocat verba angeli ad Iacobum, *non amplius vocaberis Iahacob, sed Israel erit nomen tuum.* Quæ non ita accipienda ait, quasi nunquam ex eo futurum esset, ut Iacobus nuncuparetur; etenim in ipsis sacris literis sæpe postea hoc ei vocabulum dari; sed tantum dicere angelum, deinceps duplex illi nomen fore, Iacobi, et Israëlis. Eodemq; modo hic quoq; cum ait Dominus, *nomen meum Adonai non indicavi eis*, subintelligi, non semper indicavi illis. Favet huic opinioni Ishac Abravanel.

*Gen.* 35. 10.

*II.* Doctus Aben Ezrah, secutus opinionem R. Semuel e-naguid (qui statuit nomē hoc שדי *Sadai*, venire à שדד, et notare *prædatorem* aut *victorem*) ait, quatenus anima viri pii et sapientis nobilior est mundo cœlesti, non manere eam subiectam syderū efficaciæ, sed transcensis iis, eniti ut copuletur caussæ suæ; atq; ita Patriarcham Abrahamum tam eximiâ virtute fuisse, ut, quamvis natus sub syderibus quæ sterilitatem facerent, prolem nihilominus sustulerit; idem quoq;

ob probitatem ſuam obtinuiſſe Ishacum & Iaacobum, at non eouſque perveniſ-
ſe ut per eos miracula præter naturam Deus faceret: quod Moſi datum ſit.
Ideoq; dicere Dominum, Ego apparui Abrahamo, Ishaco, et Iacobo, in אל שדי
*Deo victore;* ſed nomen meum Adonai non indicavi illis; id eſt, nequaquã inef-
fabile iſtud nomen ita eis notum feci, ut miracula præter naturam facerent.
Nam notitiam eius habuiſſe eos ex priori verſu conſtare; ſed non ulterius pro-
vectos, quam ut fruerẽtur virtute nominis שדי, ſcilicet ut ſtellarum legibus ex-
imerentur. Eadem ait R. Iehuda a-Levi in opere ſuo Cuzari †, et R. Abra- † *lib.* 2. *artic.* 2.
ham Salom ‡ quoq; putabat ita recte conciliari textus.

*III.* R. Selomoh obſervat, nequaquam hic dici לא הודעתי *lo hodahti*, id eſt, non ‡ *Neve Salõ. li.* 8 *cap.* 4.
indicavi illis nomen meum, ſed לא נודעתי *lo nodahti*, h. e. non ſum cognitus iis;
unde hunc ſenſum iſtius loci facit. Nequaquam Deum ſe prioribus Patriarchis
notum feciſſe per id, quod ſignificet iſtud vocabulum, (etenim illud tantum u-
ſurpari de Deo cum promiſſa ſua implet) quia nondum datam fidem impleve-
rat, de eripiendis ex ſervitute Ægyptiaca Iſraëlitis, ut terram promiſſam illis
daret. Igitur ex ſententia illius iſtud Dei nomen, uti è pluribus S. Script. locis
colligitur notet veracem in præſtandis atq; implendis promiſſis.

*IV.* R. Moſeh Gerundenſis, et R. Bahye ajunt, ex hoc loco colligi quantum
diſcrimen fuerit inter Moſis, ac reliquorum Prophetarum et Patriarcharũ pro-
phetiam. Movit eos illud dictũ veterum noſtrorũ ſapientũ, quod exſtat in Gue-
mara Iebamot: כל הנביאים נסתכלו באספקלריא שאינה מאירה ומשה רבינו נסתכל באספקלריא המאירה *cap.* 4.
*Omnes Prophetæ per ſpeculum non clarum viderunt, at Moſeh magiſter noſter, per
ſpeculum clarum.* Quibus verbis denotant vaticinia Moſis ſublimiora eſſe reli-
quorum Prophetarum vaticiniis, quod etiam ipſe Deus confirmavit, cum ad
Aaron et Mirjam dixit: *Siquis inter vos fuerit Propheta Domini, in viſione ap-* *Num.* 12 *verſ.* 6. 7. 8.
*parebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum. At non talis eſt ſervus meus Moſes, qui
in omni mea domo fideliſſimus eſt: ore enim ad os loquor ei, adſpectu, & non per
ænigmata.* Idem putant Dominum hoc loco dicere voluiſſe, nimirum Patribus
ſe apparuiſſe in illo gradu, quem repræſentat nomen שדי *Saday*, hoc eſt, non vi-
diſſe eos omnia adeo clarè aut diſtinctè, quia in ſomnis tantum videbant; ſed
Moſi revelatum fuiſſe nomen illud .A. hoc eſt, eum non per ſomnium, verum
experrectum futura prævidiſſe, et altiorem attigiſſe gradũ, quem nomen illud
.A. denotet. Quod ſi hanc ſententiam amplectamur, nequaquam dicere opor-
tet, patres non habuiſſe notitiam nominis illius, quia id pugnaret primo textui,
ſed parentibus Dominũ non manifeſtè adeo revelaſſe futura, neq; eos tam ſubli-
mia vaticinatos quam Moſem, qui velut princeps et coryphæus omnium Pro- † *Par. vaera.*
phetarum fuit. Hoc ſane ſentiebat R. Menahem de Ricanate, in opere ſuo Ri-
canat † et R. Sem tob in opere ſuo Sepher a-Emunot ‡. ‡ *lib.* 8. *cap.* 4.

V. R. Ioel ben Sueb * pronomen להם in fine verſus, quod nos interpretamur * *Olat ſa bat. Par. Semot.*
*illis*, exponit, *per illos:* quia iuxta regulas Grammaticæ litera ל *Lamed*, quæ
coniuncta eſt pronomini הם *Em*, ſæpius uſurpatur pro למען *Lemaan*, (*per*). Qua-
re hanc mentem verborum S. Scripturæ eſſe ait. Patribus apparui cum nomine
*Sadai*, at nomine Adonai non fui notus factus per eos, quia illi non multum per
mundum diffuderunt nomen meum, ſed per te, Moſeh, nomen meum .A. per
univerſum orbem cognitum erit. Diverſa legere eſt apud R. Moſeh Albelda in
libro ejus Olat Tamid, et Reſit Daat, R. Ioſſeph Chequitilla in opere quod in- *Concl.* 3. *cap.* 4.
ſcripſit

† lib.1. saar asē. ‡ Otzain

scripsit Guinat Egoz †, et in Otiot R. Aquiba ‡: quæ vitandæ prolixitatis caussa omitto.

## QVÆSTIO. XL.

Gen. 15. 7. *Ego Dominus, qui te eduxi ex Vr Chaldæorum.*

Ieos. 24. 2. *Sic dicit Dominus Deus Israel, ultra flumen habitabant majores vestri olim &c. Sed assumsi patrem vestrum Abraham ultra flumen.*

SI Patriarcham Abrahamum Deus eduxit ex Vr Chaldæorum, terra filiorum Ham, ubi antea morabatur; quomodo postea ait se eum accepisse è regione trans flumen sitâ, quæ filiorum Sem erat, et in Cananæorum ditionem transtulisse?

## CONCILIATIO.

R. Selomoh, cujus verba optimè intellexit Rab a-Mizrahi, Abrahamum asserit in Aram Naharaim natum esse; quo vocabulo comprehenduntur loca, quæcumq; fluviū Euphratem et Hidekel interjacent: unde et impositum nomen ארם נהרים nam posterior vox נהרים *fluviū* notat. Atque hinc in Ieosuah dicatur, *trans flumen habitaverunt patres vestri.* Eandem quoq; rem confirmat, quod Genes. cap XXIV Elihezerus, ab Abrahamo vetitus aliam quam patriam ejus terram adire; cum reverteretur, dixit se fuisse in Aram Naharaim, civitate Nahor. Vbi notandum, verba ista *civitate Nahor* addi, quia Aram Naharaim totius regionis vocabulum erat, perinde ac si nunc dicam Hispania, aut Gallia. Illa autem Aram Nahor, est Haran. Opinionem eandē con-
cap.1. firmare est ex Gemara Berahot, ubi legimus אברם Abramum ita vocatum, quasi אב לארם *ab le-Aram*, (*patrem Aram*) quia caput et præcipuus omnium Aramæorum foret. Proinde cum Abrahamus ex Vr Chaldæorum à Deo eductus esse dicitur, id nequaquam ita accipiendum, ac si terra illa esset Sinhar et Babylonia: quam ditionem Hami soboles possedit. At posteri Semi, unde originem trahebat Abrahamus, diversa ab his loca habuere. Sed verisimile est, Vr Casdim (i. e. Chaldæorum) fuisse civitatem regionis Aram Naharaim, cui nomen inditum à
Gen.22. 22. כשד *Kesed*, filio Nahor, qui ex posteritate Semi erat. Quamvis autem Kesed per id tempus necdum natus fuerit, Scriptura tamen per anticipationem iam à prin-
Ibi.2.14 cipio hoc nomen ei tribuit, quomodo et de flumine Hidekel, *ipse* inquit, *labitur ad Orientem Assyriam versus*: quamvis Assyria tunc illo nomine haud notæ esset. Quin et dicere possis, אור *Vr* hic *ignem* notare. Nam Nimrod Chaldæorum rex, et idololatriæ maximus antistes, legem posuerat de colendis idolis, promulgatâ in detrectantes vivicomburii pœnâ. Et quia Abramus (ut postea ostendemus) in ignem ejus jussu conjectus fuit, fortassis locus ille nuncupatus sit *ignis Chaldæorum*, quamvis rogus in terra filiorum Semi extructus esset. Ita ut juxta hanc sententiam nulla inter utrumq; locum pugna sit. Nam trās Euphratem, i. e. in regione Aram Naharaim, patres nostri habitaverunt. Ibidē quoq; Abrahamus natus, quando Vr Chaldæorum locus est situs in Aram Naharaim.
ib.11.31 Vnde et S. Scriptura inquit; *Assumsit autem Terah Abram filium suum, et Lot filium*

*filium Aram, filium filii sui, et Sarai nurum suam, uxorem Abrahami filii sui, et eduxit eos de Vr Chaldæorum, ut irent in terram Kenahan.* Hic autem, iuxta Aben Ezram, iussit eum Deus relinquere terram, et cognationem suam: ubi per cognationem designatur patria eius Vr Chaldæorum; per terram, Haran, quam pater eius habitarat, ut sequentia verba ostendunt: *Et pervenerũt ad Haran, ibiq; habitarunt.* Genes. 11.32. Et rursum versu proximo: *Et mortuus est Tare in Haran.* Eandem opinionem fovet Ishac Abravanel, disertim affirmans, Vr Casdim non esse terram Chaldæorum, sed nomen loci trans flumen siti; qui ita appellatus sit vel quia à Chaldæis illam regionem ingressis subactus, et tunc interpretari oportere *campus Chaldæorum*; vel quia illic Chaldæi igni ac Soli servirent. Similiter et Haran locum trans amnem fuisse. Quamvis autem dictus autor R. Selomonis opinionem improbet, ac verba ejus alium in sensum torqueat, tamen expositio quam nos attulimus, vera prorsus videtur, et mire congruit verbis R. Selomonis.

II. R. Mosseh Gerundensis ad XI. cap. Genes. (quem et R. Bahye sequitur) negans Abrahamum in Vr Chaldæorum natum, asserit patriam eius Aram, urbẽ natalem Haran fuisse: Terahum autem cum Abramo, ante nativitatem Arani, habitatum venisse in terram Chaldæorum, ibiq; natum illi Aranum, ac mortuum esse. Etenim hoc velle S. Scripturam istis verbis: *Et mortuus est Aran supra faciem Terahi patris sui, in terrà nativitatis suæ, in Vr Chaldæorum.* Ibi. v. 28 Quo loco *terra nativitatis* de Arano accipienda, quem solum ibi natum putabat Gerũdensis. Postea verò Terahũ cum Abrahamo in Haran reversum, atq; hic à Deo præceptum illi ut terram ac cognationem suam desereret. Igitur juxta Gerundensem Vr Chasdim in ditione Chaldæorum, et possessa filiis Hami fuit: patria verò Abrahami Haran. Argumenta quibus opinionem suam defendit, sunt: Primo quod Abrahamus Hebræus nuncupatur in Scriptura: *Et fuit nuntiatum Abrahamo Hebræo.* Ibid. 14. 13. Hebræo, inquit, non Chaldæo; nam vox עברי *Hibri* ab עבר *Heber*, i. e. ultra derivatur, quia patria ejus trans flumen erat. Adiicit dein congruere, quod Elihezer mandatis Abrahami obsecutus, civitatem Nahor, patriã ejus adiit, quæ Haran sit. Neq; alterum locum, quo dicitur, *Ego sum Deus, qui te eduxi ex Vr Chaldæorum*: innuere, Abrahamum ex patrià suà à Deo eductũ esse, tunc enim scribendum fuisse לקחתיך *accepi te*; sed tantummodò dicere הוצאתיך *eduxi te*, quia maximo periculo eum Deus exemisset. Quam historiam ita ipse contexit. Cum Abrahamus relicta Harane patria sua venisset in Vr Casdim, comperit omnes Soli servire, eumq; adorare tanquam Deum, prorsus ignaros primæ caussæ. Quare more suo disputare cœpit cum potissimis urbis. Quibus cum demonstravisset errorem eorum, et Solem non nisi ministrum et creaturã summi Numinis esse; ad ultimum à Rege comprehensus, et multos dies carcere coërcitus fuit. Vbi cum nihilominus in disputationibus perseveraret, veritus Rex, ne omnes ad suam traheret religionem, ipseq; solio excideret, bona eius publicavit, ipsum verò relegavit in fines Orientis. Quoniam autem velut Apostatam omnes eum execrabantur, promisit ei Dominus se omnibus illis benedicturum, qui ei benedicerent, et maleprecantibus illi, maledicturum: et pro eo quod nunc eum homines execrarentur, venturum tempus, quo in eius nomine omnes gentes aliis benedicerent. Quod certe impletum hodie videmus; dum non solùm in Israële, sed quoq; apud gentes mundi, quando alicui fausta omnia

a *More. li.3.c.29*
b *cap.10*
c *cap. 5.*
d *ca.22.*
e *Ber.R. cap. 38. et 44. Bamid. R.c.12.*
f *lib. 1. artic 60 68.et 77*
g *cap.26*
h *lib. 1. artic.68 Midras Tehilim Psal.118*
i *cap. 8.*

comprecantur, recepta sunt verba: Ponat te Deus sicut Abrahamum. Historiã hanc illo modo refert R. Moseh in Directore suo *a*, testificans eam se ita scriptam reperisse in Historiis ac libris gentilium. Nostri sapientes tamen in Gemara Pesahim *b*, Batra *c*, Tanà de-be Eliahu *d*, et pluribus locis Rabot *e*, et Ialcut *f*, sentiunt Nimrod regem Babyloniæ Abrahamum in ignem conjecisse, et Dominum, seu sua manu, sive per angelum Michaëlem, eum extraxisse illæsum, ut postea fecit Hananiæ, Misaëli, et Hazariæ. Idem confirmatur autoritate Philonis Iudæi lib. de antiq. Legis, et Peraquim R. Elihezeris magni *g*, qui tractans de decem illis tẽtationibus quibus Abrahamum Deus expertus est, etiam hanc unam facit, quod etiam fit in Ialcut *h*. Quam ob caussam hæc opinio ab omnibus recepta et probata est, etsi aliud existimet R. Abraham Aben Ezrah. Igitur Gerundensis sententiam illam, quam dixi, amplexus, ut cõtroversiam hanc decidat, ait Abrahamum natum esse in Haran trans flumen: at in Vr Casdim, terrà Chaldæorum, supra relatum discrimen adiisse: indeq; nomẽ loco inditum אור *Vr*, id est, *ignis*. Ideo etiam dicere Dominum, *Ego sum Dominus, qui te exemi ex igne Chaldæorum.*

III. Mihi simplicissimum videtur dicere, Vr Casdim esse terram Chaldæorũ, in quà natus sit Abraham. Quod confirmare est ex Gemara Pesahim *i*, in qua R. Ionathanis hæc verba leguntur: *Quare fuerunt Israelitæ captivi Babylone?* Respondet ipse: *Quia ablegavit eos in domum matris suæ.* Hoc est, quia Abraham in Babylonia natus erat. Iam verò si hæc ita accipias, facile in aperto est cur Deus dicat se eduxisse Abraham ex Vr Chaldæorũ; et quæ alio loco leguntur de Arano mortuo supra faciẽ Terahi patris, in terra nativitatis suæ Vr Casdim. Neq; enim tum opus dicerẽ, illud Vr Casdim ad solum Aranum referri, quando eadem quoq; patria Terahi erat. Verba autem, *trans flumen habitarũt patres vestri*, non natos ibi eos, sed habitasse solùm ostendunt. Idem quoq; cõstat ex Genesi, ubi dicitur Terahum cum Abrahamo & Lot, ex Vr Casdim, patria suà egressum, Haranem petivisse, et ibi consedisse ad dies aliquot. Haran autem erat civitas trans flumen. Eamq; ob caussam Deus Abrahamum inde eductum in terram Kenaan transtulisse ab Ieosua dicitur. Quod congruum est alteri Scripturæ loco, quo Deus illum iis tractibus excedere mandat. Licet autem Elihezerus patriam Abrahami petiturus, Haranem profectus sit, civitatem Nahoris, unde quis adversum nos colligat patriã ejus Haranem, non Vr Chaldæorum fuisse, nequaquam tamen hic ulla difficultas est, quia Terahus, patriã suà Vr Casdim excedens, secum assumsit Abrahamum et Lothum. At Nahorẽ simul profectum haud additur: nempe quia ille remanserat in patrià suà. Vnde Abrahamus, existimans Nahorem adhuc in Vr Casdim agitare, jussit Elihezerum adire Haranem terram nativitatis suæ, et in eà Vr Casdim natalem suam urbem. Sed Elihezerus, comperto, Nahorẽ ex Harane ad propinquos suos demigràsse, nullà necessitate tenebatur prius iter perficiendi. At in Ieosua dicitur Deus Abrahamum sumsisse ab alterà parte fluminis, non autem Vr Casdim, quia in Harane moranti præceptum est ut abiret ad terram Kenaan. Et propterea quod illic habitavit, ubi nonnullæ civitates è possessione Semi erant, Hebræus et ipse nuncupatur, ut supra ostendimus, et omnes posteri ejus Hebræi appellati sunt, quemadmodum verissimè statuebat Aben Ezrah ad cap. XXI Exodi; qui ad confirmandam hujus rei veritatem addit, Mosen quando

*Gen.11. 31.*

lega-

legatus Dei nomine ad Pharaonem venit, dixisse, *Sic dicit Dominus, Deus Israelis*: et illo negante se agnoscere Deum ullum, subiecisse, *Dominus Deus Hebræorum obviam factus est nobis &c.* ac deinceps semper repetere nomen illud Hebræorum. Sic quoque in lege solis Iahacobi filiis illud vocabulum datur; ut de Iosepho: *Et erat ibi nobiscum servus Hebræus*. Etiam Ionas à nautis interrogatus quis esset, respondit, *Hebræus ego*. Quod si Hebræi nomen etiã aliis nationibus tribuebatur, non satisfactum erat eorum percunctationi, quando se Hebræum esse affirmabat. Idem ex Ieremia colligitur, qui jubens ut quisque servo suo libertatem daret, sive is Hebræus, sive Hebræa esset, statim ad declarandum subdit: *ne dominarentur in Iudæum fratrẽ suum* *. Ex his omnibus credere possumus Israëlitis id nomen fuisse, quia Terah & Abraham morati erant aliquo tempore trans amnem. Etsi reperiantur, qui nomen עִבְרִי *Hibri* deducant ab עֵבֶר *Heber*, Semi abnepotem, à quo, quia vir sanctus et pius erat, putabant omnes, qui ex semine eius et lege fuerunt, ut Abrahamum ac posteros illius, se Hebræos appellasse. Atque hoc modo nullus locus est scrupulo, quem Gerundensis movet, quando Abrahamus nequaquam se Hebræum nominat, quia trãs flumen habitaverat, sed quod à Semo originem traheret.

*Exod. 3. 17.* *Ibi. 3. 18* *Ibid. 5. 3.* *Ibi 7. 16* *Ibid. 9. 1. et 9. 13.* *Gen. 41. 12.* *Ibid. 43. 32.* *Iona. 1. 9* * *Ierem. 34. 9.* *Ibid.*

---

## QVÆSTIO. XLI.

| | |
|---|---|
| Gen. 15. 13. *Et vexabunt eos annis quadringentis.* | Exod. 12. 40. *Habitatio autem filiorum Israel quadringẽtis XXX. annis in Ægypto fuit.* |

## CONCILIATIO.

NOn solum in supputatione annorum, quibus filii Israël in Ægypto fuerunt, hi duo versus vidẽtur pugnare, quia Dominus ad Abrahamum ait CCCC. annos in Ægypto eos mansuros, altero vero loco dicitur eos annis CCCCXXX. ibidem permansisse; verùm et neuter consistere videtur. Nam si rationem ineas neque anni CCCC. neque CDXXX. fuerunt. Quod hoc modo probatur. Inter animas quæ cum Iacobo Ægyptum ingressæ sunt, numeratur Keat, secundo genitus Levi; qui, ut ex Sacris literis colligitur, vixit annis *CXXXIII.* habuitq; filium Amram, ille vixit annis centũ et *XXXVII*: huic natus est filius Moseh, qui cum annorum esset *LXXX* eduxit filios Israël ex Ægypto. Adeo ut quamvis conjungamus horum trium ætates, nimirum illam CXXIII alteram *CXXXVII.* tertiam *LXXX* annorum, (quod tamen facere nullã ratione licet, quia necessario ætas aliqua parentibus fuit, priusquam sobolem gignerent) nihilominus non conficiant annos quadringentos. Iuxta veterum Hebræorum opinionem filii Israël in Ægypto per annos solum CCX. fuerunt. Quod ut intelligatur, scire oportet, Deum quando afflictionem Israëlis Abrahamo revelat, his verbis uti: *Sciendo scies peregrinum fore semen tuum in terrã non suã; et facient eos servire, eosq; affligent annis quadringentis.* Vbi duo notanda: primo quod semẽ Abrahami incipit ab Isaaco. Nam verba sunt S. Scripturæ; *quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Quem ad locũ sapiẽtes dicunt, in

*Ialcut. lib. 1. artic. 77.* *Gen. 15. 13.* *ib. 21. 12*

Isedarim cap. 4. Soner tob Psal. 105 Ialcut. li. 1. art. 49 Beres. R. cap. 53. Psal. 105 13. Gē. 37. 1 et 47. 9. Exo. 1 9 Gen. 25. 26. Ibi. 47. 9

Ishac, at non totâ illius stirpe: nam excluditur Esau. Secundò, quod his verbis tres status describuntur: primus peregrinationis, *peregrinum erit semen tuum*; alter servitii, *et facient eos servire*; tertius afflictionis, *et affligent eos*. Status peregrinationis incipit à Patriarchis, qui semper peregrinati sunt in terris alienis, iuxta illud Psalmographi: *Et transierunt de gente in gentem, et de regno in populum alterum.* Iacob dixit peregrinatum se in terra peregrinationum patris sui Ishac; et apud Pharaonem, dies suos inter peregrinationes exactos. Servitium Israëlitæ in Ægypto pertulerunt, post mortem XII. Patriarcharum, ut ait S. Scriptura, *Et surrexit Rex novus super Ægyptum, qui non noverat Ioseph.* Status duræ afflictionis initium capit ab eo tempore, quo Pharao recens natos Hebræorum infantes flumine mergi iussit. His præmissis facilis est solutio, quia à die quo natus est Ishac, principium seminis Abrahami, ordiri debemus supputationem quadringentorum annorum quos Scriptura dicit: *Sciendo scies, quod peregrinum erit semen tuum*; Hos autem annos eo tempore impletos, quo Israëlitæ cesserunt Ægypto, ita evincitur. Ishacus sexagenarius Iacobū genuit, qui anno ætatis *CXXX.* in Ægyptum descendit. Habemus ergo annos CXC. Supersunt ducenti & decem ad implendum quadringentorum numerum: hi sunt, quibus in Ægypto manserunt. Applicant eodem verba illa Iacobi, quando filios cibaria in Ægypto cōparare jubēs, ait רדו שמה *redu sama, (descēdite illuc)* quia vox רדו in numero Hebræo efficit CCX. Vt prædixisse illis videatur Patriarcha spatiū, quo in servitute Ægyptiaca posteri eius futuri essent. Igitur si quadringētos illos annos à nativitate Ishaci putare incipiamus, congruet numerus. At altero loco, quo dicitur, eos ex Ægypto egressos, post annos *CCCCXXX* addendi sunt *XXX.* anni ab eo tempore, quo in Kenahan Abrahamo hoc vaticinium revelatum est, cum septuagesimum annum ageret. Quando autem ait S. S. Abrahamum septuagesimo quinto ætatis anno Harane egressum, ut in Seder Olam traditur, notandum est Patriarcham jam in Kenahan degentem iterato Haranem petiisse, ibique annis quinque moratum: adeo ut hic de secundo exitu agatur. Septuaginta interpretes verba Scripturæ, *Et spatium quo in Ægypto mansuri sunt filii Israel, anni CCCCXXX*, transtulerunt, in Ægypto, et aliis terris: quia dixerat Deus, peregrinos fore eos et subiectos in terra non suà, quo loco non nominatur Ægyptus. Neq; est, quod moveamur verbis, *Habitatio filiorum Israel in Ægypto &c.* quia ut recte ista intellexit Rab Natan in Beresit Raba †, et R. Moseh Albelda ‡ in libro Resit Daat, etiam Patriarchæ habuerunt illud nomen Israëlis. Quare ut paucis ante dicta complectar, *CCCCXXX.* anni incipiunt ab eo tempore, quo revelatio hæc Abrahamo facta est: quadringenti verò anni à nativitate Ishaci: at ducentis & decem tantum in Ægypto fuerunt. Idem et in Pirque * R. Elihezer dicitur, et sensit Philo Iudæus in libro de antiquitatibus Legis.

Bamidb. R. ca. 13.

Meguila cap. 1. † cap. 63 ‡ lib. 4. concl. 2. cap. 8. * cap. 48.

II. R. Moseh pluribus ad hanc controversiam tollendam opinionibus allatis, statuebat, tempus illud à nativitate Isaci cœpisse, et decretum esse tantum de annis CD, qui finiti sint XXX. annis ante exitum Israëlis ex Ægypto. Nimirū LX annorum erat Isaacus, quando Iacobum gigneret. Iacobus CXXX. annis impletis in Ægyptum venit: sunt simul anni *CXC*: quis si adiicias annos CCX. captivitatis, provenit numerus CCCC. Atqui, altero loco de tricenis supra quadringentos annis dicitur, Considerandum, omnia promissa aut edicta esse conditio-

ditionalia. Captivitas Israelitarum, alioqui annos tantum quadringentos duratura, ob delicta eorum, prolatata est annis XXX. Et certe constat exigua fuisse eorum merita, quando usque ad circumcisionem ipsam præcepta Dei neglexerunt. Vnde Iehezquel, * *immūditias Ægypti non deseruerut.* Eamq; ob caussam Israelitæ, videntes præfinitum miseris tempus expirasse, neq; se servituti ereptos, conquesti sunt de servitio et crudelitate Ægyptiorum; et Dominus misericordia commotus, audivit clamorem eorum, ac pœnitentiam accepit, quomodo dicit S. S. *Et ascendit clamor eius ad Dominum.* Vnde infertur, si ne tunc quidem Numen invocassent, futurum fuisse ut nondum liberarentur: ita ut liberatio à pœnitentia, non à præfinito spatio dependerit. Negat deinde idem autor, mirandum esse, quod captivitas *XXX.* annis decretum Dei egressa sit; quando constet propter peccatum exploratorum alios XL peregrinationis annos in deserto iis additos. Adeo ut cum hoc sub conditione certa (uti semper solet) Deus pollicitus sit, nulla difficultas supersit: quippe Israelē annis CCXL, accensis *XXX* illis quibus captivitas prolongata est, in Ægypto mansisse. Eandem opinionem probat Ishac Abravanel: et sane videtur optimè peti ex verbis S. Scripturæ.

* 20. 8.

Exod. 2. 23.

III. R. Levi ben Guerson similiter existimās propter merita aut delicta Israelitarum potuisse tempus contrahi, aut prolatari, inter cætera, quadringentorum, ait, annorum supputatio inchoanda à nativitate Iacobi. Nam primus ille in terra aliena peregrinationem continuā peregrinatus est. Cæterùm quia Ægyptii gravissimè afflixerunt filios Israël, repræsentavit sive acceleravit Deus libertatem *XXX* annis ante constitutum tempus. At cum Scriptura ait eos permāsisse annis CCCCXXX, supputationem ab eo tempore ordiri necesse est, quo primum Abrahamo semen provenit; nimirum nativitate Ishaci: quomodo comperiemus CCXL. annis in Ægypto eos hæsisse, qui ad implendum vaticinii tempus permanere debuissent annis CCLXX. Nam decretum incipiebat à nativitate Iacobi.

Par. Lekh leha.

IV. Doctissimus Aben Ezrah sensit CCCC annos incipere à nativitate Isaci, at CCCCXXX à tempore illo, quo Abraham reliquit patriam suam Vr Casdim, quod accidit *XXX* annis ante natum Isacum. Etenim illum patriā sua Vr Casdim septuagenarium excessisse: exin cum parente suo annis quinq; Harane moratum; anno ætatis LXX*V* inde in terram Kenahan transisse. Quamvis autē S. S. de revelatione Abrahamo facta postea demum loquatur; putat tamen ille antea hanc factam, cum ille in Vr Casdim moraretur: quia, ut quæst. *XXXV* observavimus, non semper S. S. ordinem temporis servat. Secundum hanc expositionem verba Scripturæ, *Habitatio filiorum Israel in Ægypto*, denotent, addito illo tēpore quo in Ægypto morati sunt, in universum esse annos *CDXXX*. Ita quomodocumque hi versus conciliētur, in numero illo CCCC semper mysterium est, ut observat R. Ishac in opere suo Zebah Pessah.

Superest una et solvenda mihi difficultas; cur, cum captivitas Ægyptiaca non duraverit annis CCCC, uti Deus Abrahamo revelaverat; Scriptura tamen ita hæc conjungat, ut non definiantur termini peregrinationis, servitutis, et afflictionis, quæ singula accuratè exponēda fuisse videntur. Cuius rei rationes nonnullas proferre libet. Et primo, notandum de solā captivitate Babylonica aperte Deum dixisse, duraturam eam annis *LXX*. quia etsi caussæ huius captivitatis erant

erant varia peccata, ut idololatria, adulteria, homicidia, furta, vis, et alia id genus scelera; tamen quoniam Israël, sexcentis et decem annis quibus in terra sancta habitarat, præceptum Intermissionis seu Semitæ neglexerat (quâ re ipsa quasi terra injuriam passa erat, quando oportuerat sexaginta duos annos otiosos ab agricultura esse et VIII. Iubileos, qui faciunt numerum septuagenarium) voluit primo Dominus hoc debitum exsolvi, atque ita ejectis atq; in captivitatem abductis Israëlitis, terra *LXX* annorum otium habuit, quo spatio ne ab ipsis quidem gentilibus culta est; ut disertim legimus sub finem Levitici: *Tum quiescens terra ipsa in sabbathis suis acquiescet. Omnibus diebus quiescet, quibus desolata manebit, quia non quieverit septimanis vestris.* Idem constat ex II.

*cap.* 36. Chronicorum, ubi hæc verba: *Ad implendum verbum Domini,* ( dictum ) *ore Ieremiæ, donec acquievisset terra sabbathis suis: omnibus diebus desolationis quievit complendo septuaginta annos.* Igitur quoniam captivitas illa solùm fuit ad expiandum hoc peccatum, ideo nec plena redemtio fuit: unde non גאלה *redemtio* vocatur, sed פקידה Pekida, *visitatio.* Sic quoque tempore secundi templi venerunt Hierosolymam, qui Babylone captivi tenebātur, et ne illi quidē omnes, sed tantum nonnulli ex tribu Iehuda & Benjamin, iique semper subiecti fuerūt nunc Medis, nunc Persis, inde Græcis, tandem & Romanis. Multò minus templum secundum habuit sanctitatem primi: quia in illo desiderabatur arca, divi-

*Ioma. c.* 1 *Ierusalmi de secalim. cap.* 6. na præsentia, prophetia, Vrim & Tumim, quæ erant gemmæ in pectorali summi sacerdotis, ignis cœlestis qui descendens absumebat sacrificium, oleum unctionis, candelabrum cum lychnuchis, mensa, et vasa tabernaculi, virga Aaronis, paropsis mannæ, aliaq; complura. Ita ut hæc captivitas non aliunde fuerit, quàm quod debito suo terræ exsoluto, voluerit immensa Dei bonitas iterū reddere populum suum terræ sanctæ, ut pœnitentià facti ab impietate desisteret. Sed aliter evenit, quia tempore secundi templi novus delictis veteribus cumulus accessit, odia sine caussa, et seditiones susceptæ, et initium datum hæresibus Zadoc et Baitos: quare prorsus exciderunt gratiâ Dei, et terra sua ejecti captivitatem subierunt, quâ nos hodieq; extorres procul sancta regione agitamus,

*Dan.* 9. 24. quæq; ut dicit Daniel, inducta est ad consumendos rebelles, et finienda peccata, atq; condonandas iniquitates, non solum commissas dum primum stabat templum, sed et tempore secundi: atq; hanc ob caussam clare definitur tempus captivitatis LXX. annorum: quia neque durum passi sunt iugum: quippe semper honorati à principibus gentium; et multo minus verà usi sunt libertate, quòd solum Deo propositum fuit reddere terræ tempus otij quo fraudata fuerat: vnde cum clara res esset de LXII Semitot, seu Intermissionibus, et octo Iubilæis; etiam clarè prædictum est de *LXX* annis exilii. Captivitatis autem Ægyptiacæ, et eius in qua hodie sumus, tempora fuerunt revelata Abrahamo ac Danieli, sed adeo obscuris verbis, ut quocumque ducantur inclinent.

Secundo clarè mihi prædictum videtur spatium captivitatis Babylonicæ, quia breve futurum erat. Sed Ægyptiacam captivitatem, et eam in qua hodie sumus, ne in desperationem incideremus, occultari necessum fuit, ut omnibus horis libertatem exspectaremus.

Tertio, LXX anni captivitatis Babylonicæ excusari nequibant, quia offensæ terræ satisfaciendum erat. Cæterum Ægyptiacæ et huic captivitati nullum tempus præfinitum esse inde constat, quod simulac versi ad Deum Israëlitæ eum invoca-

vocarunt, etiam exauditi sunt. Idem quoque in hac futurum est, uti scribitur in Guemara Sanhedrin; et Elias interrogatus à quopiam, quando venturus esset Messias, respondit, hodie, si vocem Dei audiatis. Hinc quoque, uti memorat R. Bahye, dixit R. Hananel in Daniele de futura redemtione tria differentia tempora declarari: quorum si meriti essent primo, sin minus altero, si ne illo quidem, tertio Israelitæ liberarentur. Huic rationi et quartam adiungere possimus, Israëlitas si certò præscirent tempus liberationis suæ, non destituros à pravis operibus, solis Dei promissis, et irrevocabili verbo fretos: qua ratione nullum quoq; meritum spei esset. Ergo hanc ob caussam tempus illud occultatum, quod R. Iohanan, ne ipsis quidem angelis Deum revelasse ait. cap. 11. Bahye Par. Bò.

## QVÆSTIO XLII.

Genes. 15. 16. *Generatione autem quarta revertentur huc.*

I. Chron. cap. 1. et 2. *Supputantur ab Abrahamo usq; ad Caleb in tribu Iuda generationes VI, et in tribu Levi ab Abraham usq; ad Moseh, totidem.*

QVando ab Abraham usq; ad Caleb numerantur generationes sex, sunt ex Isaac, Iahacob, Iehuda, Perez, Hesron, et Caleb, qui terram sanctã ingressus est: cum verò supputatur tribus Levi, sunt etiam per consequens sex generationes, Isaac, Iahacob, Levi, Keat, Amram, Moseh. Quomodo igitur verba illa de quatuor generationibus accipienda sunt?

## CONCILIATIO.

IStæ generationes non supputantur à tempore, quo Abrahamo illa revelatio facta est; sed ut statuunt R. Selomoh, R. Bahye, & Abravanel, ab eo tempore quo Israëlitæ Ægyptum ingressi in servitute fuerunt. Iuxta quam sententiam promittit Dominus tres generationes servitutem duraturam, quarta verò, terrã sanctã ingressuros esse. Et sic accidit: nam Iehuda, Perez, et Hesrõ in captivitate Ægyptia fuerũt. Caleb, qui quarta generatio, intravit terrã sanctã.

II. Si Aben Ezræ credimus, aliter hæc supputatio ineunda est: nimirum Keat, Amram, Moseh, sunt tres, Aharõ et filii eius, qui quarta erant generatio, ingressi sunt terram sanctã: eandem opinionem sequitur R. Levi ben Guerson.

III. R. Moseh Gerundensis ait illa verba de quarta generatione referenda ad Emoræum. Et quemadmodum Dominus impietatem parentum in tertia quoq; generatione puniat, iuxta verba decalogi; sic dixisse eũ Abrahamo, delicta Emoræi nondum completa esse; et fore ut punirentur in quarta generatione, tum enim Israëlitas ex Ægypto egrediẽtes eos terrà suà expulsuros esse. Ex omnibus autem septem nationibus solius hic Emoræi mẽtio fit, tanquã potentissimi, aut, quemadmodum ait R. Elihezer Germanus, quia originẽ præbuerat pravis illis Sectis et idololatriæ, in quã cæteras etiam gẽtes pertraxerat. Sane id quoq; putabat R. Hisquiah bẽ Manoah; addens quadringẽtos annos esse quatuor generationes. Nimirũ tribuit cuiq; generationi vel saltẽ seculo annos cẽtũ: quæ et opinio fuit Romanorũ, in his Ovidii: itẽ Xenophõtis vel potius Annij Viterbiẽsis in libro suo de nominibus æquivocis. Exod. 20. 5. Maase abot. c. 10. Ovidius lib. 12.

## QVÆSTIO. XLIII.

Gen. 18. 25. *Absit à te, ut hâc rem facias, et occidas iustum cum impio.* | Iehezquel. 21. 7. *Et occidam in te iustum et impium.*

MAnifestè hæc verba pugnare nullus non dixerit. Etenim si Abrahamus, iniquum ratus, pios et improbos eadem pœnâ affici, petiit obtinuitq; à Domino, ut, habita justorum ratione, si numerus quem designaverat inveniretur, Sodomæ parceret; quomodo postea per Iehezquelem ait Deus, se iustum cum impio trucidaturum?

## CONCILIATIO.

SVpervacuum est, ut cum Seneca loquar, ostendere, non sine aliquo custode mundi machinam stare, nec siderum discursum fortuiti impetus esse, et quæ casus incitat sæpe turbari, et cito arietare: at illorum inoffensam velocitatem procedere æternæ legis imperio. Sed quamvis illa ita se habere clarum sit, non exigua tamẽ difficultas oritur, quæ homines multos et olim turbavit, et hodie offendit. Quærunt enim, si humana Deo curæ sint, cur sæpe virtutem opprimi, et pessimum quemq; sceleſtissimũq; hominem prospere agere patiatur. Nam pessimæ vitæ mortales, honore, divitiis, et omnibus quæ quidẽ appellamus bona, affluere videmus: contra probos homines oppressos, paupe-
*Exod.* 33 13. res, egenos. Hoc argumento apud Deum omnes prophetæ usi sunt. Moseh dixit: *Ostende mihi nunc vias tuas:* Asaph: *quam prope vacillarunt pedes mei, et*
*Psal.* 73. *nutavit fides mea, cum viderem progressus impiorum.* Iesaias: *Quare errare nos fecisti Domine de viis tuis?* Ieremias: *Quare via impiorum prospera est?* Ha-
*Ies.* 63. 17 bacuc: *Quare siles Domine, quando iustus devoratur ab impio?* Adeo ut non alii
*Ier.* 12. 1 tantum, sed et ipse Salomoh ausus sit dicere, magnam iniquitatem sub Sole vi-
*Habac.* 1 sam, quæ nasceretur ex incuria Principis: quod certe mysterio carere nequibat.
13. Contradictio horum locorum, quæ supra citavimus, nos pertraxit, ad excutiẽ-
*Eccles.* dam istam materiam; quia verba Abrahami ajunt Deum non castigare, nedum
10. 5. occidere iustum cum impio, sed cuiq; tribuere secundum opera sua. Illi autem, qui optime hanc rem tractasse videntur, meo judicio sunt R. Moseh in Dire-
a *More. li.* 3. *c.* 12 ctore suo *a*, Almosninus in opere suo Anagat a-Haim *b*, R. Ioseph Albus in I-
b *l.* 1. *c.* 2 carim *c*, R. Simhon bar Semah in Hoeb Mispat *d*, R. Ioel ben Sueb in Olat
c *lib.* 4. *c.* 12 *et* 13 Sabat *e*, R. Moseh Albelda in Refit Daat *f*, et R. Meir Aldabi in opere quod
d *ca.* 23. inscripsit Sebile Emuna *g*: ex quibus omnibus colligere est, posse aliquibus mo-
e *par. vaigas.* disiusto mala supervenire, et improbum bonis frui, neque interea malè sentiẽ-
f *l.* 1. *c.* 3 dum de providentia divina, aut Deum iniquum nuncupandum. Et primo qui-
g *Natib.* 9. dem potest peccator, et malus homo frui bonis, per providentiam universalem. Etenim si decretum de natione aut civitate aliqua sit, ut omnes habitatores eius sine timore in pace vivant, impius qui in ea est, etiã hoc beneficio fruetur, quãvis immerens. Nam unum ob hominem nequaquam mutantur decreta divina: et quemadmodum nefas est quæri ex Deo, cur homicidæ manus dederit, tametsi illum talem fore præsciret; sic neq; rogare convenit, cur sententiam non mutaverit, ut huic vel illi improbo male esset. Etenim providẽtia universalis, et cõ-

stella-

ſtellationes cœleſtes immobili ordine volvuntur, neq; ob unũ aliquẽ mutãtur.

Secundò, per ſingularem providentiam quis bono fruitur ; ut cum alicui ob meritum quodpiam boni aliquid conceditur. Nam dicunt veteres noſtri ſapiẽtes אין הקב״ה מקפח שכר כל בריה *Deus Bened. nulli creaturæ negat aut minuit præmium ſuum.* Itaq; homini merces, ſiquam meritus eſt, in hoc mundo exſolvitur, ut reſervata in futurum ſæculum pœna peccatorum, æquitas in cunctis ſervetur.
Ideo Ahija Silonites uxori Hieroboami denuntiavit, Abiiam filiũ ejus nihil præ- *I. Reg.*
ter ſepulturam habiturum, quia in illo aliquid boni reperiebatur. At Achabo, 14.13.
quamvis ſceleſtiſſimo, quia ſupplex Deo factus erat, promiſſum, dum viveret
à malis impendentibus immunem fore. Iehu autem, quod in domo Ahabi divi- *Ibid.* 21.
na præcepta obſervaſſet, datum, ut ſtirps eius ad quartam generationẽ regna- 29.
ret. Adeo ut boni, quod quis facit, merces, in hoc mũdo homini ſolvatur. Quoniam autem nemo tam ſceleratus eſt, quin aliquid ſaltem boni agat ; ideo pravorum hominum quibuſdam proſperas eſſe res videmus.

Tertio, nonnunquam Deus vult malo bene eſſe, ut eo pro carnifice utatur.
Sic felices Sanheribo et Nebucadneſari res: qui et ſervi et virga furoris divini *Ieſa.* 10.5
nuncupantur, ad caſtigandum Iſraelem. Sed tales non diutius quam Deo viſum eſt, felices ſunt; et ſimulatque conſummatum eſt id, cuius cauſſa evecti in altum
erant, tanto graviore lapſu ruunt. Vnde ait Propheta: *Atqui futurum eſt, cum* *Ibid.* 10.
*perfecerit Dominus totum opus ſuum in monte Sionis, et Ieruſalaim, animadver-* 12.
*tam in fructus inſolentis animi Regis Aſſyriæ.*

Quarto, ſæpe improbus fruitur bono, ſed malo ſuo, quamvis aliud nobis vi- *Exod.*
deatur; ut immedicabile fiat peccatum ejus. Sic Pharao, quanto acrius caſtiga- 10 5.
batur, tanto magis dureſcebat. De talibus ait Pſalmographus: *Quum florent* *Pſalm.*
*improbi velut herba, ut perdantur in æternum.* 92.8.

Quinto, contrario fine, propter ſecreta, quæ homo intelligere nequit ; ſive quod interventu illorum bonorum Deus velit ſpatium improbo dare ad pœnitentiam: quemadmodum Menaſſi regi uſq; ad annum ætatis ſecundum et viceſimum impio, adiecit *XXXIII.* annos quis pœnitentiam egit: ſive ut illo bono avertatur majus malum, quod fortaſſis alioqui facturus erat: aut demque propter ſpem juſtæ ſobolis, uti ex impio Ahaz, Iehizkiahu ; ex Ammon, Ioſiahu; ex Simhi, Mordechai natus eſt.

Sexto, ad talia malo quoq; prodeſt meritum juſti alicujus ; quemadmodum Lotho profuit pietas Abrahami ; unde veteres noſtri ſapientes dixerunt רשע וטוב לו רשע בן צדיק *Malus cui bene eſt, eſt malus filius juſti.* Vti ſiquis pius improbo filio opes relinquat, ille, quãvis indignus, iis nihilominus gaudebit. Adde quod non-
nunquam improbo Deus dat divitias, ut ad pium tranſferantur: iuxta illud ſa- *Prov.* 13.
pientis: *juſto reconditæ ſunt opes peccatoris.* 22.

Septimo, malis bona largitur Deus ad tentandam piorum conſtantiam. Etenim ſi ſemper in hoc mundo præmia juſtos, malos pœnæ ſequerentur, verteretur in avaritiam virtus, et nemo eam, niſi ut bene ſibi eſſet, ſectaretur. Hinc ſa-
piens in Eccleſ. ait: *Quãvis peccatori facienti malum centies prorogatur* (pœna) *Eccleſ.*
*tamen noui et ego bene fore timentibus Deum.* Nimirum bene agere, et præmiũ 8. 12.
nolle, eximiæ virtutis indicium eſt, quæ tanto majorem mercedem meretur.
Igitur ex his colligere poſſumus, quamvis improbus ſæpe bonis fruatur, non eò male ſentiendum eſſe de providentia divina ; quæ ſimiliter miſeriis ſuis confli-
ctari

ctari juſtos patitur videlicet.
Primo, ſolito naturæ curſu, uti ſi exundans fluvius civitatem hauriat, aut co-
orta tempeſtas navē ſubmergat, ſimul juſtus & impius perit, quia ut ait R. Ba-
ſores.15 ruh aben Iaziah, in libro ſuo Kehilat Iahacob; naturæ curſus ob unum aliquem
non interrumpitur. Sic etiam ſyderum conſtitutione poteſt vir probus affligi:
nam ſi infirmi temperamenti fuerit, debilis erit. Eadē ratio erit, ſi in victu mo-
dum excedat. Atq; hoc pacto poſſunt ei incōmoda aliqua ſupervenire propter
infirmitatem aut malam conſtitutionem corporis, ut recte diſſerit hâc de re R.
More li. Moſeh in Directore ſuo. Quæ omnia vel inde probari queunt, quod Prophetæ
3.cap.12 Daniel ac Ieremias, viri ſancti, pii, etſi exilium non itidē promeriti, cum reli-
Mehilta quis tamen captivi fuerunt. Iccirco dicebant antiqui ſapientes משנתן רשות למשחית
Par.Bò. לחבל אינו מבחין בין צדיק לרשע *Quando data eſt noxio facultas nocendi, non diſtinguit*
*inter iuſtum & malum.* Declarat eā Iſhac Abravanel in libro ſuo Zebah Peſſah,
dicens, providentiæ exſecutionem fieri per media et cauſas inſtrumētales, quæ
non cum arbitrio aut voluntate operentur ulterius, quam ut divinam voluntatē
ad actum perducant: uti ſubito corruptus aër, et ſimilia, in quibus perſonarum
nulla eſt diſtinctio, ut nec lapis proiectus ceſſabit effectum ſuum conſummare,
Exod. propter meritum recipientis. Eandem ob cauſſam vetuit Deus Iſraelitas egre-
12.23. di oſtio domuum ſuarum ante matutinum tempus. Et per Prophetam Ieſaiam †
† 26.20. ait: *Age populi mi &c. latita quaſi exiguo momēto, donec præterierit indignatio.*
‡ artic.8 Vbi, ut recte notat R. Aaron aben Haim in libro ſuo Leb Aaron ‡ quamvis eos
vocet populum ſuum, monet tamen ut abſcondant ſe ab ira ſuâ; illa enim cauſſa
inſtrumentalis erat, quæ non diſtinguit inter juſtū et malū. Eodemque reſpiciēs
Dominus dixit per Iehezquel, ſe iuſtum cum improbo occiſurum: quod futurū
erat iuxta ordinem univerſalem naturæ, ut jam demonſtratum eſt.
Secundo, ſequens eſt ut iuſti quoque mala pati poſſint per individuam pro-
Ecclеſ. videntiam. Nam quia, ut ait ſapiens, nullus juſtus reperitur quin peccet: pec-
7 20. cata illa in hoc mundo puniri convenit, ut totus purus in alteram tranſeat. Quā
Iona. in mentem extat aphoriſmus veterum ſapientum: רובו זכיות ומעוטו עונות נפרעים ממנו
בע"הז כדי ליטול שכרו בע"הב *(Si) major pars ſunt merita, minor delicta, hæc in hoc mun-*
*do ſolvuntur, ut præmium ſuum accipiat in altero mundo.* Quâ in re æquitas cō-
ſupra c.3 ſiſtit, ut recte ſtatuit Iſhac in libro ſuo Nahalat Abot, ſupra ſententiam illam
Pirque a ובטוב העולם נידון *cum bonitate mundus judicatus.* quia quicquid hic pœnæ luitur, fe-
bot.ca.3. licitate alterius mundi compenſatur. Quin et ſunt incommoda (uti Seneca ait)
li. de Di quæ accipienti in bonum vertunt. Nonnulli ægritudines ſuas ferro et igne cu-
vina pro rant, alii fame et ſiti: alii carnem radunt, et oſſa nudant, venam incidunt, vel
videntia membrum aliquod abſcindunt; nonniſi fine bono. Sic etiam in rem juſti eſt ali-
*cap. 1. quando pœnæ quidpiam ſubire. Ideoque dicitur in Guemara Berahot * צדיק ורע לו
צדיק שאינו גמור וגו׳ *Iuſtus cui male eſt, iuſtus eſt imperfectus: iuſtus cui bene eſt, iuſtus*
*perfectus.* et aliquanto poſt confirmatur eadem ſentētia; etiā in Guemara Abo-
cap. 1. da Zara hac diſtinctione conciliatur uterq; S. S. locus, quem produximus.
Tertio ſunt etiam, quæ cum bona ſint revera, á nobis tamen mala habentur;
ſæpeq; riſu digna, lachrymas; deploranda, riſum nobis eliciunt, cuius rei cauſſa
Gen.30. eſt ignoratio futuri. Rahel petiit à marito ſuo liberos, addito, niſi impetraret,
1. perituram ſe; quibus verbis mortem optavit ſibi, obiitq; poſt è partu. Vnde di-
Berahot. cunt Sapientes noſtri *, in omnibus dicendum homini כל מה דעביד רחמנא לטב עביד
cap. 9.

Quid-

*Quidquid facit Deus, bono fine facit.* Vt etiam rebus duris laudare divinum no-
men teneamur, perinde ac si prospera darentur, et credere cuncta nostro bono
Deū facere. Exemplū habemus in Nahum, appellato איש גם זו *vir etiā istud.* Tahanit
Quia quicquid evenisset, dicere solebat, *Etiam hoc bono fine accidit.* Quamvis e- cap.3.
nim mala sæpe res aliqua videatur, bonum nihilominus eventum sortiri potest: Berahot.
uti de R. Aquiba memorant, et altero cui in adscensu navis spina pedem per- cap.9.
fodit; quam narrationem in Gemara Nida* legere est. Vnde videmus, pro ma- *cap.3.
lis sæpe à nobis haberi, quæ bono fine Deus facit.

Quarto multorum opinio est, et inter eos R. Mosis Gerundensis in opere suo
Torat Adam, Dominum nonnunquam, ubi nulla culpa sit, hominem castigare: *saar age-*
quas vocant יסורין של אהבה *castigationes amoris.* Quia justus non nisi ex adversis *mul.*
cognosci possit, uti Satan de Iobo dixerat, Si tibi servit Domine, non gratis hoc Iob.1.11
facit; tu omnibus eum bonis cumulasti. At simulac infelicem eum aliqua in re
feceris, illico offendet te. Huius generis fuit illa tentatio Abrahami. Eodē mo-
do, quo Imperator maxime ardua militum fortissimis committit: neq; ii id gra-
ve putant esse, neq; incusant imperatorem, sed honori sibi ducunt, quod sua o-
pera in rebus periculosissimis uti velit: sic & Dominus eos periculis immittit,
quibus abundè constantiæ esse novit ad ea superanda: *tentat Dominus iustum,*
inquit Psalmographus. Aliter vero pater filium castigat, aliter mater. Etiam Psalm.
præceptor discipulum eò acrius corripit, quo majora de eo sperat. Sic Domi- 11.5.
nus in bonos animo est paterno: *Quia quem amat Dominus castigat, ut pater fi-* Prov. 3.
*lium quem diligit.* Deniq; ut Plutarchus ait, boni sunt instar odoriferæ herbæ, 11.
quæ quo magis fricatur, eo odorem latius spargit: rosis et floribus cepas atq;
allia sapiēs hortulanus interserit, ut comparatione unius, alterius suavis odor tā-
to magis emineat. Vnde colligimus, Deum aliquando innoxios castigare; quia
vir probus in adversis multis se munit virtutibus, fortitudine, patientia, aliisq;
id genus.

Quinto, subinde bonis improsperæ res sunt, ob malitiam temporum, et pra-
vitatem hominum sui sæculi. Quia tunc retrahit eos Deus ad meliorem mun- 2.Reg.
dum, ne videant impendentes calamitates. Sic prædixit Regi Iosiæ, fore ut se- 22.20.
pulchro majorum suorum inferretur, ne videret malū populi sui. Hinc Iesaias: Ies.57.1
*Iustus perit, et nemo homo reponit in corde, quia ante adventum mali subducitur*
*justus.* Alias quoq; extrahit eum Deus ex fece hominū, ne ii bonorum meritis
velut protegantur adversus iram divinam.

Sexto, potest quis adversis conflictari ob peccatum parentis: unde Ieremias
Lamentat. cap. IV. 29. ait. *Patres nostri peccarunt, et non illi, sed nos luimus*
*delicta ipsorum.* Etenim nos, qui nunc ex populo Israëlitico in captivitate sumus,
nequaquam graviter adeo peccamus, quam fecerūt majores nostri; et fortassis
si adhuc in patria essemus, non ejiceremur inde. Sed ad recuperādam ejus pos-
sessionem, ingentibus meritis ac præparatione opus est. Ita ut nos ob majorum
nostrorum peccata nunc puniamur; quomodo sæpe Rex aliquis ob crimen pa-
rentis bona omnia in fiscum redigit, quis filius quamvis innocentissimus carere
atq; in paupertate vivere cogitur. Ita et adulterio natus, quē Mamzer, seu spu-
rium Lex Deuter. 23. 3. appellat, cœtu Domini arcetur, quamvis omnes in eo
virtutes concurrant.

Septimo, atque ultimo, divini Cabalistæ in μετεμψύχωσιν, seu animarū trans-

† *in Pœmandro.* migrationem credunt, multis quoque gentilium traditam, et in his Orpheo, Mercario Trismegisto †, Pythagoræ, Platoni †, ac Virgilio, qui sexto Æneid. ait:

† *in Phædro, Timæo, & Menone.*

*Has omnes, ubi mille rotam volvêre per annos,*
*Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno:*
*Scilicet immemores supera ut convexa revisant,*
*Rursus et incipiant in corpora velle reverti.*

Itaque possit quoq; bonus improsperis uti rebus, ob delicta quæ non in isto, sed alio corpore anima commiserit. Unde varia hàc in re considerare oportet. Nam nonnunquam hypocrita pro bono habebitur; quia, ut inquit Samuel: *Homo oculos videt, sed Deus cor inspicit.* (*1. Sem. 16. 17.*) Accedit, quod bona et mala æstimanda sunt ex persona cui accidunt. Rex solio deturbatus, si ad mercaturam descenderit, infelix est. Contra servus qui libertatem recipit, et vel sartor fit, fortunatus est. Quia nihil bonum aut malum est, nisi respectu hominis cui evenit. Quippe nec mercatura vilis est, nisi Regi: nec sartorem fieri, felicitatis, nisi in servo, habendum. Quod non ignorabant prophetæ, et viri pii, qui super hàc re questi sunt; sed tantummodo causas scire volebant, ob quas huic prospera, illi adversa contingerent. Cæterum Dominus rationem non reddidit; occultandam, ut mihi quidem persuadeo, existimans, quia transmigrationem animarum tangebat. Lex verò omnibus hominibus data est, tam sapiẽtibus, quam vulgo: neque omnes digni aut capaces sunt sublimis adeo mysterii. Qui re simul ostendit Dominus, quam ardua hæc materia sit. Sic etiam quando Moses ab Deo edoceri vias ejus voluit, *Gratiosus ero*, respondit Dominus, *cui fuero gratiosus, et miserebor cuius fuero misertus.* (*Exod. 33 19.*) ac si diceret, sibi soli id secretum se reservâsse, et gratia erga hunc, vel illum, pro voluntate suâ uti. Igitur si singularem providentiam spectemus, rectè Patriarcha Abrahamus dixit: in cæteris, nimirum solito naturæ ordine, aut providentiâ individuâ, aut ad expiandũ peccatum, vel utilitatem hominis, sive cum ex amore castigatur, aut denique cum propter peccatum parentis, vel proprium in alio corpore delictum, punitur, locum habere Ezechielis verba possunt. Sed nos aliò transeamus.

---

## QVÆSTIO XLIV.

Gen. 19. 13. *Nos enim perdituri sumus locum istum.* | Ibid. 24. *Et demisit Dominus super Sedomam et Hamorã pluviã sulphuris.*

Si Deus destruxit illa loca, cur angeli, sese ea perdituros dicunt?

## CONCILIATIO.

*cap. 4. Zebah Pessah. saar 66.* AIt Ishac Abravanel in libro suo Ateret Zequenim, semper Dominum in hoc inferiore mũdo per instrumenta aut media aliqua potentiam suam exercere. Illa autem duplicia sunt: vel enim cum intellectu, voluntate, atq; electione agunt: vel sunt caussæ instrumentales, quæ non cum electione, nec ulterius operantur, nisi quousq; præscriptũ iis est, in hoc aut illo casu. Tales sunt

sunt omnes vires, & opera naturæ, juxta Psalmographi verba: *Faciens suos*
*angelos spiritus, ministros suos ignem flammantem.* Adeo ut nunquam nisi il-
lis mediis quicquam Deus agat. Vnde quando ipse Deus immediate aliquid a-
gere dicitur, intelligendum est, abesse ea, quæ cum electione agunt. His ad-
iungendum necessario est, proximum actorem omnium miraculorũ Deum esse;
Prophetam verò, per quem ea fiunt, nonnisi caussam remotam, et instrumenti:
ut rectè contra R. Levi ben Guerson probat Ishacus Abravanel in doctissimo o-
pere Miphalot Eloim. Illis intellectis optimè conciliari hæc loca S. Scripturæ *lib. 10.*
possunt. Etenim Deus caussa destructæ per miraculum Sodomæ fuit; sed et an- *cap. 8.*
geli: quippe per quos Deus voluntatem suam exsequeretur: ut nõ immerito illi
dicere possent, *nos perdituri sumus illum locum*, tametsi caussæ remotæ essent.
Quoniam autem instrumenta erant patrandæ divinæ voluntatis, dixerunt, *et*
*imperavit nobis Dominus perdere eum.* Hinc quoq; explicantur verba illa: *Et*
*Dominus demisit pluviam sulfuris à Domino cælorum:* alioqui locus is satis ardu- Gen. 19.
us est. Quamvis autem Abẽ Ezra schematicam locutionem esse existimet, me- 24.
lius tamen R. Hellèò, ex sententia R. Simonis putabat, per primum nomẽ Do- *Ber. Ra.*
mini designari angelum Gabrielem; ut legatus usurpet nomen ejus, á quo missus, *cap. 51.*
et potentia donatus erat, ad consummanda destinata. Ideoq; ait, demisit (tan-
quam caussa instrumentalis) pluviam sulphuris et ignis, à Domino cœli, primâ
caussâ, et proximo agente. Nec mirum videri debet angelo dari nomen ejus à
quo missus erat, quia ut recte observavit Aben Ezra ad III. cap. Exodi, et R.
Ioseph Albus lib. II. cap. VIII. Icarim, tetragrammaton etiam aliis rebus at- *Exo. 13.*
tributum constat, ut cum de columnâ nubis dicitur, *et Dominus incedebat ante* 21.
*eos:* et *Movit se angelus Domini præcedens castra Israelis.* Etiam cum arca mo- *Ibid. 14.*
veretur, dixisse Mosem legimus, *Surge Domine &c.* Angelis quoq; idem voca- 19.
bulum datum, in historia Gedeonis, et aliis locis animadvertere est, quæ fuse *Numer.*
idem auctor adducit. Etenim quomodo videre oculum, audire aurem impro- 10. 35.
prie dicimus, cum, iuxta Porphyrium *, et alios, reflexio illa à sola anima ve- *Iudic 6.*
niat, quæ per oculum tanquam in speculo videt, quid quisq; agat; sic et impro- 15.
prie angelis primæ caussæ nomen datur, quia per illos potentiam suam Deus in ** de ab-*
inferiores exercet. *stin. ani-*
*mal. et l.*
*de anim.*

---

## QVÆSTIO XLV.

| | |
|---|---|
| Gen. 21. 31. *Vocavit Abraham nomen loci Beer Sebà.* | Ibib. 26. 33. *Et vocavit illum Sibha; idcirco nomẽ civitatis illius est Beer Seba, ad hunc usq; diem.* |

Quomodo nomen, quod ab Abrahamo civitati impositum est, Ishac dedisse dicitur?

## CONCILIATIO.

DVpliciter hanc quæstionem doctus Aben Ezrah solvit: nimirũ loco huic Beer Sebæ nomẽ diversas ob caussas impositum; ab Abrahamo quidem, propter præstitum Abimelecho Regi iuramentum: ab Isaaco autẽ, quia septimus hic locus fuerit, in quo aquas reperisset. Etenim שבע *seba*, et *iuramentũ*,

et *septem* exponitur. Porro, ut rectè observavit R. Obadiah Sphornus, primo loco שָׁבַע *Saba* cum cametz scribitur, quomodo tantum *jusiurandum* denotat: secundo שֶׁבַע *seba* cum segol: qui re duplex nominis caussa innuitur; scilicet juramentum, & numerus septenarius: atque ita Ishacus idem illi loco vocabulū, sed aliam ob caussam indiderit.

II. Vel, ait Aben Ezrah, locus hic diversus est ab eo, cuius in Abrahami historia fit mentio; et ab Isaco iuramenti caussa nomen accepit. Quod ex Ieosua
15.2. probatur, in quo legimus in ea parte terræ sanctæ, quæ per sortē Simeoni obtigit, bis nominari באר שבע שבע ומולדה *Beer Seba, Seba, et Moleda:* unde colligitur
Maase a bot.c.29. diversa loca fuisse, quemadmodum rectè notavit R. Elihezer Germanus.

III. R. Ishacus Arama ita hunc locum interpretatur. *Et vocavit eum Sibha: ideoque nomen civitatis est Beer seba.* id est, Ishacus vocavit eum locum Sibha, et eam ob caussam nomen eius est Beersebah. Dicere vult, propter iuramentū ab Ishaco locum hunc Sibha nuncupatum; qui propter similem caussam, videlicet iuramentum Abrahami, appellatus sit Beer seba: adeo ut ex illius sententia Sibha et Beer seba, diversa nomina, idem notent. Qua in opinione etiam fuit Ishacus Abravanel, et Baal a-Hisquuni.

IV. Ego crediderim, eidem puteo idem vocabulū ab Abrahamo & Isaco impositum. Sed cum Abrahamus apud Abimelechum iuravit, nomen illud civitatis periisse. At quando cum eodem Abimelecho amicitiam iniit Ishacus, confirmatum ab eo vetus nomen permansisse. Quod ex Scripturæ verbis colligo. Etenim non legas nomen ab Abrahamo impositum permāsisse ad hunc usque diem; quā phrasi Scriptura uti solet in designanda rei cuiuspiam perpetuitate; sed ubi de Ishaco sermo est, ait, *Ideo nomen loci est Beer seba ad hunc usq; diem:* nimirum quia ab illo tempore locus ille nomen hoc retinuit.

V. Quin et dicere possis, Abrahamum, soli loco et tractui, in quo puteum reperit, nomen hoc dedisse. Sed Ishacum urbi: quod similiter ex Scripturæ verbis elicio: nam de Abrahamo dicitur vocavit מקום *Macom* locum: at de Ishaco העיר *a-hir*, urbem.

---

## QVÆSTIO XLVI.

| | |
|---|---|
| Genes. 22. 1. *Et factum est post hæc verba, ut Deus tentaret Abrahamum.* | Psalm. 7. 10. *Explorator animorū et renum, Deus justus.* |

QVi alium tētat, ignoratione futuri id facere videtur. Quod si, iuxta Psalmographum, Dominus secretissima cogitationum novit, quo fine tentavit Abrahamum, cuius ab æterno animum perfectum habebat?

### CONCILIATIO.

† lib.3. cap.24. ‡ Aqued. saar 21. R. Moseh in Directore†, et qui eū sequitur R. Ishacus Arama‡, ait, Deū neminē tētare, ut quæ āte ignoraverit cognoscat (quippe ōnia ei ab æterno cogni-

cognita fuisse) sed ad exemplũ hominũ, ut ipsi, quid faciendum aut credendum sit, inde intelligăt. h. e. non propter actũ in se, sed effectum ejus. Itaque cum Abrahamus filium sacrificare iussus sit, nequaquam id mandasse Deum, ut de pietate eius, ab æterno sibi cognitã, certior fieret; sed tantum ut exemplum in eo haberet genus humanum, disceretque, quid non Creatoris gratiã suscipiendum foret, quando Abrahamus, cui unicus modò filius, cui ætas gravis, nec spes ulla tollendæ in posterum prolis, ad nutum Domini, Ishacum filium decollare paratus fuerit. Notare hac quoque in re licet, Patriarchas, ac Prophetas, revelationes non pro inanibus commentis aut somnijs habuisse, sed pro certissimis vaticiniis, perinde ac si manibus jam palpavissent, quod mente conceperant. Vnde Abrahamus exacto triduo ad exsequẽda Numinis jussa deliberatò semet accinxit. Objicit Aben Ezra, non potuisse hominibus exemplo esse, quod non viderant. Quippe Abrahamum solum cum filio progressum, ne ipsis quidem famulis adhibitis. Sed neminem id movere debet, quia in Lege, quod omnes verum confitentur, scriptum est, *Testimonium Dei verax est:* ut fidem habere ei cogamur, perinde ac si oculis cuncta usurpassemus. Igitur iuxta hanc opinionem R. Mosseh verba עתה ידעתי *nunc novi* te Dei timentem esse, tantũdem valeant, quã si dixisset עתה הודעתי *nunc indicavi* mundo te reverentem Domini fuisse. Et profecto multis locis reperias unam pro altera conjugationem usurpari. Si R. Selomonem le-bet a-Levi audimus, verbum נסה *nissà*, quod nos interpretamur *tẽtavit*, etiam significat *sustulit*, aut in sublime evexit, à vocabulo נס *Nes* vexillũ. Quare tunc S. S. dicat Abrahamum hac animi constantia Phari et vexilli instar erectum, ad cuius lucem omnia omnes facta sua dirigere teneantur, tanquam speculum virtutis. Hanc sanè opinionem amplexus est R. Iosse Galilæus in Ialcut †, cuius mentem recte cepit R. Semuel Iaphe, in opere suo Iephe Toar, eandemq; sententiam sequitur R. Bahye ‡; qui addit, Abraham cum exivisset ad immolandum Isaacum, ideo servos dimisisse á se, ne caritate Isaaci, bonum consilium suum præpedirent.

*Psal. 19. 8.*

*in Lebẽ Selomoh art. 492.*

† *part. 1. artic. 96*

‡ *Ad hũc locum. et in par. Besalah.*

II. Doctus Aben Ezrah, R. Moses Gerundensis, R. Nissim, R. Hasdai in libro suo Or a-Sem *, et R. Obadiah Sphornus, ajunt à Deo neminem tentari nisi suo bono, ideoq; non malos, sed solos bonos tentatione sua Deum dignari, quos sciat constantiam retenturos, iuxta Psalmographi verba, *Iustum tentat.* Quod etiam senserunt R. Natan, R. Iosse, et R. Elhazar in Beresit Raba †. Tentatio autem ipsa non aliud vult, quam ut vir probus voluntatem suam à potentia ad actum perducat: nam aliud cogitationum, aliud operis prẽmium est, quia ut in Ethicis Aristoteles ait, felicitas consistit in habitu maxime excellenti, qui non in potentia, sed actu censetur. Etiam R. Ioseph Albus mercedem longe majorem paratam ait ærumnas et gravia quæque perpessis, quam his qui animo ad eas sufferendas promto fuerunt, si ita res tulisset. Nec posse eum, qui gladio se accinxerit tãtopere gloriari, atq; illum, qui hostilem aciem superaverit. Denique ut in prælio strenuus miles, in tẽpestate peritus navita cognoscitur: ita et Deus vult justos exerceri laboribus et ærũnis, quò postea probatæ virtutis præmia majora ferant.

* *li. 2. c. 1*

*Psal. 11. 5.*

† *cap. 15.*

*Icarim. l. 4. ca. 13.*

*I. Reg. 20. 11.*

III. R. Abraham Salom in opere suo Neve Salom, hunc in modum loquitur. *l. 10. c. 1*
Verbum hoc נסה *Nissa* est tertiæ conjugationis פעל *Pihel*: ideoq; non est transferendum *tentavit*, aut *probavit*, sed *probari fecit:* deinde subdit. Esse nonnulla

quæ

quæ ipsa probet experientia, quæque ita se habere ipsa ratio ostendat; cuiusmodi sint principia artium, ut totum esse majus parte sua, aliaq; id genus. Rursum alia esse, quæ experientia & usu comprobentur, et si ratio nescitur: uti cum magnes attrahit ferrum. Alia iterum quæ intellectus concedat, at nõ sensus, ut Solem magnitudine suâ terrã superare. Deniq; esse quæ nec sensus neq; intellectus concedat, nihilominus certo credantur, quia captum hominis excedãt, qualis sit resurrectio mortuorũ. Sed quia initio Abrahamus, quippe summus Philosophus, non alia admitteret, quam quæ petitis à naturà rationibus adstrui possent (quod illorum dogma esse etiam tradidit R. Ishac Arama in libro quem
*saar.* 3. inscripsit Hazut Casa) voluisse Deum ei perperam hanc opinionem eximere, eoque fine duo imperasse, contrà naturam. Primo ut semet circumcideret, dein ut filium sua manu perimeret. Per quæ, quamvis rationi contraria, et indigna homine viderentur, consummata fuit fides Abrahami. Etenim quisquis divino mandato addicte adeo paret, ut tam generosa facta audeat, certissime credit et numen esse et potentiam eius infinitam, et providentiam: credit quoq; mundum creatum, et vaticiniorum veritati fidem habet, alioqui, ut recte prædictus autor ait, non gereret morem talibus præceptis, quæ contraria esse humanæ naturæ videntur. Ideoq; S. Scripturam exponit: *Deus fecit experiri Abrahamum*, hoc est, reipsa eum experiri fecit talia quæ intellectum excederent: cum juberet eum decollare filium suum; ne in posterũ negaret omnia, quæ intellectui aut naturali rationi adversantur: sed nonnulla fide sola adsequeretur, ut resurrectionem mortuorum, et talia.

† *lib.* 1. *saar* 3. ‡ *cap.* 21 * *fol.* 323

IV. Aliam hâc in re opinionem R. Levi ben Guerson amplectitur, quam ne prolixior sim memorare supersedeo, adeat lector librum eius Dereh Emuna †, Maasseh Abot ‡ et Iephe Toar *. Nobis hæc ad concilianda S. Scripturæ verba sufficere videntur.

## QVÆSTIO XLVII.

| | |
|---|---|
| Gen. 22. 12. *Quia nunc scio te timentem Dei esse.* | Iesai. 46. 10. *Indicantem à principio finem.* |

SI Dominus ab æterno omnia scivit, et à principio finem indicat, quare hic dicit Abrahamo, Nunc scio te reverentem Dei esse?

## CONCILIATIO.

† *lib.* 1. *art.* 101. ‡ *lib.* 3. *cap.* 24.

R. Elihezer in Ialcut † ita ait: Nunc scio, hoc est, nunc notum feci omnibus, te amantem mei esse. Idem placuit R. Moseh ‡, quem supra ostẽdimus credidisse, Abrahamum à Deo tentatum, ut officii ac pietatis in Deum exemplum in eo mortales haberent.

II. R. Moseh Gerundensis, et quicumq; sententiæ eius adhærent, dicunt voluisse angelum, Hactenus, Abraham, Dei timẽs potentiâ eras: at nunc talem te esse re ipsa ostendisti. verba autem *nunc scio* exponere possis ex sententia R.
*Gen.* 12. 11. Ioseph Albi, qui cum egrediens ex Ægypto Abrahamus diceret coniugi, *Iam scio mulierem formosam aspectu esse te*: ait non hanc mentem eius fuisse, tunc demum

mum intellectum ſibi formoſam eſſe Saram: ſed viſis Ægyptiis mulieribus, cōfirmatam eſſe opinionem, quam ſemper de eximia ejus ſpecie habuiſſet. Etenim eodem modo Deus quando ait, *nunc ſcio*, non de nova ſcientia loquitur, quippe omnium ab æterno gnarus; ſed, quia diverſa eſt cognitio eius, quod ad actum perducitur, ab eo quod in potentia tātum exiſtit; inquit Dominus, nunc quia reapſe probaviſti pietatem tuam, ſcio, et confirmo cognitionem tui, quam ſemper habui, veram, et te timentem mei eſſe. Eſtque hic mos loquendi.

III. R. Ishac Arama, & Ishac Abravanel dicunt, angelū cum Abrahamo colloquentem hæc verba prolocutum. Ne extendas manum tuam in puerum &c. quia iam ſcio te timentem eſſe Dei, ac ſi dixiſſet, Putaſne Abraham opus eſſe, quo te Dei reverentem oſtendas, ut filium tuum decolles? falleris; ne manum tuam extendas in puerum, quia jam ſcio te nihilominus metuentem Numinis eſſe, etſi mandatum non perficias.

IV. Doctus Aben Ezrah ſubnixus excellentia linguæ Hebrææ, ait verbum ידע *Iada* eſſe *cognoſcere*, et per conſequens *miſereri*, quomodo in deſtructione Sodomæ dicitur ואם לא אדעה *ſin minus miſerebor*. Neque iuxta hanc ſententiam ulla Gen. 18. ſit difficultas, quia non ait, nunc ſcio te reverentem Dei eſſe, ſed nunc miſeri- 21. cordia ducor, quia es timēs. Idem R. Moſeh Alchech, in opere ſuo Torat Moſeh, probatum it altero Exodi loco, ubi dicitur וידע אלהים *et miſertus eſt Deus*. Exod. 2.

V. Auctor Dereh Emuna, angelum putat de ſe ipſo dixiſſe, *nunc ſcio*. Quod 25. mirandum non eſt, quia angeli nequaquam omnia prænoverūt. Ita ut idem angelus, qui vocaverat Abrahamum, ei dixerit, *Ne immittas manum tuam in puerum &c. quia nunc ſcio te eſſe Dei timentem, cum non vetuiſti filium tuum, unicum tuum à me.* Dicere vult, ut veniret ad me, et eſſet unus è noſtro ſacroſancto ordine. R. Semuel Iom Tob in libro ſuo Mizmor le-todà, probat hanc ſen- *ſupra* tentiam, dicens angelum, ſi Dei nomine locutus fuiſſet, dicere debuiſſe, nunc *Pſal.* 119 ſcio quod me timeas: nā in S. S. legatus ſemper loquitur ex perſona mittētis.

VI. Obſervamus in Lege affingi Deo oculos, aures, manus, aliaq; corporea membra: quia, ut ait R. Ishacus Arama in opere ſuo Hazut caſſa, tribuimus ei *Saar* 6. quod in nobis perfectionis videtur, quamvis excellentiore quodam modo. Vnde et notare licet è ſenſibus auditum et viſum ei attribui, at non guſtum aut tactum, quia nihil fere conferūt illa ad intellectum aut rationem hominis, ut notavit R. Moſes †, R. Ioſeph Albus ‡, R. Bahye in libro ſuo Kad a-quemah *, † *lib.* 1. et R. Menahem ben Zerah in Sedà la-dareh ¶. Vſurpat autem S. S. tales phra- *cap.* 46. ſes, quæ fortaſſis abſurdæ videri poſſint, ut abſurdius vitet; nimirum negatio- ‡ *Icarim.* nem providentiæ, ac divinorum operum. Ita quoque hoc loco dicitur, *nunc ſcio* *l.* 2. *c.* 21 ad oſtendendam arbitrii libertatem. Etenim ſi dixiſſet, jam ante illud ſciebam, * *Ot zain* fortaſſis multi inde cauſſam ſumerent eiuſmodi prædeſtinationem ſtatuendi, ¶ *l.* 4. *c.* 1. quaſi quicquid divina mente continetur, neceſſario cōtingere deberet. At cum ait nunc ſcio, viddetur liberum cuiq; relinquere, quid velit facere.

VII. Quin et dicere liceat verbum ידעתי *Iadahti* præteriti perfecti ſignificatione hic uſurpari. Quomodo dicat angelus, *iam ſcivi*, id eſt, id quod nunc evenit, aut hodiernam actionem ſcivi ab æterno in æternitate, quod punctum eſt permanens et complectens præteritum ac futurum.

---

QVÆST.

## QVÆSTIO XLVIII.

Gen. 22. 12. *Nunc ſcio te timentem Dei eſſe.* | Ieſai. 41. 8. *Semen Abrahami amici mei.*

T.2.2.q.19.9.2.

IVxta Thomā Aquinatē et Philoſophorum alios, non timor virtus Theologica eſt, ſed amor. Quod ſi Abraham vocatur amicus Dei, propter conſtātiam in offerendo ad necem Ishaco, quare hic nuncupatur timens Dei?

## CONCILIATIO.

RMeir Gabai in libro ſuo Abodat a-codes, et R. Menahem de Ricanate in gloſſis ſupra Pentateuchum aiunt duas ſpecies timoris eſſe: alium enim timorem ſervilem eſſe, ut cum pœnam metuit, qui contra mandatum facit; alium potius reverentiam appellandum, quali in Regem ſumus, ob faſtigium ac majeſtatem ejus. Talem reverentiam Numini debere nos ait R. Moſeh in Iad a-hazaqua *a*. Ideoque dicitur Abrahamus, nihil reformidans ſolà Dei reverentià, et ardentiſſimo ejus amore, mandata confeſtim exſequi voluiſſe. Eandem ob cauſſam Raban Iohanan ben Zakai *b* benedicens diſcipulis ſuis, optavit ut timor cœli eos intraret; quod exponitur, timor angelorum, et quēadmodum rectè notat Rabi Aaron Semuel Salom, in libro ſuo Niſmat Adam *c*, vir pius nominatur ירא שמים *Iere ſamaim (timens cœli)*. Quia eodem in Deum eſt timore, quo in cœlum, aut ſacroſanctos. Atq; hic timor eſt, qui reverentiæ vocabulo deſignatur: uti etiam ſenſit R. Eliahu Vitalis in opere ſuo Reſit Hohma *d* R. Ioſeph Albus *e*, R. Ishac Arama *f*, R. Elihezer Germanus *g*, R. Iehuda Moſcatus *h*, atq; omnes adeò uno conſenſu volunt ſecundam hanc ſpeciem timoris virtutem eſſe theologicam ac divinam: et quomodo ait R. Tam in libro ſuo Sepher a-yaſar *i*, illum timorem poſcit Dominus in Deuter. *k* quia ex amore oritur.

II. R. Ishac Arama in Aqueda *l*, et in Hazut Caſſa *m*, ita differit: Philoſophi, Ariſtoteles, aliiq; eiuſdem ſectæ, primam cauſſam cognoverunt per motum, ideoque amarunt et reveriti ſunt Deum, tanquam talem, quem agnoſcerent maxime ſublimem et primam omnium rerum cauſſam eſſe: non tamen timuerunt pœnam, quia non concedebant divinâ providentiâ regi ſublunaria: unde Deū alto adeo poſuerunt loco, ut dicerēt eū nec curare humana, neq; ſua providentia regere. Sed Abraham, qui maximus Philoſophus erat, agnoſcebat providentiam, & credebat cœlitus ſupervenire ſibi aliquid mali poſſe. Eamq; ob cauſſam meritò illi nomen Timentis dabatur; quia talis timor eſt virtus Theologica: nam præſupponit providentiam; quamvis priorem ob rationem amicus vocetur. Nec movere debet, quòd iuxta Platonem *n*, & Euripidem *o* amicitia eſt certa quædam æqualitas; unde Ariſtoteles *p* nō uno loco ait, haud rectè Deum dici amicū hominis, quia nulla inter hūc & illum ſimilitudo aut proportio ſit. Etenim, ut rectè ait Philo Iudæus *q*, quiſquis intellectu & ſcientia præditus eſt, dūmodo talis ſit qualē eſſe oportet, mereatur Dei amicus vocari. Quin & Scotus *r* ait hanc amicitiam vocari poſſe ſuper-amicitiam; uti & Plato *ſ* pluribus locis affirmat

*l.1.c.26.* a *Ieſodè tora.c.2.* b *Berahot.c.4.* c *art.76* d *ſaar a-yrha.c.2.* e *Icarim l.3.c.32. et 34.* f *Aqued. ſaar 42.* g *Mahaſe a-ſem cap. 6.* h *Nefuſot Ieuda ſerm.30.* i *ſaar 2.* k *Deut. 10.12.* l *ſaar 92* m *ſaar 2* n *li.6.de Legib.* o *in Phœniſſis* p *lib.2. Magn. Moral.c. 11. et 8. Ethicor. cap.7.*

affirmat, homine justo nihil Deo esse magis simile, aut acceptum et amicũ magis: et Plutarchus *t*, Deo non esse amicitiã cum bestiis, sed cum hominibus, qui virtutem sectentur. Quod si ipse Aristoteles Ethicorum libro tertio fatetur, similitudinem esse caussam amoris: potest certe homo ob eandem similitudinem appellari amicus Dei. Sed mirum non est Aristotelem, destitutum lumine S. Scripturæ, ut in aliis compluribus, ita in hâc quoq; re erravisse.

*Politic. 5 c. 1. et 2.*
q *de his verbis Resipuit Nobe.*
r *lib. 1. dist. 2.*
s *in Minoe et Theætet*
t *in Numa.*

---

## QVÆSTIO. XLIX.

Gen. 25 23. *Et major serviet minori.* Itẽ 27. 40. *Et fratri tuo servies.* | Ibid. 33. 3. *Iacob septies se humiliat coram fratre suo.*

## CONCILIATIO.

PEritus linguæ Hebrææ facile videbit, valde ambiguũ Rebeccæ responsum esse, et verba in diversum trahi posse. Sunt ea ורב יעבוד צעיר *et major serviet minor.* Quod si mens fuisset majorem servum minoris futurum, addendũ erat adverbium את *Et*, ac dicendum, ורב יעבוד את הצעיר *et major serviet minori.* Etenim, ut ait R. David Kimhy in Michlol, hæc verba, ראובן הרג שמעון *Reuben occidit Simhon*, dubia sunt, et æque potest Ruben ac Simhon intelligi homicida. Eadẽ ambiguitas etiam hic est, inducta ad denotandum, fore tempus, quo major minori serviret, et contra quoq; tempus quo minor majoris servus esset. Nam utrumq; sensum ex præcitatis verbis haurire est. Interpretanda autem ea sunt ex operibus Iacob, aut posterorum eius, nimirum si boni essent, subjectos & tributarios fore iis posteros Esavi: sin pravi essent, et Legis præcepta transgrederentur, contrariâ conditione usuros: ut notat Anquelos a-Guer in his verbis Isaaci ad Esau. *Et erit quando indignaberis, excuties iugum eius abs te.* Quod probatur Achioris verbis ad Holophernẽ. Simili ambiguitate utitur S. S. quando in commemoratione primitiarum, ait orationis principium hoc fore ארמי אובד אבי *Aramæus perdens pater meus:* etenim si dicere, vellet, Arameum aut Labanem, perdidisse Iacobum, adiiciendũ erat adverbiũ את *Et*, dicendumq; ארמי אובד את אבי *Arami perdens patrem meum:* sed prælata est ambiguitas, ad eandẽ rem quam dixi denotandã. His præsuppositis, ita occurritur huic quæstioni: quatenus prophetia erat, modò serviturum Iacobum, modò Esavum; conveniebat, ut Iacob se prior incurvaret, ac serviret, quia dominium primo ab Esavo cœpit: quo cõsummato, excepit imperium Iacobi æternum & durabile, uti aiebat Bilham: *Principium gentium Amaleq; et finis eius usq; ad perditionem:* quæ gentes sunt Esau et Iacob, quomodo ait S. S. *duæ gentes in ventre tuo.* Harum duarũ ait priorem fore Amalec, quæ originem traxit ab Esavo: idq; ut postea penitus destrueretur. Et quia post dominium Esavi confestim subsecuturum erat imperium Iacobi, calcibus percussit fratrem suum Esau, et vocatus est יעקב *Iahacob*, id est, *calcibus percutiet*, ad indicandum, tandem Iacobum sub pedibus (nam & illud significat vocabulum עקב *Hequeb*) habiturum esse Esavum. Idq; indicat Dominus per prophetam Oseam, dicens, *in ventre apprehendit calce fratrem suum.* Qua de caussa R. Iehosua filius Levi, interrogatus à matrona quapiam,

*saar amilot.*
*Gen. 27. 40.*
*Iudic. c. 5*
*Deut. 26. 5.*
*Numer. 24. 21.*
*cap. 12. 4*

uter imperium esset amissurus: sapienter his verbis respondit, *et manus eius prehendens calcaneum Esavi.* Quare cum ambigua sit prophetia, dicimus Iacobum primo serviisse Esavo, quia hic prior dominium tenuit, eoque jure se incurvavit Iacob coram eo: sed per alteram intelligitur id quod speramus fortunato, et futuro sæculo completum iri.

---

## QVÆSTIO L.

Genes. 25. 27. *Et Iahacob vir integer &c.*

Ibid. 25. 31. *Vende mihi hodie primogenituram tuam.* Ergo decepit fratrem suum.

Vox illa תם *Tam*, quam interpretamur perfectus, iuxta R. Salomoh denotat sinceritatem & bonitatem animi, liberi ab vafritie omni. Quod si ita est, quomodo Iacobum illo elogio S. S. dignatur? quem postea memorat primogenituræ ius lenticula redemisse, atque ita Esavum fratrem decepisse; quod illicitum videtur.

### CONCILIATIO.

Deut. 21. 17. SI Patriarcha Iahacob ad duplicem in hæreditate portionem obtinendam, uti in Lege præcipitur, primogenituræ jus sibi concupiisset, aut certè honorum cupidine, profectò culpà non vacaret; sed eum non horum quicquam impulit, verùm spiritualium bonorum cupido, quibus præ minore primogenitus fruitur: hæc enim alteri, quam merenti obtingere, iniquum est. Quam rem huiusmodi exemplo satis clarè explicat R. Ishac Arama. Proponamus, inquit, nobis rempublicam aliquam ubi (ut hodieq; in nonnullis fit) Reges electione ad summum fastigium perveniant, non autem jure hæreditario. Accidit multo tempore exacto, ut rex eligeretur tam benevolus, tam probus, tam justus ac pius, deniq; strenuus adeo defensor patriæ libertatis, ut Respublica omnia ejus acta probans, pro præmio bene administrati regiminis, cōferret ei ius imperium ad posteros suos transmittendi. Illo mortuo filius in regno succedit; qui geminam prolem melioris sexus sustulit. Filius natu major quà corporis, qua animi vitiis detestabilis, et aspero atq; immiti ingenio est; minor contra super formam, etiam mirà comitate, adeo cunctis acceptus, ut communi consensu proceres eum evehere ad regium fastigiū velint. Sed quia avo juramentum præstiterunt, fore ut semper justus hæres succederet, eoq; majori regnum debebatur, convivium parant; ubi postquam multo potu cessit prudentia, variis rationibus persuadent ei ut regnum deponat; onus eius arduum & plurimi laboris, tranquillam contra vitam omnium suavissimam esse dictitantes. Igitur filiorum major vino captus exsolvit eos juramēto: et magno applausu summa imperii ad minorem trāsfertur. Exemplum profecto satis clarum est. Etenim principio mundi felicitas in primogenitura nequaquam sita erat, quæ extra potestatem hominis erat. Sed quo merita cuiusq; majora, eo et aliis præponebatur, quomodo in Set, Sem, ac talibus, usu venisse videmus. Idque obtinuit, donec illuxit mundo clarus ille et illustris Sol Abrahamus, qui tam egregia opera fecit, et Dei nomen usq; adeo publicavit, ut Dominus (qui nullū unquam

unquam præclare factum mercedis exsors esse patitur) felicitatem humanam in ejus manibus posuerit: eiq; et posteris ejus terram sanctam promiserit; deinde & divinum suum auxilium, particulari quâdam providentia: quemadmodũ ait; *Et dabo tibi ac semini tuo terram peregrinationum tuarum, et illorum Deus* Gẽ.17.8
*ero.* Eidem quoq; Abrahamo dixit Deus, *esto benedictioni* i. e. eum fore ipsam Ibi.12.2
benedictionem. Mortuo postea Abrahamo, per juramenti vim successit Ishac, qui quoniã bonus erat, magno omnium applausu privilegio et benedictione patris sui usus est: sed postquam Isaco duo filii nati sunt, Esav et Iacob, adeo diversæ per omnia naturæ, uti non expediebat, ita nec cœlum passurum erat, ut Esavus, homo pravus et iniquus, solùm quia major erat (quod ei non virtus dederat, sed natura) frueretur benedictionibus Abrahami: Iacobus contra, etsi minor, dignior tamẽ, careret. Et quando simul uterque, tam diversæ naturæ, frui iis nequibant, Iacobus, ut rectè notat Ishac Abravanel, assentiente matre, edulium paravit, quo id dignitatis redimeret; idque tãti Esavo fuit, ut facile ei persuaderetur, onera primogenituræ periculosa esse. Quà in re nihil subdole actum à Iacobo. Primo enim id ei eripuit, quod flocci faciebat: unde ait S. S. *Et con-* Ibid.25.
*temsit Esau primogenituram:* cuius capax non erat: quippe impius & deprava- 34.
tus. Secundò, quia quisque omnibus viribus conniti debet, ut possideat vera et spiritualia bona, quamvis contra ipsum fratrem, quomodo Iacobus (cæterum post venditum jus primogenituræ) fecit in accipiendâ benedictione. Vnde Ishac id factum non appellavit fraudẽ, sed prudẽtiã, quando dixit Esavo בא אחיך במרמה Ibid.27.
quod Anquelus transtulit *venit frater tuus* בחכמא *cum scientia.* Et ex eo sumsit e- 35.
andem interpretationem R. Selomoh. Etsi autem primo benedicere Esavo voluerit Ishacus, postea tamen re melius perpensâ, confirmavit benedictionem Iacobo, ne eâ quasi fortuitâ aut præter mentem factâ frueretur. Quin et prorsus acquievit ipse Ishac, credens ita rem totam divina voluntate actam esse, ut benedictione parentis frueretur is, qui merebatur. Imo et temporalium benedictionum, quibus Iacobo, quem Esavum esse rebatur, benedixerat, comperit eum capacẽ esse: ut rectè observavit R. Ieosuah ben Sueb in libro Quæstionũ. Ita ut Iahacob per eduliũ, tametsi minor erat, tamen tanquã primogenitus et legitimus hæres obtinuerit regnum datum Abrahamo, terram promissionis, ac bona spiritualia; qua in re æmulum se, & sollicitum ostendit.

II. In Rabot † dicitur priusquam tabernaculum erigeretur, licitum fuisse al- † Ber.R.
tarium usum, et divino cultu non nisi primogenitos fungi solitos, quod postea cap.63.
iuris solis sacerdotibus datum sit. Idem cum Hieronymus ‡ prodit, ex eo libro ‡ ad E-
hausit. Hanc ob caussam Iacobus, perspectâ Esavi pravitate, judicavit, indignũ vagriũ,
eum qui id officium curaret: quia ut etiam libro VI de legibus statuit Plato, sa- et in qu-
cerdos esse nequit, qui vitiis inquinatus est. Ideoq; petiit vendi sibi primogeni- æst. He-
turam, non multum repugnante Esavo, qui eam contemnebat. Idem legere est bræis.
apud R. Sem Tob ben Sem tob in sermonibus.

III. R. Abraham Salom ipsam dictare rationem ait, honorandum esse primo- ‡ Neve
genitum, eiq; primum locum dandum. Quia ille cum primus fratrum sit, Salõ.li.2
Deum hâc parte repræsentet, qui omnium eorum quæ sunt principium cap.25.
est: vnde dixerunt antiqui sapientes, officium divini cultus commissum esse primogenitis, quia primus autor omnium rerum cultũ suum peragi voluerit à primo hominum. At Iacobus et Esavum ob primogenituram sibi honorandum; et

vicissim propter vitia sua, eum hoc honore indignum, intelligens, astute explorare voluit, an capax ipse esset dignitatis suæ: quia si iusta æstimatione metiretur primogenituræ jus, jam dignus erat cui honor haberetur: sin suæ ipse dignitatis ignarus, imo & contemtor esset, licebat ei non venerari eum, et operam dare, ut ipse possideret id, quod alter aspernabatur. Ideoque velut tentabundus dixit, *Vende hodie mihi primogenituram tuam*, assentiente confestim Esavo, ac dicente, si moriendum sibi sit, quid sibi cum iure primogenituræ? quâ re immortalitatem animarum negabat, et providentiā. Adeo ut licuerit Iacobo acquirere sibi jus primogenituræ, et quidem sine culpâ.

† *Der.t-Sot R. Nissim.* * *cap. 1.*

IV. Idem quoq; placuit R. Nissim †, additque is, illo die mortuum fuisse Abrahamum, ut traditur in Guemara Batrah *: ideoq; Iacobum coxisse lentes, edulium lugentium, quia sunt rotundæ, quod symbolum est rotæ ac vicissitudinis rerum humanarum, quæ raro eodem stant vestigio. Esavum autem ex campis remeantem, quamvis avum suum defunctum comperisset, tamen nihil motum morte, quam justissimis de caussis deplorare debuerat, petiisse à fratre suo edulium, quod ille paraverat. Sed Iacobum animadvertentem tam parum eum moveri fato avi, et nihili pendere, utrum ramus tam illustris radicis esset, dixisse ei, quia ego maximi pendo me tali avo ortum, tibi autem id spretum est, æquum non est me, ætate minorem, curam ac regimen domus tenere; te autem, qui major es, in campum euntem venationibus, et animi tui oblectamentis indulgere: quare quia tibi illa vita placet, vende mihi primogenituram, et ego onus curamq; omnem in me recipiam. Neq; Esavum, qui iusta peti existimaret, abnuisse. Ita ut omnibus prædictis modis potuerit Patriarcha Iacob integra conscientia Esavi primogenituram sibi adquirere, et benedictionem parentis præripere sine dolo malo. Multo minus fraus ulla erat in invento virgarū apud Labanum: quando solum laboris mercedem ab injusto Labano negatam acquirebat. Sed nos tempus est ad alia progredi.

## QVÆSTIO LI.

Gen. 26.34. *Esau duxit uxorem Iehuditham filiam Beeri Chittæi; et Basmatham filiam Elonis Chittæi.* Item 28.9. *Et accepit Machalatham, filiam Ismaelis.*

Ibid. 36. 2. *Esau accepit uxores suas è filiabus Kenahanæorum; Hadā filiam Elonis Chitthæi, et Aholibamā filiā Hanæ, filiam Tzibhonis Chivvæi: deinde et Basmathā filiā Ismaelis.*

HIc manifesta videtur esse contradictio, quatenus duobus locis, conjuges Esavi recensentur, & quidem diversis nominibus.

## CONCILIATIO.

QVandoquidem posteriori loco dicit S. S. *Esau accepit uxores suas*, h. e. uxores suas quas iam ante habebat: consentiunt omnes authores, easdem esse has, atq; illas, quæ priore loco nominantur, nisi quod alia iis nomina dentur. nimirū Hadā filiā Elonis esse Basmat filiā Elonis; Aholibamā filiam Anæ, esse Iehuditham filiam Beeri; Basmat autē filiā Ismaelis, esse Mahalath filiā Ismaelis

maelis. Adeo ut eædem mulieres diversis nominibus vocitentur. Quod mirandũ non est, cum plurima id genus in S. S. reperiantur. Et Aben Ezra, congruo sane exemplo id probat: ostendens eodem modo quo Iehudith filia Beeri dicitur Aolibamah filia Anà, mutato vocabulo et ipsius, et parentis ejus; ita Abiam Regem, qui primo Regũ † nuncupatur filius Maahæ, filiæ Absalõ, secundo Chronicorum ‡ vocari filium Mihayu, filiæ Hunæ: quia varia iis nomina forent. † cap.15 2. et 10. ‡ 13.2.

## QVÆSTIO *LII.*

Gen. 28. 5. *Et dimisit Ishac Iahacobum, et abiit in Padanem Syriæ, ad Labanum filium Bethuelis.*

Ibid. 29. 5. *Et dixit eis, Nostisne Labanum filium Nahoris?*

Betuel erat filius Nahoris, ut constat ex Gen. cap. XXII. vers. 22. Laban autem filius erat Bethuelis, ut iam citatus versus ostendit. Id si verum est, quomodo altero loco idem appellatur filius Nahoris?

## CONCILIATIO.

CVm nepotibus in S. Scriptura filiorum nomen detur, ut quæst. XXXVI ostendimus, et clarius demonstrabitur prima quæstione Exodi: potest quoque Laban appellari filius Nahoris avi sui, etsi filius esset Bethuelis.

*II.* Aut juxta R. Moseh Gerundensem, et R. Bahye, quia Bethuel, exigui nominis homo, Laban in terra sua notior erat per avum Nahorẽ, multo apud õnes celebriorem; quippe fratrem Abrahami: unde Iahacob, ut statim intelligerent pastores quem quæreret, dixit, Novistisne Labanum filium Nahoris? &c.

## QVÆSTIO *LIII.*

Gen. 32. 3. et 33. 14. *dicitur, Esavum moratum esse in Sehir.*

Ibid. 36. 6. et 7. *Et accepit Esau secũ uxores suos, et ex Kenaã in Seir cõtẽdit*

SI quo tẽpore in Harã agitabat Iacobus, Esavus in Seir morabatur, quo legatos ad eũ misit Iahacobus, uti cõstat ex locis, quæ hic citavi: quomodo alibi dicitur, Esavũ accepisse uxores suas, easq; cum õnibus bonis abduxisse Seirã, postquã jã Hebronẽ reversus erat Iacobus?

## CONCILIATIO.

IVxta R. Moseh Gerund. Isacũ Abrav. et Baal a-Hisquuni, qui hãc materiã tractãt, solvitur omnis quæstio, si dicamus, Esavũ, jam priusquã Hebronẽ veniret Iacobus, in Seir moratũ esse; sed velut peregrinũ, sine familia suã: ibiq; sive quia venationi aptus esset locus, sive aliam ob causam, præfectũ fuisse quadringẽtorũ hominũ: adeo ut ad illũ isthic morantẽ legatos miserit Iacobus. Sed postquã hic venit in Kenaã, quia terra tot armẽtorum capax haud erat, Esau assumtis uxoribus, liberis, omnibusque suis, stabilẽ sedẽ posuit in Seir. Quod ex S. Scriptura colligi potest, quæ ideo dicit: et moratus est Esau in monte Seir: Gẽ. 36.8
nimirum circa montem. Causa autem cur sedem mutaverit Esau, neque

coëgerit

coëgerit fratrem suum alium suis armentis locum quærere, est, ut ait R. Selomoh ad hunc locum, quòd sciret hanc terram ei promissam esse, neq; posse se divinæ voluntati obsistere.

## QVÆSTIO LIV.

Gen. 35. 10. *Non vocabitur nomen tuum amplius Iahacob.* | Ibid. vers. 27. *Hi sunt filii Iahacobi.*

SI angelus nomen Iahacobi in Israël mutavit, dicens, non amplius illum eo nomine appellatum iri, ipsiq; Deus idem confirmavit: unde fit, ut toties postea in Scriptura priori nomine vocetur?

## CONCILIATIO.

† cap. 1. ‡ cap. 46. IN Tosaphta de Berahot †, et Beresit Raba ‡ dicitur, verba ista angeli, *non erit amplius nomen tuum vocatum Iahacob*, non ita accipiẽda esse, quasi omnino auferretur ei istud nomen Iacobi, sed velle angelum, nomen Israëlis ei deinceps præcipuum, at Iacobi inferius atq; accessorium fore. Idem placuit R. * cap. 1. † 23. 7. Ben Zoma in Berahot *: et ad probandum adducit hæc verba Ieremiæ †, *Iccirco Ecce dies venturi sunt, dictum Domini, quibus non dicetur amplius, vivit Dominus, qui evexit Israelitas ex terra Ægypti. Sed vivit Dominus, qui evexit et qui deduxit semen domus Israelis, è terra Septentrionis.* Quod nequaquam intelligere oportet, ac si prioris miraculi nulla amplius memoria futura esset; sed ait, adeo illustre fore illud miraculum, quando libertati totus Israel reddetur, ut cætera infra eius magnitudinem futura sint. Quoniam, ut aiunt sapientes, Israël libertatẽ hactenus semper viâ ac ratione humana recepit: quã ob causam nõ perfectam libertatem habuit, sed in captivitatem revolutus est. At ultima illa liberatio, manu Dei facienda, æterna et vera redemtio erit. Quia autem unum Beres. R. cap. 44. ex his, quæ malam fortunã mutant, est mutatio nominis, ut R. Huna ait (quẽadmodũ videmus Abramũ, qui sterilis prius erat, Abrahamum vocatum; et ex Sarai factum Sara; eamq; ob caussam in gravissimis morbis Hebræis receptum est nomina mutare) ideo semper iis nomen illud secundum præcipuum est, prius verò adiunctum tantùm, & accessorium hujus, uti ait R. Ioseph Colon in libro Seelot *Quæstionum.* artic. 9. Quibus cognitis, quæstio solvitur tali huius versus expositione: *Non erit nomen tuum amplius vocatum Iahacob:* (h. e. illud non erit præcipuum) *sed Israel erit nomen tuum:* ac si dicat, Israelis nomẽ augustius erit. ad hunc locũ, et in par. vaer. Aut quemadmodum doctus Aben Ezra pluribus locis explicat, dicere S.S. vult: *Non erit in posterum tibi nomen Iahacob*, id est, solum illud, sed etiam appelleris Israël, & nunc hoc, nunc illo nomine vocaberis.

p. vaislah et par. Vayhi. Cur vero nomen Iahacobi mutatum sit, et nihilominus prius remanserit, contra quam in Abrahamo atq; alijs factum, duobus locis doctè exponit R. Bahye; dictitans Iahacobi vocabulum ei datum, quia comprehendit calcaneum fratris sui, quod signum est subiectionis aut inclinationis ad corporalia aut carnalia exercitia. Sed nomẽ Israelis repræsentare habitũ et intellectuales actus animæ.

Idq;

Idq; indicavisse ei angelum, cum diceret, do tibi hoc nomen, quia ut principem te gessisti cum angelis, hoc est, fecisti te magnum, ac Dominum, per virtutes Theologicas; quod denotet nomen Iahacobi. Et quia anima, quatenus copulata sit mortali corpori, nequeat omittere mortalia exercitia atq; actus, ideo necessarium fuisse Iacobi nomen usq; ad mortem eum retinere: sed Israelis vocabulum semper præcipuum fuisse, quoniam Patriarcha semper sciverit rationi suæ subjicere corporales actus, quos non nisi, quando necessitas postularet, exerceret. Etiam R. Iahacob ben Habib autor Hen Iahacob, et R. Abraham Sabah *supra c.1*
in libro suo Seror a-mor, utrumq; nomen Iacobum retinuisse statuunt, quia vo- *Berahot.*
cabulo Iacobi repræsentaret stirpem suam ab externis regibus in captivitatem *artic.55*
adductum et conculcatum iri: at nomine Israelis, dominatum et imperiū, quod novissimis diebus habiturus esset. Atq; eam ob causam præcessit nomen Iahacobi, postea demum impositum est vocabulum Israëlis: quem ordinem quoq;
prophetæ sequuntur. Sic, *Ne timeto, serve mi Iahacob, nec afflige te Israel &c.* R. *Ierem.*
Ishac Arama ait, ei nomen aliud imponi, qui cum circumcisione inseritur cœtui *46. 27.*
Israëlis: ut quoq; hodie inter Hebræos mos obtinet. Eamq; ob caussam non o- *Aqueda.*
portuisse ut Abram post circūcisionem retineret profanum nomen, quod antea *saar 18.*
habuerat. In Iacobo verò diversam fuisse rationem; quippe jam Iudæo, cū illud nomen acciperet: ideoq; non debuisse hoc penitus aboleri. Aut dicemus,
Abramo id vocabulum inditum à patre idololatrà, at Iacobo à pio parente *† lib.2.*
Ishaco. Vel etiam, quia nomen Abrami significat אב לארם *pater Aram*: at voca- *saar.4.*
bulum Abrahami, quod denotat אב המון *patrem multarum gentium*, multo est au- *‡ Olat ta*
gustius, dedecoris futurum fuisse primum nomen retinere: sed יעקב signifi- *mid. ad*
cat, *calcibus percutiet*, et denotat futuram liberationem, quà Esavum con- *hūc locū.*
culcabit; ideoq; non oportebat nomen illud in oblivionem abire. Baal Dereh *Resit Da*
Emuna †, R. Moseh Albelda ‡, et R. Semuel Iafe *, alias hujus rei caussas ad- *at. lib.3.*
ferunt, quas omitto, ut brevior sim. *concl.2.*
*cap.5.*
** Iefe toar. fol. 272.*

## QVÆSTIO LV.

Gen. 35. 16. *Dein cum se movissent Bethele, et superesset adhuc tractus terræ, ut pervenirent Ephratam, peperit Rahel.*

Ibid. 35. 27. *Hi sunt filii Iahacob, qui ei nati sunt in Padan Aram.*

SI Benjamin, ut ex priore loco colligitur, in terrà Kenahan natus est, quomodo postea Scriptura nominans *XII.* filios Iacobi, quibus etiam Benjamin includitur, dicit eos natos esse in Padan Aram.

## CONCILIATIO.

R. Abraham aben Ezrah ad cap *XXVIII.* & *XXXIV.* Exodi, ait S. S. sæpe minoris numeri rationem non habere. Septem, inquit, vestes habebat sacerdos magnus: sed quia frontale, etsi non vestis, tamen ornamētum erat; quoque inter vestes recensetur, et dicitur octo panni. Sic etiam ait Scriptura, *cum animis LXX. descenderunt majores tui in Ægyptum*: cum tamē Ioseph, et liberi eius, qui sub hoc numero comprehenduntur, ātea fuerint in Ægypto

Ægypto. Sed hoc dicitur, ut ostensum, quia ratio non habetur numeri minoris. Itaq; etsi Benjamin natus esset in Kenahan, tamen quia reliqui, qui in Padan Aram nati erant, numero superabant, ideo et ille numero cæterorum includitur, et omnes isthic nati dicuntur.

*II.* R. Hisquiah autor Hisquuni ait, quemadmodum Iosephus natus est in Padan Aram, eiq; nomen hoc impositum in memoriam precum Rahelæ, quæ petiverat à Deo augeri sibi sobolem: ita et, quia illa iam tunc impetraverat Biniaminum, illum æstimari reipsâ quoq; natum eo in loco, ubi fratrum cæteri erant nati.

---

## QVÆSTIO. *LVI.*

| | |
|---|---|
| Gen. 36. 2. *Esau accepit coniuges suas &c. Aolibamam filiam Hanæ.* | Ibid. Vocatur filia Sibhonis. |

Si Aolibamæ pater fuit Haná, quomodo eadem nuncupatur filia Sibhonis, et duo ei patres tribuuntur?

## CONCILIATIO.

RAbenu Tam, octavo cap. Gemaræ Babà Batrà, ait nomen Hanæ femininum esse: quod si verum, fuerit Hana filia Sibhonis, ut constat ex versu *XXIV*. Iam vero sequente versu XXV. dicuntur liberi Anæ fuisse Disson, et Aolibama filia Anæ; nimirum illius Anæ, quæ præcedente versu nominatur, et filia erat Sibhonis. Atq; ita nullam hic locus difficultatem habeat, quia exponendum sit, Aholibama filia Anæ, quæ Ana erat filia Sibhonis. Quam opinionem ut confirmet, ait, huic Sibhoni præter filiam Anam, quoq; filium fuisse nomine Ana, ut colligatur ex versu XX*IV*. cuius mentio fiat, nec tamē generatio memoretur eo loco, quo reliquorū generationes, eò quòd puer obierit, et soror illius Hana hæres fuerit paternæ domus: quam iccirco ut virum nominari in generationum serie.

*II.* Doctus Aben Ezrah inquit, *Reperimus versu XXIV. Sibhoni filium fuisse Anam, qui pater fuerit Aolibamæ.* Iuxta illū dicat Scriptura, Aolibama filia Anæ, qui Ana filius erat Sibhonis. Neque movere debet, quod R. Levi ben Guerson ex his verbis בת ענה בת צבעון *filia Anæ filiæ Sibhonis*, demonstrare nititur, si Ana, fuisset filia Sibhonis, dicendum fuisse, בת ענה בן צבעון *filia Anæ, filii Sibhonis*; quia
† *in principio.* ut ostendit R. Abraham de Balmis, in libro suo Miqne Abraham †, R. David
‡ *cap*, 1. Iahiah in Lason Lemudim ‡, et ego etiam probo in Grammatica Hebræa, cui
* *l.* 1. *c.* 12 nomen Saphà Berurà *, in S. Scriptura propter inclusa haud dubie mysteria, quæ optimè intelligunt Cabalistæ, sæpius litera pro litera ponitur.

*III.* R. Levi ben Guerson putat, Aolibamam fuisse filiam Anæ, fratris Sibhonis, qui versu XX. dicuntur fuisse filii Sehir; cæterùm Aolibamam, quia in
† 2. *Sem.* 21. 8. ædibus suis educaverit alium Anam, filium Sibhonis (ut ex versu *XXIV*. constat) dici filiam Sibhonis. Igitur ex sententia eius vocetur filia Anæ, quia hic pater
‡ *I. Chrō.* 3. 19. eius naturalis erat; filia autem Sibhonis, quia in eius in ædibus educata: quemadmodum eandem ob caussam filios Merab, Scriptura † vocat filios Mihal, filiæ
* *Haggæ* 2. 24. Saul. Et Zerubabel, qui Rephain erat, ‡ Sealtielis filius nuncupatur *. Etiam filia

Pharao-

Pharaonis Mosen appellat filium suum †: et filii Aharonis ‡ se ipsos nuncupant † *Exod.*
stirpem Mosis. Et filium Ruth, * vicina mulieres eodem respicientes, appellant 2. 1.
filium Nahomi. Nimirum quia, ut diximus, illis qui in ædibus alicuius educan- ‡ *Num.*
tur, aut erudiuntur, filiorum nomen datur. Hoc modo idem autor quoque ex- 3. 1.
plicat versum XXXIX. quo cum Mehetabel vocetur filia Matred, filia Mè-za- * *Ruth.*
ab: uni eidemque duo patres tribui videntur: quare ait Matred fuisse patrem 4. 17.
eius, at in ædibus Me-zaabi educatam esse. Sed potuit et Matred patris nomē esse, Mè-zaab autem matris: uti & verisimile est Matred esse nomen matris Mehetabbel, Mè-zaab verò matris huius Matred. Adeo ut quicquid in Aolibama locum habere diximus, etiam alteri isti Mehetabel applicari possit.

*IV.* Rab Ishac Arama, & Ishac Abrâvanel, incestum ajunt Sibhonem cum nuru sua commisisse, eoq; ex congressu natam Aolibamam. Ita ut duos ea patres haberet; verum, nimirum Sibhonem; et alterum qui pater ejus putabatur, scilicet Anam, conjugem matris suæ.

---

## QVÆSTIO *LVII.*

| | |
|---|---|
| Gen. 36. 12. *Et Timna erat concubina Elifaz.* | *I.* Chron. 1. 36. *Filii Elifaz Temā et Omar, &c. et Timna.* |

Si Timna fuit concubina Elifaz, quomodo in Chronicis appellatur filia eius?

## CONCILIATIO.

PLerique volunt eandem et filiam, et concubinam fuisse; quasi Elifaz rem habuerit cum matre Lotan, fratris Timnæ: eoq; ex coitu nata sit Timna, quam postquam justam ætatem impleverat, concubinā sibi sumserit. Qua in re, ait R. Simon, videmus primos gentis Esau ex illegitimo congressu provenisse; neque solum illi tali se incestu polluerunt, sed et jumenta in eandem consuetudinem traxerunt. Ita Ana, nothus ipse, iūxit equam jumēto, unde hybrida animantis species orta est. *Beres. R. cap. 82.*

*II.* Alii, quos sequitur Author Hisquuni, duos statuunt diversos Timnas: et in Genesi memorari Timnam sororem Lotanis, in Chronicis vero Timnam marem, filium Elifaz, quem eundem illum esse, qui versu quarto in generatione Esavi reponitur. Quam si opinionem sequamur, nullum hic est adulterium.

*III.* R. Moses Gerundensis putat Timnam, concubinam Elifaz, postquā pepererat Amaleq, alterum quoq; filium concepisse, sed eo ex partu morientem suum ei nomen imposuisse, ad propagandam nominis sui memoriam. Hunc autem esse, qui in Chronicis filius Elifaz appelletur. Cæterum à parente Elifaz nuncupatum eundem Korah, atque eo nomine in stirpe illius recenseri.

---

## QVÆSTIO *LVIII.*

| | |
|---|---|
| Gen. 36. 15. *Hi sunt duces filiorum Esau, filiorū Elifaz &c. Dux Korah.* | Ibid. vers. 18. *Atq; hi sunt filii Aolibamæ uxoris Esau &c. Dux Korah.* |

Quomodo simul potest recenseri Korah inter Duces filiorum Elifaz, et comites filiorum Aolibamæ?

CONCILIATIO.

MAgnus interpres R. Selomoh ait, Elifaz incestasse conjugem patris sui, indeq; natum Korah: ideoq; eum reponi inter Duces Esavi, et Elifaz: quia scilicet spurius utrumq; tangeret. Quod etiam statuerunt R. Ishac Arama, et Ishac Abravanel.

II. Dicere etiam possis, cum eodem R. Selomoh in Guemara Sotà, duos fuisse Korachos, unum filium Elifazi, alterum Aolibamæ.

III. Iuxta Aben Ezram Korachus hic erat filius Aolibamæ: sed inter filios Elifaz reponitur, quia inter eos agitavit.

IV. Vel secundum R. Levi ben Guerson, defunctà Aolibamà: puerum hunc valde infantē, accepit Elifaz. Fieri quoq; potuit, ut Adà matre ortū Elifaz educaverit, indeq; inter liberos ejus collocetur, quoniam ut ostendimus Quæstione LV. talibus datur nomen matris. Atq; ita quia aut ipse, aut mater eius, illum educavit, interD uces ejus reponitur.

QVÆSTIO LIX.

| | |
|---|---|
| Gen. 36. 20. *Hi sunt filii Sehiris Choræi, Lotan, Sobal, Sibhon, & Ana.* | Ibid. vers. 24. *Hi sunt filii Sibhon, et Aja, et Ana.* |

Si Sibhon et Ana filii Sehir, et fratres erant, quomodo infrà Ana dicitur esse filius Sibhon?

CONCILIATIO.

IN Guemara Pesahim †, Baba batra ‡, et Raba *, ex his duobus locis infertur, Sibhonem incestasse matrem suam, indeq; ortum Anam. Ita ut Ana frater Sibhonis fuerit: quippe eàdem matre natus; at filius ejusdem quatenus eum genuerat Sibhon. Hoc quoque placuit R. Ishaco Aramæ, & Ishaco Abravaneli.

† *cap.* 4.
‡ *cap.* 8.
* *cap.* 82

QVÆSTIO LX.

| | |
|---|---|
| Gen. 46. 4. *Ego faciam ut ascendas, similiter adscendendo.* | Ibid. 49. 33. *Iacobus in Ægypto moritur.* |

Quare promisit Dominus Iacobo, se facturum ut ascenderet, cū mortuus sit in Ægypto?

CONCILIATIO

ADscensus, quem Dominus promisit Patriarchæ, ex sententia R. Selomoh, et docti Aben Ezræ, fuit, quod filii cadaver ejus delaturi essent Hebronem ad sepulturam majorum ejus.

R. Levi

II. R. Levi ben Gerson ait, hanc prophetiam spectavisse posteros Iacobi, quos Dominus adscendere fecit, eripuitq; ex captivitate Ægyptiaca.

Has duas sententias sequuntur R. Bahye, et Ishac Abravanel, adiungentes illa verba, *et te faciam adscendere*, prolata, quia terra sancta altior est reliquis regionibus. Repetitione autem illa, *faciam te ascendere similiter ascendendo*, significari corpus eius inlatum iri monumentis majorum, animam vero mũdum ac locum sublimem conscensuram, ubi feliciter frueretur omnibus bonis.

## QVÆST. LXI.

Gen. 46. 7. *Filios suos, & filios filiorum suorum secum, filias suas &c.*

Ibid. vers. 15. *Hi sunt filii Leæ, quos pepererat Iacobo in Padane Syriæ, et filia eius Dinah.*

CVm Iahacobus, ut ex secundo loco constat, unam tantum filiam habuerit Dinam, quare priore loco plurium filiarum mentio fit?

## CONCILIATIO

R. Iehuda bar Ishai, qui hanc quæstionem movit, ut traditur in Ialcut, ait, *lib.* 1. *art.* 152
unoquoq; partu, quo editus est aliquis XII Patriarcharum, simul natã esse filiam. Quæ postea, ne Patriarchæ gentibus mundi miscerentur, fratribus nupserint, ita ut filii Leæ uxores duxerint aliorum fratrum gemellas, alii rursum fratres gemellas horũ. Dinæ autẽ solius mẽtionẽ fieri, quòd uno hoc partu non sint nati gemini; sive ob illa, quæ cum Chamor acta sunt. Neque mirari convenit, quod reliquas sorores Scriptura reticeat: nam eadem quoque omittit filias Adami, quæ Caino et Hebelo nupserunt. Confirmat prædictus autor sententiam suam hoc loco S. Scripturæ: *Omnes animæ quæ ingressæ sunt cum* Gen. 46.
*Iacobo Ægyptum, egressæ ex femore ejus, præter uxores filiorum Iacob.* Vnde vide- 26.
amus, conjuges filiorum ex eodem femore provenisse.

II. Doctus Aben Ezrah inquit, vocem hanc *filiarum*, accipiendam esse de servabus nonnullis Dinæ, quæ in Iacobi ædibus educatæ essent.

III. R. Levi ben Gerson, et R. Bahye aiunt, quamvis in plurium numero dicatur filias, solam tamen Iacobo Dinam fuisse; neq; hanc novam esse phrasin in
S. S. quando eodem cap. † dicatur: *Filii autem Danis Chuschim:* et in Nume- † *Ibi.* 46.
ris: ‡ *Nati autem Palluh, Eliab.* in Chronicis: *Et filii Etami, Azariahu.* Quibus 23.
locis quamvis filii in plurium numero dicatur, uno tamen non plures memoran- ‡ 26. 8.
tur. Idẽ in Numeris fieri observat R. Selomoh, his verbis: * *Vt dictũ est, Aharo-* *Num. 4
*nis et filiorum ejus esto totum ministerium filiorum Guerson.* Infra autem, ubi de- 27.
claratur, quis officium illud habiturus esset, solus Ithamar nominatur. Quod illo, quem ostendimus, modo interpretandum est, ut recte ait R. Eliah a-Mizrahi. Itaq; Iacob filias non plures quam Dinam habuit. Quod verò infra dicitur, *filii filiorum ejus*, accipiendum est de Serah bat Asser, et Iohebed.

## QVÆSTIO LXII.

Gen. 46. 15. *Omnis anima, filii ejus, et filiæ ejus XXXIII.* | Ibid. Si rationem ineas, non reperiuntur plures XXXII.

## CONCILIATIO.

† cap. 94 ‡ Iakut. li. 1. art. 152. * 26. 59

SVper hac re quatuor opiniones in Beresit Raba † traduntur. Prima est R. Levi, qui verbis R. Semuel bar Nahman ‡ dicit Iohebed matrem Mosis implevisse numerum *XXXIII.* idq; etiam creditum R. Selomoni, R. Mosi Gerundensi, R. Bahye, & R. Elihezero Asquenazi; qui putant, Iohebed natam fuisse in ipso ingressu finium Ægypti, adducti verbis Numer. * *Et nomen uxoris Amrami Iohebed filia Levi, quam peperit (uxor) Levi in Ægypto.* Etenim quia superfluum videtur declarare ubi nata esset, coniectant extra Ægyptum conceptam, sed in ipso ingressu limitum ejus natam esse. Ideoq; non adnumerari eam animis quæ cum Iahacobo fuerunt, et tamẽ excludendam non esse ex numero *XXXIII.* quia eum impleat.

Gẽ. 46. 8

II. Secundam opinionem, quæ est, ipsum Iacobum finivisse numerum *XXIII.* sequitur doctus Aben Ezrah, R. Levi ben Guerson, & Ishac Abravanel. Et sane certius hoc, magisq; congruum videtur verbis S. S. quippe ait: *Hæc sunt nomina filiorum Israel, venientium in Ægyptum, Iahacob et filii ejus &c.* ubi videmus, repeti illa verba, *Iahacob et filii ejus*, ut ostendatur, ipsum quoq; esse includendum numero: quem tunc plenum habebimus: nam liberi Leæ cum Iacobo faciunt numerũ triginta trium, Zilpæ vero XVI, Rahelis cum duobus filiis Iosephi XIV, & Bilhæ filii VII. qui faciunt numerum LXX. Neque difficultas est in verbis illis, *omnis anima veniens cum Iahacob, egressa ex femore ejus, præter uxores filiorum eius, LXVI;* unde videatur, ingrediente hunc numerum Iacobo, sexaginta et sex fuisse. Nã attendere oportet recenseri hic solos ex femore ejus egressos, quibus ipse nequaquam includitur.

† cap 68 ‡ Genes. 46. 4. * lib. 1. art. 142

III. Tertia opinio illorum est, qui aiunt, Deum benedictum complevisse numerum triginta trium, atque integrum absolvisse numerum septuagenarium, quia mysterium in se contineat. Hoc credidit R. Elihezer in suis Peraquim †, pro se afferens promissa Domini: ‡ *Ego descendam tecum in Ægyptum:* quem his verbis indicare ait, se una descensurum in Ægyptum, et numerum completurum. Sic quoq; in Ialcut * dicitur, quando fratres Iosephum vendiderunt, cõiurasse eos inter se, nequis patri negotium detegeret: sed quia noveni tantum erant, & necessario decimus requirebatur (qui numerus iuxta Cabalistas mysticus est, unde nec Abrahamus ulterius descendit; postquam rogaverat Deum ut ob decem iustos Sodomæ parceret) inclusisse eos numero suo Primã Caussam, ideoq; annis *XXII.* quis abfuit Iosephus, neque Dominum Iacobo de filio suo quicquĩ revelasse, neq; fratrũ quẽquam. Eodem modo volunt, Deũ hoc loco id quod deerat complevisse, et eius accessu septuagenariũ numerũ impletũ esse.

Gen. 18. 29.

Ibid. 46. 23.

IV. Quarta opinio est, ut ex verbis, *Filii Dan sunt, Chuschim,* statuatur Dani duos fuisse filios: sed Scripturã mortuo altero solius Chuschim meminisse. Quod si defunctum accenseamus, implebitur numerus *XXXIII.*

## QVÆSTIO *LXIII.*

Gen. 48. 8. *Et vidit Israel filios Ioseph.* | Ibid. 10. *Et oculi Israelis senio gravati erant, neq; videre poterat.*

SI oculi Israëlis ita senio gravati erant, ut videre nequiret: quomodo idem hic dicitur conspexisse filios Iosephi?

## CONCILIATIO.

R. Moses in Directore suo † ait, verbum ראה *Raha* duas habere significationes, quarum una usurpetur de visu oculorum, et potentia visiva; altera de intellectu, aut intellectuali comprehensione, iuxta illud Sapientis ‡, *Cor meum vidit multam scientiam.* Vnde facile sit solvere hanc quæstionẽ. Nam Iacobus filios Iosephi adspexisse dicitur, sed oculis intellectus, ut notat R. Bahye. Ideoq; iuxta R. Selomoh, interrogavit, *Qui sunt isti?* etenim cum benedicere ejs vellet, spiritus propheticus eum deseruit. Quoniam ex Ephraim originem habituri erant Ieroboam & Ahab; ex Menasseh autem Iehu, reges impii et improbi. Quare admirans dixit, qui sunt isti indigni benedictione? Nihilominus postea ob preces Iosephi, redeunte in eum spiritu divino, illis benedixit.

† *l.* 1. *c.* 4

‡ *Eccles.* 1. 16.

*II.* Iuxta Aben Ezram vidit quidem Iahacob vultus filiorum Ioseph: sed quia obtusa oculorũ acies erat, perfectè eos dignoscere nequivit; ideoq; quæsivit, *qui isti?* Idem placet Isaco Abravaneli, R. Levi bẽ Gerson, R. Isaco Aramæ, et R. Obadiæ Sphorno.

## QVÆSTIO *LXIV.*

Gen. 48. 16. *Angelus ille, qui vindicat me ab omni malo, benedicat pueris istis.* | Exod. 20. 3. *Ne sint tibi Dii alii.* Item 22. 19. *Qui sacrificat Diis aliis, ut anathema perditor, præterquam* (qui sacrificat) *soli Deo.*

QVando Dominus vetat coli alios Deos, iuxta R. Mosem Gerund. prohibet qualẽcũq; venerationẽ deferri alicui creaturæ terrestri, cœlesti, aut angelicæ. Quia species idololatriæ hæc est, tametsi agnoscas unum verũ Deum esse. Id si ita se habet, quomodo Iahacob preces angelo suscipit?

## CONCILIATIO.

ETsi peculiari quadã providẽtia Deus bened. Israelẽ regat, facit tamẽ hoc per instrumenta, quibus præmio afficit bonos, pœnâ improbos. Id colligitur ex S.S. quæ cũ Israëlitæ liberarẽtur servitute Ægyptiacâ, ait †: *Misitq; angelũ, qui eduxit nos.* Confirmatur idẽ his verbis Psalmographi, ‡ *Castra metatur angelus Domini circa timentes ejus, & eripit eos.* Et alio loco: * *Nam angelis suis præcipiet de te, ut conservent te in omnibus vijs tuis.* Vnde infertur requiri hæc instrumenta, ut recte probat Rabi Simhon bar Semah, in glossis suis supra Iobum, et Ishac Abravanel pluribus locis. Interea sunt

† *Num.* 20. 16.

‡ 34. 8.

* *Ibid.* 91. 11.

*oeb misp. cap.* 20.

sunt illa media instrumentalia, ut angelus qui venit ad Hananiam Misaëlem et Hazariã, in igne accẽso cõsistẽtes: et ad Danielẽ in antrũ leonũ; qui sunt legati missi ad hoc vel illud exsequẽdũ. Vnde facile hic locus intelligitur. Quẽadmodũ
Gẽ.24.7 enim Abrahã dixit, *Dominus Deus cœlorum, qui me sumsit ex ædibus patris mei, &c. ille mittet angelum suum ante te:* ac si diceret, Deus ille qui mihi providet, et me regit, mittet legatum providentiæ suæ, ad dirigendum iter; sic et Iacobus: *Deus ille*, inquit, *ante cuius conspectum indesinenter ambularunt patres mei Abraham et Ishac, Deus ille qui pascit me ex quo (die) sum usq; in hunc diem; angelus qui me vindicat ab omni malo, benedicat pueris istis.* Vbi videmus, quãtum ad providentiam usurpare eum Dei nomen; at de angelo, tanquam caussa instrumentali, ait, qui me vindicat ab omni malo. Hoc est, quasi medium, aut exactor divinæ voluntatis. Adeo ut velit, Deum tanquam caussam, angelum ut instrumentum, pueris benedicere. Hæc mens est Isaci Abravanel in libris Ros a-
† cap.12 sana †, Ateret Zequenim ‡, et Zebah Pessah *. Ille autem angelus, de quo Ia-
‡ cap. 1. cobus loquitur, ex sententia Aben Ezræ, & R. Levi ben Guerson in opere Milhamot a-sem, est intellectus agens: qui præditus potentiã, tanquã legatus Dei, benefacere aut quibusvis ex malis eripere aliquem potest.

II. Divini Theologi Cabalistæ aiunt, quintum caput ex tredecim capitibus fi-
* Sãedr. cap.11. dei (quæ commemorat R. Moseh in Perus a-Misnaiot *) esse, ut preces ad solam Primam Caussam fundamus, nõ ad angelum, aut creaturam ullam, quamvis illustrẽ: et per sequens nullos cõciliatores inter hominẽ et Deũ ponere nos debere; quia solus ille pro voluntate et infinitã potẽtiã quicquid placuerit agat. Accedit quod Israëlitæ non fuerunt subiecti influẽtiis planetarum. Quare ad solum Deum dirigere preces suas debent, ut clare his verbis docent veteres sapi-
Deut. 4.7. entes: *Quis est sicut Dominus Deus noster, quotiescumq; eum invocamus? Illum invocare debes, non Michaelem aut Gabrielem.* Sed hæc si admittamus, difficultas in eo videtur, quod volunt Cabalistæ, hominem in precibus, pro certo loco, vertere cogitationem suam ad certam ספירה *Sephira*, et in alio, ad aliam: etenim quum istæ Sephirot sint decem luces, quæ ex primã caussã emanant, videntur hoc pacto media interponi inter eam & hominem, quod prædictæ R. Mosis sententiæ repugnet. Cæterum scire convenit, illas Sephirot aut decem illustres luces, aut numeros, quos receperunt Cabalistæ, emanasse ex Primã caussã, ideoque radios divinitatis esse, ipsamq; divinitatem iis infusam. Quoniam autẽ in Deo nulla mutatio est, quando misericordia alicuius movetur, dicimus eum operari per Sephiram חסד Hessed, *misericordiæ*, quando severe iudicat per גבורה *Guebura*, rigorem: quare cum Cabalistæ dicunt cogitationes nostras in precibus converti debere ad talem Sephiram, volunt ad Primam Caussam, quæ per Sephiram illam vim suam exercet. Atque ita R. Nehuniah ben Acanã, in oratione quam composuit iuxta ordinem decem Sephirot, dicebat, אהדרך בספירה הא׳ *Honorabo te per Sephiram primam.* Vbi non ait, honorabo te Sephira prima; sed in Sephira prima, alloquens Primam Caussam quæ per eam agit. Eam ob rationem dicebant veteres sapientes, surge Domine ex sede rigoris, & conside in sede clementiæ, scilicet quia per illam Deus potestatem exercet suam. Autor Saar Ora ad hæc confirmanda huiusmodi comparationem instituit. Vt Rex, inquit, quando remunerari alicuius meritũ vult, eum ad gazæ custodem remittit, illũ qui ius poscit, ad iudices; eoq; modo variis ministris utitur ad varios fines, et
pro-

pro negotio, quod se offert: sic etiam, ut preces undique perfectæ fundantur, primo vota dirigi debent ad Regem Regum, tum ad illum ministrum, aut Sephiram, per quam operaturus est: quomodo R. Iosephus ben Susan respondit R. Isaco bar Sessat, ut memorat in suo Quæstionum libro †. R. Moseh Isral in libro suo Torat Olah ‡ talem comparationem affert. Est Rex aliquis omnium scientiarum atq; liberalium artium intelligentissimus. Hunc compellans quis absurdè loquitur, si dicat, Rex, eripe me ex manibus inimici mei, quia es medicus; aut medere mihi, quia es potens. Quoniam talis non petit ab eo opem per facultatem petitioni suæ congruam. Etenim dicendum erat, o rex libera me, quia potens es; aut medere mihi, quia medicus es. Sic etiam in quaq; oratione intellectum convertendum ait, ad virtutem aut lucem sive illud, quod congruat desiderio nostro, et per quod Deus operaturus sit. Ideo veteres illi sapientes, quæsito, quare Israelitæ precibus ad Deum fusis nihil responsi acceperint: respondent, quia nescierunt preces dicere, quales requirebantur ad impetranda quæ petebant: aut quia nesciebant nomen, per quod debebant precari. Eaq; re excelluit Hiyah et filii ejus supra alios ævi sui, qui simulac precati essent, postulata impetrabant, ut legere est in Beresit Raba, quia congruum nomen inserere precibus suis norant. Hanc ob caussam, ut recte notavit R. Ioseph Albus, qui in oratione sua usurpare vult nomina angelorum, debet ea hausisse ab aliquo Cabalista, qui ea ex ore alterius acceperit: nam in talibus, ut facile ita et periculosè erratur. Etiam R. Elihezer de Garmiza, et R. Iehuda Pius confirmant, ignarum Cabalæ ad solam Primam Caussam dirigere preces suas debere, ut in Hayat dicitur. Ergo ut finem faciam, ajo Iacobū preces suas ad Primā Caussam; intellectum autem perfectissime direxisse ad illum, per quem Deus erat operaturus. Et quemadmodum docte ait R. Bahye, incepit ab אלהים *Eloim, (Deo)* et cessavit in מלאך *Malah, (angelo)* qui est שכינה *Sehinà*, ut inquit R. Ioseph Chequetilla in libro suo Saare Orà, qui unit omnem fabricam & mundum decem illustrium luminū, ut notare ibi poterit, qui huius doctrinæ gnarus est. Atq; hæc quidem omnia scripsi, ne imperiti Cabalæ putent, divinos illos Theologos, convertere orationem suam ad illustrem aliquam lucem, aut creaturam; quod sentiendum non esse, clare demonstravimus. Hinc divinus R. Simhon ben Iohay in אידרא *Hidrà* Hedera, ubi cum discipulis suis considere solitus erat, incepit, dicens, *Maledictus sit vir, qui fecerit sculptile aut fusile.* Quæ verba innuere volunt eos, qui in precibus suis solum respiciunt Sephiram aut lucem aliquam, idololatras, nec veri Dei cultores esse. Sed necessarium est, ad solam Primam Caussam dirigere preces suas, eamq; quærere in eo per quod responsura est: quemadmodum ait sapiens R. David ben Zimra, in docto tractatu suo Maguen David.

*† Seelot tesubot bar Sesat art. 156.*
*‡ l. 3. c. 4.*
*Icarim. l. 2. ca. 28.*
*Saar a-sē et Maarehet a-semot.*
*circamedium.*
*Zoar. P. Nassò.*
*Deut. 27. 16.*
*in principio.*

---

## QVÆSTIO LXV.

Gen. 49. 10. *Non desistet virga à Iehuda donec veniat Siloh.*

Deut. 28. 36. *Abducet Dominus te et regem tuum, in terram quam non novisti.*

Si siloh

SI Siloh, ut nonnulli volunt, hic est Messias, et virga sceptrum: quomodo ait Patriarcha, non auferetur sceptrum ex Iehuda donec veniat Messias? cùm Deus Israëlitis minetur se ad punienda eorum peccata, abducturum & illos, et Regem illorum, in terram ijs ignotam: quam pœnam nunc patimur, sine Rege, sine Principe, sine regimine agentes.

## CONCILIATIO.

INter cæteros S. S. locos non alius celebriori controversiæ originem dedit, ambiguitate verborum. Qua de caussa nos ut apertiora omnia sint, primo verba ipsa Hebraice inserere, dein eadem ordine exponere, et postremo Rabbinorum commemorare interpretationes decrevimus. Verba hæc sunt.

raglau mi-ben u-mhokek mi-hudà sebet iassur Lò

לא־ יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו

hamim iqueat ve-lò Siloh iabò ki had

עד כי־ יבא שילה ולו יקהת עמים:

Ex quibus יסור *Iassur* est tertia persona singularis futuri primæ coniugationis
Deut. 7. 15. קל *Kal*, cuius radix est סור ex quiescentibus עין ויו *Hain vau*. Duas autem significationes habet: primò *auferendi*: ut, והסיר יי ממך *Et auferet Dominus à te.* Secūdò,
Exo. 3. 3 *appropinquandi*: uti אסורה נא ואראה *appropinquabo nunc, & videbo.* Quæ utraq; significatio ut ait R. David Kimhi in unam cogi potest: nimirum ut sit appropinquare et accedere, aut retrorsum abire.

שבט *Sebet*, secundum R. David Kimhi, nihil aliud quam *virgam* aut *bacu-*
Psal. 2. 9. *lum* notat, uti תרועם בשבט ברזל *conteres eos virgâ ferreâ.* Ideoq; de variis rebus di-
Ibid. 122 4. citur: nimirum primo de Tribu, aut tribubus Israel: ut ששם עלו שבטים *quia ibi adscenderunt tribus, tribus Domini.* Secundo de familiâ aliquâ tribus, uti
Iudic. 20 12. מכל שבטי בנימין *in omnis tribubus Benjamin*: h. e. in omnibus familiis, nam Benjamin una tantum tribus erat. Iis autem virgæ nomen datur, quia quæq; tribus aut familia, separatim virgam aut arborem suam habet. Vnde S. Scriptura in recensio-
Nū. 31. 4 ne populi, quem Moses coegerat ad bellum inferendum Midianitis †, ait fuisse eos אלף למטה *Millenos ex quaque virga*, h. e. quâq; tribu. Tertio שבט tribuitur
Ies. 14. 5 judicibus aut imperantibus, ut שבט מושלים *virga dominantium*: ratio est, quod virga justitiæ eorum in manibus sit, ut hodieq; fieri videmus; aut quia virga illa
Psal. 45. 7. est, et castigatio delinquentium. Quarto Regi, ut שבט מלכותך *virga regni tui*: nimirum quia sceptrum quod ille manibus tenet, eo solum differt à virga iudicis,
Ibi. 23. 4 quod minus sit. Quinto est baculus, aut fustis, ut שבטך ומשענתך *virga tua, et pedum*
Iud. 5. 14 *tuum.* Sexto penna scribæ, ut בשבט סופר *stilo scribæ*: idque propter similitudinem quæ inter utrumq; est. Ita ut hæc vox שבט *Sebet*, quæ primo virgam significat, sex aliis rebus, ob rationes supra memoratas, applicetur.

ומחקק *V-mehokek.* Est participium activum temporis præsentis coniugatio-
Iob. 19. 23. nis פעל מרובע *verbi quadrati*, à radice חקק *Hakak*. Duo autem notat: scriptorē, aut scribā, ut בספר ויחקו *in libro ut inscriberentur.* Deinde legislatorem aut qui
Nū. 19. 2 statuta populo ponit, ut זאת חקת התורה *Hoc est statutum legale.* יי מחקקנו *Dominus le-*
Iesai. 33. 22. *gislator noster.*

עד *Had*, adverbium eſt, triplici ſignificatione. Valet enim, *donec*, uti עד בואי Gē.48.5
אליך *donec veniam ad te*: præterea et *perpetuo*, vel *æternum*, ut עומדת לעד *ſtans in* Pſalm.
*æternum*: tertio, prædam, ut בבקר יאכל עד *mane comedet prædam*. 19.10.
כי *Ki*, adverbium, iuxta R. Selomoh (pluribus locis notatum ad Pentateu- Gen.44
chum *) quatuor ſignificat. Primo idem quod לפי *quia*, ut כי חטאנו לו *quia pecca-* 27.
*vimus in eum*. Secundo אשר *quod*, *quia* כי חזק הוא *quoniam fortis ille*, atq; hæc in * p. Hu-
S.S. frequentiſſima notio eſt. Tertio אם *Si*, ut כי תאמר בלבבך *ſi dixeris in corde* ka,et pa.
*tuo*. Denique אלא *ſed*, ut כי ברשעת הגוים *ſed propter malitiam gentium*. Hequeb.
יבא *Iabò*, eſt futurum tertiæ perſonæ maſculinæ et numeri ſingularis in cō- Dā.9.11
iugatione קל *Kal*, cuius radix eſt בוא *Bò*, ex נחי עין ויו ובעלי האלף *quieſcentibuhain* Deut.
*vau*, *&* *lamed aleph*. Duo autem notat, primo *veniet*, ut כי בא יבא *nam veniendo* 7.17.
*veniet*. Secunda eſt, *occidet*, ut לא יבא עוד שמשך *non occidet amplius Sol tuus*. Ibid 9.5.
שילה *Silò*, nomen eſt à radice שלה *Salà*, habetq; varias ſignificationes. Pri- Habak.
mo enim *pacem* denotat, ut איביה שלו *inimici eius tranquille agunt*. Deinde *erro-* 2.3.
*rem*, ut לא תשלה אותי *ne me errare facias*. Tertio, *ſecundinas*, ut ובשליתה *et in ſecun-* Ieſa.60.2
*das ipſius*. Quarto eſt nomen loci Silò, in quo nonnullo tempore tabernaculum lamē.1.5
ſtetit. Vti, ויטוש משכן שילה *Et deſeruit tabernaculum Silò*. Alii volunt dictionē hanc 2.Reg.4
ex duabus compoſitam; atq; eſſe ac ſi dixiſſet S. אשר לו *Aſer lo*, (*quod ei*) שי לו 28.
*Sai lo* (*offer illi*) ac literam י pro ה poſitam, qualia in S. S. multa reperiuntur. Deut.28
יקהת *Iqueat*, iuxta R. David Kimhj nomen eſt, á radice יקה *Iakà*, et ſigni- 7.
ficat congregationem, ut ליקהת אם *congregationem matris ſuæ*. Iuxta alios ve- Pſalm.
nit à radice קהה *Kabà*, et notat confractionem, aut rupturam, ut אם קהה הברזל *Si* 78.60.
*ruperit aut confregerit ferrum*. Prov.30.
Ex his manifeſte ſatis videre eſt, quot expoſitiones unumquodq; ex his voca- 17.
bulis admittat; quod licet in ſingulis, pluribus S. S. locis confirmare arduum nō Ecceleſ.
ſit, tamen ut brevitati conſulam, unum apposuiſſe cuiq; exemplum ſatis habui. 10.10.
Iam expoſitiones veterum ac recētiorum ſapientum, omiſſis verborum ſignifi-
cationibus, colligere aggredior. Et primo quidem in Bereſ. Raba dicitur: *Non* cap.8.9.
*auferetur virga a Iehuda, hoc eſt* מכיר *Mahir*, filius Amiel, qui Davidi à filio ſuo
Abſalom fugienti, in itinere ſuccurrit. Quibus verbis veteres ſapientes ſignifi-
care volunt, fore ut non auferatur virga ſive baculus, aut ſcipio, fulcimentum
Iehudæ, priuſquam advenerit Siloh (filius ejus) per quem intelligitur Meſſias,
filius Davidis, qui erit afflictio gentium. Hoc eſt, illis qui ex ſemine Iehudæ or-
ti ſunt, & vocantur יהודים, nunquam in captivitate ſuâ defuturum ſubſidiū, neq;
unquam ita eos oppreſſum iri, etſi à rege aut natione aliquâ dure habeantur, et
ditione ſuo expellantur, quin alia gens eos complectatur ac protegat. Et quē-
admodum fugienti Davidi non defuere, qui in via cum ſubſidiis occurrerent: ſic
Iſraëlitæ, ut prædicit Patriarcha, ſemper ſcipionem ac fulcimentum habebunt,
et legiſlatores, qui conſulant eis, et cohortentur ad ferenda adverſa. Atq; ex
hac opinione verba S. ita transferuntur: *Non auferetur baculus à Iehuda aut le-*
*giſlator à pedibus eius, donec venerit filius eius, et illi afflictio gentium*.
*II*. Eodem loco alia quoq; expoſitio adfertur, quâ *Sebet* accipitur pro virga
iudicis, et *Mehokek* pro ſcribâ. Iuxta hanc ita explicantur verba Scripturæ: *Non*
*auferetur judex ex Iehuda, nec ſcriba ex medio pedum ejus, donec veniat filius e-*
*jus, et illi afflictio gentiū*. Hoc eſt, quādiu Sāhedrin aut ſenatus magnus in Iſrael
erit, ſemper erit ex tribu Iehuda, quæ, ut moris eſt, habebit ſcribas ad pedes
ſuos. Quod verum eſſe comperimus; nam ſemper ſenatus magnus fuit ex pro-

ſapia Davidis.

Bereſ.R. *III.* Eodem in libro Rabot tertiam explicationē legere eſt, ut virga ſumatur
cap.99. pro ſceptro. Tunc vertendum erit: *Non auferetur ſceptrum à Iehuda in æternū: quando veniet ille, cui (regnū) et congregatio populorum.* Accentus muſicus huic interpretationi valde favet: nam adverbiū עד *Had*, notatur יתיב *Ietib*, qui diſtinguit et dividit periodos. Adeo ut velit S. S. *Non auferetur ſceptrum à Iehuda, neque legiſlator à pedibus ejus in æternum:* hic interpungendū eſt; tum additur, fore illud, quando veniet Meſſias; tunc cōgregandas gentes omnes, et ei ſe ſub-
Ieſa.11. jecturas; quemadmodum ait Ieſaias: *illum gentes requirent.* Hæc interpretatio
10. quoque fuit Anqueli a-Ger: etenim, ut notat R. Bahye, in correctis codicibus ſcriptum invenitur, עד עלמא דייתי משיחא *in æternum donec veniat Meſſias:* perpetuā
cap.2.44 ejus durationē Daniel ſignificat, dicens, *quod in perpetuum non deſtruetur.*

*IV.* Doctus Aben Ezra per virgam hic virgam imperii deſignari putat, et per Silò, Davidem. Itaq; exponit: *Non auferetur virga a Iehuda, nec ſcriba è medio pedum ejus, donec veniat filius eius, et illi cōgregatio populorum:* nimirū Davidi. Quod eo confirmatur, quia vexillū Iehudæ primo ſemper movebatur: unde cū defuncto Ieoſuah quærerēt Iſraēlitæ, quis primus adſcenſurus eſſet, reſponſum eſt, Iehudà. Davidem autem ait cōgregaſſe populos, propterea quod multi ſub illius imperium venerunt. Verba verò illa, *donec veniat David*, non excludūt tēpora poſtea ſecutura: nam David et ſucceſſores ejus fuerunt ex tribu Iehudæ:
Gen.28. ſed eſt genus loquendi, cui ſimile hoc כי לא אעזבך עד אשר אם עשיתי *quia non deſerā te*
15. *donec fecero quod locutus ſum tibi.* Vbi manifeſte videmus, Deū nō id velle, ſe impletis promiſſis Iacobum eſſe derelicturū. Vſitata hæc phraſis eſt, perinde ac ſi quis dicat, non deerit huic vel illi panis, quādiu agrum et vineas habebit &c. Idē ſenſit R. Levi ben Guerſon.

V. Sapiens R. Moſes Gerundenſis virgam accipit de ſceptro, ita prophetiam Iacobi explicans: *Non auferetur ſceptrum a Iehuda, neque ſcriba è medio pedum illius, donec veniat filius ejus:* qui eſt Meſſias. Hoc eſt: quandocumq; in Iſraēle rex erit ex ſemine Iſraēl, ſemper ille erit ex tribu Iehuda. Ita ut non prædicatur hic ſemper Iſraēlitis fore Regem, ſed quando eſt, fore eum ex progenie Iehuda: et quando habet Regem, non ablatum iri imperium, ut aliam in tribū transferatur. Etenim non intelligitur eripi ſceptrum, niſi et alteri detur, ut recte ait R. Iehuda bar Beſalhel in libro ſuo Gur Arieh. Ad hunc dicit congregandas gentes, quia tunc non ſoli Iſraēlitæ, ſed omnes reges terræ ei obedientes & tributarii futuri ſint. Aut exponitur *confractio*, quia ille conteret omnes populos. Cōſtat autem ex Domini promiſſis, regnum ſemper fore penes tribum Iehuda:
2. Chro. dicitur enim: *D. Deus Iſraelis dedit Davidi regnum Iſraelis, illi et poſteris eius in*
23.5. *perpetuū.* Eam ob cauſam ut recte notavit R. Selomo Alcabes in libro ſuo Manot a-Levi, Iſraeli ante tēpus Regem petenti, datus eſt Saul ex alia tribu, cuius
Oſe.8.4. imperium celeriter finem habuit: et quēadmodū dixit Oſeas; *ipſi Reges conſtituunt, ſed non ex me.* Etiā Haſmonæi, quia regiam poteſtatē, ſoli Iehudæ tribui debitam, adſumſerant, occiſi et privati eo faſtigio ſunt ab inimicis ſuis. Hāc quoq; opinionem fovet R. Obadiah Sphornus, citans verba Dei ad Davidem:
2. Sem. *At benignitatem meam non amovebo a te, quomodo amovi eam a domo Saulis.*
7.15. Quis ſignificat, nequaquam ſe regnum ei ereptūrum, quo alteri tradat, quēadmodum Saulo eripuiſſet ad transferendum in Davidem.

*VI.* R. Bahie ad hunc locum, et in opere ſuo Sulhā Arbà, per Siloh intelligit

משה

משה *Mosen*: et profecto in numero Hebræo שילה *Silò*, et משה *Moseh* tantundem valent: nimirum CCCXLV. Itaq; ait Iacobum vaticinatũ de prima liberatione filiorum suorum ex Ægypto. Vt S. verba exponenda sint: *Non auferetur virga*, sive imperium, *a Iehuda &c. donec venerit Siloh*, sive Moses: tunc enim ereptũ Iehudæ imperium, tradetur Moisi, ex tribu Levi. De quo etiam dicitur, *Fuit enim in Iesurune Rex*; ad Mosen, ergo inquit, congregabuntur populi, videlicet Israelitæ; qui eodem nomine nuncupantur in Deut. *Etiam amans populos*. Certe valde verisimile est Patriarchã de proxima redẽtione filiorũ suorũ locutũ. Deut. 33.5. Ibidem.

*VII.* Idem autor hoc quoq; modo eundem versum transtulit: *Non colligetur sceptrum ad Iehudam &c. donec ponatur Silò*, h. e. destructum sit tabernaculum Silò. quod accidisse constat. nam simul illud destructum esset, venit Semuel, & Davidem Regem unxit. Testificatur hoc ipse Psalmographus, cum ait: *Et deseruit tabernaculum Silò, tentorium quod posuerat inter homines. Et sprevit tentorium Ioseph, & tribum Ephraim non elegit. Elegit autem tribũ Iehudæ, montem Zionis quem diligat. Et elegit Davidem servum suum &c.* Vnde videmus, quo tempore Silò destructum est, etiam Davidem Regem unctum. Psal. 78. 67.

*VIII.* R. Ioel ben Sueb, per virgam intelligit virgã castigationis: unde Scripturam ita exponit: *Non tolletur castigatio à Iehuda*, i. e. ab Israelitis, qui vocantur יהודים Iehudim, *et legislator è medio pedum ejus*, h. e. semper erunt quasi in portis eorum inimici, qui leges iis præscribant, *donec veniat Silò*, h. e. Messias: *et illi obedient populi*, quia totius mundi imperium obtinebit. Hanc interpretationem quoq; probat Ishac in glossis suis supra Samuelem, nisi quod verba illa *& legislator è medio pedum ejus*, exponat, quamvis castigatio à Iehuda non auferatur, fore tamen ut legis non obliviscantur, sed in medio pedum eius sint legislatores; quomodo ait Psalmographus, tractans de persecutionibus Israëlis. *Totum hoc evenit nobis, nec tamen obliviscimur tui.* Neque movere debet, quod nonnulli dicunt, Iacobum in benedictione nihil infausti dicturum fuisse: etenim tanquam Propheta, et bona et mala prædixit. Sic sane de Simeone et Levi dixisse eum videmus: *Maledicta ira eorum, quia vehemens.* Adde quod simul bona hic prædicit, eosq; cohortatur et confirmat ad ferendas fortiter ærumnas, quia non futuræ sint perpetuæ, sed tantum duraturæ usq; ad Messiæ adventum; quo tempore omnes mundi nationes etiam illæ, à quibus ante vexati fuissent, eorum sub imperium venturæ essent. Ibid. 44. 18. Gẽ. 49. 7

IX. R. Hizquiah autor Hizquuni per Silò Ahiam Silonitem intelligens explicat, *Non auferetur virga à Iehuda*, hoc est, dominium, *et scriba è medio pedum eius*, ut moris est, *donec veniat Silò*, id est, donec Ahia Silonites vestem Ieroboami in XII. partes rumpat: tunc enim aliæ tribus habebunt partem imperii, soli antea Iehudæ possessi. Quod accidisse certum est, cum Ieroboamus imperium acciperet. Vnde ad illum se congregaturas gentes, videlicet XI tribus S. Scriptura ait.

X. Ishac Abravanel, fretus loco quodam veterum nostrorum sapientum; Virga, inquit, imperium aut iurisdictionem, quamvis exiguam, notat: itaque verè Patriarcha prædixit, eam à Iehuda nequaquam ablatum iri ante advẽtum Messiæ. Nam semper Iehuda caput fratrum suorum fuit; ille cum Iosephus venderetur dixit, † *quid utilitatis si occidamus fratrem nostrum?* eique cæteri paruerunt. Ille petiit à Iacobo ‡, ut mitteret secum Benjaminum, qui quod postulanti Rubeno negaverat, illius precibus tribuit. Ille * fuit, qui appropinquavit † Gẽ. 37. 26. ‡ Ibid. 43. 9. * Ibid. 44. 18.

Iosepho ad orandum: posteaq; semper tribus Iuda primum habuit locum; et
a *Num.* vexillum *a* ejus primum omniũ movebatur. In dedicatione aræ, *b* Nahson pri-
10. 14. mam oblationem fecit pro tribu Iehuda. Mortuo Ieosua primus *c* Iuda adscē-
b *Ibid.*7. dit in bellum. In divisione terrarum *d* prima portio Iudæ assignata est. Saul po-
12. pulum recensens, separatim *e* numeravit tribum Iudā: et regnante illo, semper
c *Iud.*1.2 nihilominus Iuda cæteris tribubus præminuit. Multoq; majus dominium habuit
d *Iosua.* tempore Regis Davidis *f*. Quin et in divisione regni tribus Iuda cum Davide
15.1. mansit: et in captivitate Babylonica semper capita et principes suos habuit ex
e 1.*Sem.* semine Davidis. Postea quoque temporibus Hasmonæorum princeps Iehudæ
15.4. erat caput Senatus Israelitici, nuncupati סנהדרין *Sanhedrin*, ut affirmat Iosephus.
f 1.*Reg.* Eodē modo in captivitate Hispaniæ, Galliæque, capita Israëlis semper fuerunt
12.20. ex stirpe et domo Davidis, nimirum Abravaneles: etenim, ut scribit R. Ishac ben Guiat, post destructionem secundi templi, duæ ex ea stirpe familiæ in has regiones migraverunt, quarum una Benè Daud filii Daud, altera Abravanelum erat. Igitur hinc satis constat, vera Iacobum Patriarcham prædixisse. Addere possis, quod Rab Ishac Arama tradit, R. Beniaminum Tudelensem, in libro suo Masshot R. Benjamin, scribere, Bagdade se oculis suis vidisse magnum numerum Israelitarum, qui certo tempore Principem, quem crederent ex stirpe Davidis esse, curru vectum prosequerentur, inter eundum acclamantes, facite locum filio Davidis. Etiam teste Ishaco Abravanel ad cap XII. Zachariæ, Aben Ezra affirmat, suo tempore Bagdade fuisse familiam ex stirpe David; magnique honores (ut in Sebet Iehuda dicitur) in Perside quoq; tribuuntur principibus seminis Davidis: quod etiam Guedaljah Iahia in libro suo Silselet a-Cabala asserit. Atque adeò fieri potest, ut idem hodieq; observetur in regionibus quibusdam
*Gen* 41. nobis incognitis. Ergo, iuxta hanc expositionem, verba עד כי *usq; dum*, non præ-
49. finiunt tempus aliquod, quasi illud dominium duraturum sit ad Messiæ adven-
*Deut.*4. tum, nec ulterius; sed denotant dignitatem. Vt alio loco dicitur עד כי חדל לספור
11. *donec desiit numerare*, עד לב השמים *usque ad cor cœlorum*. Ita ut Patriarcha ad ostēdendam Iehudæ dignitatem, dicat duraturum eum usq; ad Messiæ adventum. Sanè nunc quoque videmus, multis in locis quandam jurisdictionem habere tribu Iehuda ortos, et capita reliquorum esse. Quod exiguum imperium usq; ad tempora Messiæ duraturum, tunc augebitur: nam illi parebunt nationes.

XI. Dicere etiam possimus, mentem Patriarchæ fuisse, quamvis decem tribus captivas abducturus esset Assyriorum Rex, in terras nobis incognitas: tribũ Iehuda tamen nunquam sublatum iri, hoc est, ablatum ex oculis et commerciis ac notitia hominum: sed semper fore ei legislatores in medio pedum, hoc est, sapientes à quibus doceatur usque ad Messiæ adventum, per quem imperium sit resurrecturum. Hæc si placet sententia, vertes: *Non tolletur tribus Iuda, nec legislator è medio pedum ejus, donec veniat Silò, et illi congregatio populorum.*

Vt ut est, seu hanc, seu quā ex aliis expositionibus amplectaris, difficultas sublata est: neq; enim Patriarcha promittit semper eos regē habituros, cum nunc in captivitate eo destituantur; sed illud accipiendum est uno ex illis, quos diximus, modis. Nō ignoro aliis alias expositiones placuisse: sed mihi hæc sufficere videtur: poterunt doctiores eligere, quā maxime verā iudicabunt. Atq; hic finē imponere visũ quæstionibus libri Genes. in quo loca LXV. occurrerũt, quæ pugnare inter se videtur, iuxta nomē Adonai, quod in numero Hebræo valet LXV. Benedictus sit qui venit in nomine Domini &c.

FINIS GENESEOS QVÆSTIONVM.

# MENASSEH BEN ISRAEL
# QUÆSTIONES
# IN
# EXODVM.

# EXODVM



## QVÆST. I.

Exod. 2. 17. *Cum itaq; rediissent ad Rebuelem patrem suum.* Item vers. 21. *Acquievit tandem Moscheh, ut maneret cum hoc viro: qui dedit Ziporam filiam suam Mosi.*

Num. 10. 27. *Et dixit Moses Hobabo, filio Rehuelis Madianitæ, socero Mosis &c.*

HÆc concordare non videntur. Etenim si Rehuel, datâ in matrimonium Mosi Zippora filia sui, socer ejus erat, cur altero loco Hobab, filius Rehuelis Madianitæ, eodem nomine appellatur?

## CONCILIATIO.

ERit fortassis, qui ad tollendam difficultatem, locum Numerorũ hoc modo interpretetur. Et dixit Moseh Hobabo, filio Rehuelis Madianitæ, soceri Mosis: ut soceri vox non ad Hobabum, sed Rehuelem referatur. cap. 4. 11
Verum id confutaverint verba ista Iudicum, *Filiorum Hobabi soceri Mosis*, ubi disertim Hobab socer Mosis nuncupatur. Auctor docti operis Siphrè, Hobabum et Ithronem eundem esse putabat: et quando Scriptura ait, filias Ithronis ad patrem suum Rehuelem venisse, intelligi avum; quando non insolens sacris literis sit, avis nomẽ parẽtũ dare; uti et jã Quæst XXXVI Genes. ostendimus, et inde quoq; probari potest, quòd Iacobus in precibus de Abrahamo, avo suo, dixerit, *Deus patris mei Abrahami*, et Mephiboset filius Saulis appelletur, qui Ionathæ erat: Laban quoque Nahoris filius dicatur, cum nepos fuerit. Sic reciproce quoq; nepotes filii vocitantur: etenim Laban de Iacobi liberis dixit, *hæ, filiæ, filiæ meæ, et hi filii, filii mei.* Quod in Pirquè R. Elihezer* quoq; demonstratur ex dicto Iahacobi, Ephraim et Menaseh, tanquam Rehuben et Simhon sunto mei. Adeo ut Rehuel fuerit pater Ithronis. Neq; scrupulum movere debet, quod filiam suam Zipporam Mosi in matrimonium dedisse dicitur, quia annuente avo id factum est. Hobab autem idem qui Ithro est, cui nomen mutatum cum Iudaicæ religioni insereretur; quemadmodum hodieq; inter Iudæos moris est, circumcisionis tempore nomen mutare, quando octiduo exacto, par ætas illis doloribus est. Hanc conciliationem amplexi sunt R. Levi ben Gerson, R. Bahie, Ishac Abravanel, et Gerundensis.

Gẽ. 32. 9; 2. Sem. 19 25.; Ibi. 21. 7; Gẽ. 29 5; Ibid. 31. 43.; * cap. 36; art. 169.

II. R. Simon filius Menassiah, in Ialcut statuit Rehuelis et Ithronis ac Iobabi idem vocabulum esse. Quà ratione, ut bene notavit R. Eliah Ægyptius, necessario dicendum est, patri iuxta et filio, Rehuelis nomen fuisse. Itaque cum Scriptura ait, *Et venerunt ad Rehuelem patrem suum:* intelligendus est Ithro, proximus parens: quando autem dicit Hobabum fuisse filium Rehuelis, designat patrem Hobabi, aut Ithronis, qui idem habebat nomen. Notari etiam oportet, in Mehilta, Tanhuma, et Rabot, dari huic Ithroni septem vocabula, quorũ cuiq; sua sit significatio. Neq; mirum id videri debet: quippe constat in S. S. nonnullos

Semo. R. cap. 27.

nullos pluribus nominibus appellari. Sic Semuelis filius primogenitus, qui in libro ejus Ioel, in Chronicis Vasni nuncupatur.

III. Novam sententiam reperit Aben Ezra ad X cap. Numer. nimirum Ziphoram fuisse filiam Rehuelis, ut constet ex verbis: *Et dedit Ziphoram filiam suam Mosi*: deinde quia dicitur, *venerunt ad Rehuelem patrem suum*: et alio ex loco, quem supra citavimus, comperiamus Hobabum fuisse filium Rehuelis. Vnde colligere sit, eum fratrem Ziphoræ, et eundem ac Ithronem esse: nam Ithronē
Num. 10 ait S. S. ad Mosen in desertum venisse; et Hobabo dixisse Mosen, *tu novisti*
31. *metationes nostras in deserto.* Ergo Ithro et Hobab idem est. Hinc sequatur, Ziphoram et Hobabum, sive Ithronem, eodem parente Rehuele ortos, et Ithro-
Exod. 18 nem affinem Mosis fuisse. Quando autem ait S. S. ויבא יתרו חתן משה notandum est
5. hanc vocem חתן quam nos *socer* interpretamur, etiam de affine usurpari, uti sensit quoq; R. Iona. Quomodo nullus locus relinquatur objectioni R. Davidis Kimhi in Sepher a-sarasim.

cap. 2. IV. Aut dicemus cum ait S. Script. *Et sacerdoti Midian septem filiæ*, ac paullò post, *et redierunt ad Rehuel patrem suum*, per sacerdotem hic non Rehuelem notari, sed Ithronem, ut legere est cap. XVIII. *Audivitq; Ithro sacerdos Midiā socer Mosis*: et altero loco, *Acquievit tandem Moses, ut maneret cum hoc viro; qui dedit Ziphoram filiam suam Mosi.* Vbi vox illa *vir* non ad Rehuelem refertur, sed sacerdotem, nempe Ithronem. Ergo Rehuel, ut supra dictum est, avus fuerit, neq; ullus scrupulus relinquitur.

---

## QVÆST. *II.*

| | |
|---|---|
| Exod. 3. 2. *Cumq; adspiceret, ecce rubus ille ardebat igne, nec tamen rubus consumebatur.* | Ibid. 3. 3. *Appropinquabo nunc, et videbo visionem istam magnam, quare non ardeat rubus.* |

Si Moses rubum ardentem vidit, quare subjicit, ire se, et videre velle cur non incenderetur?

## CONCILIATIO.

VErbum בער iuxta Anquelos a-Guer duplicis significatus est. Primo enim דליקה i. e. *incensionem*, deinde שריפה *Serepha*, i. e. *combustionem* notat. Vnde priore loco והנה הסנה בוער vertēdum est, *et ecce rubus ardebat*, significatione vocabuli *Delika*; at secundo מרוע לא יבער הסנה significatus vocis *Serepha* locum habet, ut transferre oporteat, *quare non comburatur*. Eadem in opinione est R. Moses Gerūdensis. qui et בער exponit *tollere*, *auferre*, ex loco Deuteron. cap. XXVI. 13. בערתי הקרש מן הבית *Sustuli quod sanctum est è domo mea.*

II. Ishacus Abravanel ait, quia sæpe falsa sit hominis opinio, Mosem cum videret rubum incensum non consumi, existimasse aliter se rem habere, ideoq; dixisse, *appropinquabo nunc, et videbo visionem istam magnam, quare?* hic deinde pausam facere, ac si diceret, quomodo hoc fit? aut quomodo hoc esse potest? deinde putasse falli se, nec rubum ardere. Ita ut hæc verba, *et videbo, quare non ardeat rubus*, non sint continuè legenda: sed hoc modo, *et videbo quomodo*, hoc est, quomodo illud ita fiat. Tum subsistentem dixisse, *nequaquam ardet rubus*.

III. An potius cum R. Hizquiah admirantis hæc verba esse statuemus? ut dicat Moses, *appropinquabo nunc, et videbo quare?* id est, quare non comburatur rubus iste; לא יבער הסנה *non ardet rubus fortassis*! o quantum hoc miraculum est! Hæc certe expositio congrua est verbis S. Scripturæ.

IV. Aliam tamen quoque adfert supra citatus Ishacus, quem sequitur R. Moses Albelda in opere suo Olat Tamid: nimirum ut vox בוער *Boer* primo loco usurpata sit præsentis temporis in coniugatione *Kal*, ac transferatur *incendens se*: at illud יבער quod secundo loco legitur, sit temporis futuri in eadem conjugatione; quomodo traducere oporteat *incendet*, ac Moses, gnarus ignem vehementissimum elementum, nisi quid resistat, pertinaci cuncta incendio haurire, cum videret rubum igne non absumi, appropinquaverit ad inspiciendam caussam, cur scilicet non combureretur universus rubus.

V. Ishacus Arama, satis congruẽter verbis S. Scripturæ, Moses, inquit, adspiciens rubum ardentem non comburi, et satis intelligens id præter naturam esse, putavit falli sensus suos, nec verè incensum rubum, sed portentum aliquod esse. Itaque dixit, *appropinquabo nunc, et videbo visionem istam magnam, quare non ardeat rubus*. Etenim quamvis primo intuitu incensus mihi videbatur, revera tamen non ardet: quippe si arderet, consumeretur. Hanc explicationem amplexi etiam sunt R. Elihezer Asquenazi, et R. David de Leon in libro Tehila le-David. l.1.c.52.

---

## QVÆSTIO *III.*

Exod. 3. 14. *Dixitq; sic dices filiis Israel, Ero misit me ad vos.*

Ibid. vers. 15. *Dixitq; porro Deus Mosi, sic dices filiis Israel, D. Deus patrum vestrorũ, &c. misit me ad vos.*

CVm vocabulum *Ehie*, quod interpretamur *Ero*, differat à nomine Tetragrammato, quare Deus, qui iusserat primo Mosem dicere filiis Israelis se ab Ehie missum esse, postea imperat ei, ut se à Tetragrammato missum afferat?

## CONCILIATIO.

ARduam hãc, et difficultatis plenam materiam, expedire omnino è re mihi videtur. Quamvis enim in hoc opere nequaquã egredi solutiones quæstionum decreverim, multo minus longius extra institutum evagari: reor tamen hanc rem paullo accuratius explicandam esse. R. Iehuda Levita in Cuzari, de divinis attributis tractans, hunc in modum scribit: cætera nomina quidem sunt attributa Deo, pro variis actionibus, quibus vim suam in homines exserit. l.2.art.2 Sed nomen המפרש *a-meforas*, id est, explicatum, nimirũ ineffabile Tetragrammaton, proprium est Dei nomen, et naturam ejus explicat. Idem sentiens R. Moses in Directore suo ait, quando Dominus Mosem iussit populo denuntiare se ab אהיה *Ehjè* missum esse, lib. 1. non voluit eum solum nomen indicare Israëlitis. cap. 63. Etenim si jam illud ante audierant, nihil novi dicturus erat; sin ignorabant, certum erat non satisfacturum iis Mosem, dicendo, tale nomen me misit. Quin penitus sibi persuasuri erant, eum subdolo apud se commento uti. Itaq;

ne nudum ijs nomen diceret, latius ei naturam ac significationem ejus exponit.
Quoniam autem illis temporibus universi gentiles erant, et idolorum cultui
addicti, qui nescirent, esse aliquid incorporeum, eoq; cogitationibus suis cœlum
non transcēderent, Deus, cupiēs populo suo hunc errorem eximere, dixit Mo-
si, abi, et dic illis, *Ero qui ero misit me ad vos*, quæ vox *Ehie* (*Ero*) existentiam
denotat, et ab היה *fuit* deducitur: perinde ac si dixisset, monstra illis, contra quā
sentiunt, et validis argumentis proba, me esse, qui sum; hoc est, meam essentiā
à se ipsa subsistere, nec ab alio dependere, ut cætera omnia, quæ existunt quia
à me provenerunt; et ita sunt, ut potuerint, et adhuc possint non esse. Adeo ut
vox אהיה *Ero* denotet ipsam divinam existentiam; quà non solum Deus ei nomē
revelavit, verum et certissimas rationes, ex quibus colligeretur, eum esse fontē
omnium eorum quæ existunt: id enim hoc vocabulum denotat, uti et Tetra-
† *Paras. Nassò.* grammaton: quod eam ob caussam, testante eodem R. Moseh in Siphre † et
Guemarà Sotà ‡, appellatur שם המפורש *nomen explicatum*, nimirum quoniam eo
‡ *cap. 7.* exprimitur divina essentia. Etiam appellatur שם המיוחד *Sem a-meiuhad* (*nomen
proprium*) quia diversum à cæteris nominibus, soli divinitati proprium est, nec
quidquam nisi necessitatem existentiæ divinæ significet. Quod et R. Ioseph Al-
*l. 2. c. 28.* bus affirmat in Icarim, apud quem aliam quoque etymologiam vocis המפורש *a-
meforas* legere est. Nam deducit eam à פרוש *Parus*, id est, *separatus, segregatus*,
unde colligit, solum hoc nomen verè primæ caussæ competere. Vnde probat
*Cuzari. l. 4. art. 1* R. Iehuda Levita, si quis quærat, quis Deus colendus sit; Sol, Luna, cœli, stellæ,
planetæ, signa, ignis, aër, an genii, aut similia, quia cuiq; horum suum imperiū
et sua vis sit in generatione & corruptione rerum: respondendum esse, Domino
Tetragrammato, perinde atq; Rubenem, ac Simhonem, et mortalium alios
propriis nominibus à cæteris distinguimus. Quamvis autem, non videatur ex no-
mine cognosci posse is, cuius natura occultata et incomprehensibilis est, ut re-
*More. li. 1. cap. 37* ctè observat R. Moses, dictitans faciem Domini, id est, substantiam ejus, vide-
ri aut cognosci non posse; nihilominus ei vocabulum imponitur, nequaquam ex
cognitione aut scientiæ naturæ ejus, quod fieri nequit, sed quod nobis revelatū
est. Etenim Dominus cum Adamo collocutus, præcepta sua, et postea sanctum
nomen suum ei; ille Caino et Hebelo, tradidit: à quibus ad posteros ipsumq;
tandem Noachum, à Noacho ad Abrahamum, Ishacum, Iacobum, deniq; et
Mosem, ac posteritatem reliquam pervenit. Adeo ut hi revelatione, illi tradi-
tione acceperint, potuerintq; tribuere Primæ Caussæ nomen, quod eam deno-
*Saar a-vaia* taret. Etiam R. Ioseph Chequitilla in Guinat Egoz, eandem fovens opinionem,
pluribus locis demonstrat, hoc vocabulum non nisi ipsam essentiam divinitatis
denotare, cum cætera nomina pro variis effectibus Deo tribuantur. Ideoque
primo cap. Geneseos אלהים *Eloim*, non ineffabile illud nomen usurpari, quia re-
liqua nomina novata sint cum operibus Beresit, excepto hoc uno, quod æterni-
tatem & existentiam Dei significans, ante creatum mundum fuerit. Quò respe-
*Pirq; R. Elihez. cap. 3.* xisse veteres nostros sapientes putat, cum dixerunt, ante creatum mundum
Deum et nomen ejus tantum exstitisse. Nimirum hic nomen, non nomina eos
dicere, quia solum vocabulum Tetragrammaton in creatione universi non ac-
† *More. l. 1. c. 63* ceperit, (idq; etiam observavit R. Moseh †) quippe quod nequaquam ab effe-
* *Exod. 22 19.* ctibus impositum sit, ut supra monuimus. Hinc etiam Lex ait; ‡ *sacrificans Eloim
exscindetur; tantum Adonai illi soli*: nam nomen Eloim etiam aliis tribuitur,
sacrifi-

sacrificium autem non nisi illi nomini offerri debet, quod Primam Caussam, nec præterea quidquam significat: quemodo etiam interpretatus est Ishac Abravanel, qui in Misalot Elohim ait in opere suo Laacat a-nebihim se id probasse variis argumentis, atq; autoritatibus; quin eadem quoq; in opinione fuerunt R. Ishac Arama †, et Philo Judæus ‡. Etiam autor Hobat a-lebabot, et R. Abrahã Salõ * statuũt Ehie, et Tetragrãmatõ Divinæ essentiæ vocabula esse: quod clarissime demonstrat doctus Aben Ezra ad *III.* cap. Exodi, et *VII.* Eccles. dicens esse שם העצם *nomen substantiæ.* Et quia tale iuxta regulam Grammaticæ (ut recte observat in libro suo Mozne Lason a-codes) non admittit ה הידיעה *He demonstrativum*; etenim non dicemus הישראל *Israel*, nec האברהם *Abraham*; ideo et hoc vocabulum non recipit He demonstrativum: quod tamen in cæteris nominibus sæpe usurpatur, ut cum dicimus האלהים *Deus &c.* *l.10.c.8.* † *Aqued. saar 35.* ‡ *l. de Abrahamo* * *Neve Salom. l. 5. cap. 4.*

His probatis, idem autor excellentiam huius nominis plurimis verbis extollit, quod et doctissime facit R. Iehuda Levita, aliiq; quos citabimus autores. Ac primo quidem tractans de quatuor literis אהוי A E V I, unde venerabile hoc nomen formatur, ait eas quasi animam ac spiritum reliquarum esse literarũ; quia absq; iis nulla moveri aut pronunciari possit. Etenim ex septem punctis, quæ reges appellãtur, א et ה Aleph et He, indicare ַ Patach ָ hoc est A: ו autẽ Cholem, sive O: at י Iod, Chirec, id est I. sub Patach magno verò comprehendi ֶ Segol, id est E: sub Holem, ָ Cametz, sive A, et ֻ Schurek seu V: sub Hirek denique comprehendi ֵ Sere, vel E, et ְ Sebà, quod sonum habeat literæ præcedentis. Adeo ut cæteræ quidem omnes literæ illis quatuor indigeant, ipsæ nullius sint indigæ. Quod allegoricà expositione significet naturam Dei, qui anima omnium rerum, et, ut R. Moses ait, vita mundi est; cuius ope omnes indigent, ipse neminis. Est præterea peculiare his literis ut quiescant, unde à Grammaticis quibusdam אותיות נחות *literæ quiescentes* nuncupantur; nimirum quia aliquando quiescunt, nec in pronuntiatione audiuntur, aliàs verò vocales sunt; similes hac parte Primæ Caussæ, cuius essentia cum sit incognita, et neminis intellectu comprehensa, nihilominus per effectus atq; opera sua sentitur ac manifesta est. Et quoniam hæ literæ ex toto alphabeto pronunciatu sunt facillimæ, non immeritò ex ijs venerabile istud nomen formatur. At si ad numeros attendamus, infinita occurrunt argumẽta excellentiæ earum literarum. א in numero Hebræo valet unum, aitq; doctus Aben Ezrah ad *XI* cap. Danielis, unum esse ante numerum, et caussam totius numeri, et totum numerum: deinde et caussam multiplicandi ac diminuendi, quamvis ipsum nihil horum admittat. Idem et notavit sapiens Latif in lib. Guinze a-meleh † et Saar a-samaim ‡. Quod verũ esse inde probatur, quia Euclidi septimo libro numerus definitur, multitudo ex unitatibus composita, ut II, III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X, &c. etenim cũ unitas dividi nequeat, eo nec composita est, neque numerus, sed principium ac fons omnis numeri. Sic quoque causa est numeri, quia ille est multitudo ex unitatibus, ut dixi, composita; ut duo sunt bis unum, tria ter unum, ac sic in reliquis: adeo ut videamus, omnibus numeris unitate opus esse, cum illa nullius indiga sit. Quæ cuncta etiam in Prima Caussa considerantur. Quemadmodum enim unitas non est numerus, sed caussa & principium ejus; sic Prima Caussa, non est aliqua ex rebus creatis, sed caussa et principium illarum: cuius omnes egent, cum illa nullius indigeat, Illa in omnibus est, omniaq; sub ea comprehẽduntur

*Cuzari. l.4. art.3*

*More. l. 2. c. 69.*

† *cap. 23* ‡ *cap. 2.*

† Iesod e tora. c. 1.
‡ l. 2. c. 10
* li. 5. pa. 3. cap. 12

duntur, tanquam simplicissima unitate. Et quemadmodum ait R. Mosch in Iad a-hazaqua †, R. Ioseph Albus in Icarim ‡, et R. Levi ben Guerson in Milhamot a-Sem *, est unus, ut nulla sit in mundo talis unitas; quamvis ex omnibus maxime similis Deo sit unitas numeri, propter allatas jam rationes. Ait porro idem Aben Ezra, ex quatuor his literis אהוי AEVI, א est principium numeri, י finis, nam valet X, at ה et ו He et vau, sunt V et VI, duo medii numeri. Quod verum esse scimus: nam denarius est finis omnium numerorum, et ut pluribus locis R. Iehuda Levita * inquit, ingens secretum in eo est, quod omnes Orientis atq; Occidentis nationes subsistant in denario, cui proprium illud est, includere reliquos omnes numeros, ut recte observat Haiat, et perfectum vocari. Nam si numerare incipiamus ab unitate, dicimus, I. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. inde sequuntur numeri quos Ioannes de Sacrobosco, et Michaël Scotus, compositos aut mixtos appellant, suntque omnes qui componuntur ex digito, et articulo uno, quemadmodum omnes illi, qui reperiuntur inter proximos articulos duos, nempe XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. in quibus iterum sumimus unitatem, et reliquos numeros digitos; at post XIX dicimus XX. hoc est bis denarium perfectum, eodemq; modo reliquos omnes numeros repetita unitate supputamus: quorum cum unitas principium sit, denarius finis, relinquitur ut V et VI medio sint loco. Quod applicatur ad demonstrandum, Primam caussam esse principium, medium, et finem; fuisse, esse, et fore. Deinde etiam ostendit id, quod Plato, & Aristoteles, ac R. Moses ajunt, Deum omnium eorum quæ existunt, caussam efficientem, finalem, et formalē esse. Dicit præterea supra citatus autor, ה et ו He et Vau, quæ valent V. et VI. numeros esse circulares, quìs in Sepher Sahut addit denarium: nec absurde unitatem ipsam adjeceris. Deinde declarans ista, ait, quomodo qui incedit itinere circulari ab uno puncto proficiscitur, et quoties emetitur circulum illum, toties redit ad idem punctum, ita et in numeris agitur. Nam multiplicando unum per unum, redis ad eandem unitatem: quinarius per quinarium multiplicatus redit ad quinarium: nam quinquies quinque sunt XXV, et quinquies viginti quinque sunt CXXV, atque ita in infinitum. Ita et senarius per senariū multiplicatus redit in senarium, etenim sexies sex sunt *XXXVI*, et sexies *XXXVI* sunt *CCXVI*, atque ita porro. Denarium circularem dicere possumus: nam per se multiplicatus facit centum, hoc est decies decem. Decies autem centum facit mille, hoc est decem centenarios: quod significat, quemadmodum circulus nec principium habet, neque finem, ita et Primam caussam principio et fine carere: Deus enim, ut ait Philosophus quispiam, est circulus cuius centrum ubique est, et circumferentia nusquam. Eodemque modo quo isti numeri in cæteris omnibus conservantur, uti demonstravimus, ita Deus æternus est, et sine mutatione. Adeo ut, quemadmodum ostendimus, excellentia magna sit in literis אהוי A E V I, quæ non immerito Primā Caussam designant. nā tres istæ יהו in tetragrammato continentur, א autem in אהיה *Ehieh*: unum incipit à י *Iod*, hoc est denario, fine numeri; alterum ab א, id est, unitate, quæ est principium numeri, quo significatur eam esse principium ac finem omnium rerum. Nec minus mysterio caret, quod quatuor nec plures literæ sunt, quia juxta

* Cuzari li. 1. art. 59. et li. 4. art. 25 Maareh a-semot.

l. 1. c. 69.

Saar a-etiiot.

juxta Philonem Iudæum, numerus quaternarius, præterquam quod omnia comprehendit, punctum, lineam, superficiem, & corpus, in aliis quoq; multis perfectus est, que inter est, quod præcedentes numeri ex quibus componitur, cum eo exacte denarium efficiant: nam cum unum, duo, tria, quatuor, sint partes quaternarii, certò videmus ea junctim facere denarium. Præterea in hoc numero notabile est, quod principales toni Musici, nimirum Diapente, Diatessaron, et Diapason, iidem partibus quaternarii contineantur. Diapente enim est sesquialtera ut à tribus ad duo: Diatessaron est una sesquitertia ut à quatuor ad tres: Diapason vero dupla, ut à quatuor ad duo. Etiam magni apud antiquos æstimatus fuit quaternarius, propter totidem artes Matheseos, Geometriam, Astronomiam, Musicam, et Arithmeticam, quæ maxime utiles sunt ad percurrendas omnes artes ac scientias. Præterea mundus conflatus est ex IV Elementis, et in totidem tempora annus dividitur, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem. Deinde et in mundo angelico sunt quatuor animalia divinæ quadrigæ, quæ nuncupantur quatuor exercitus divinitatis; et universum, iuxta Cabalistas, dividitur in quatuor mundos. Scilicet talis perfectio requirebatur in numero qui repræsentaret primam caussam. Igitur ex opinione omnium Philosophorum Hebræorum, quos supra citavi, dicimus et nomen Tetragrammaton denotare substantiam divinitatis, et vocem אהיה, nisi quod hæc est primæ personæ singularis futuri, יהיה autem tertiæ, ex quibus duobus vocabulis componuntur tria, היה הוה אהיה, *fui, sum, ero*. Ait porro R. Iuda Levita in Cuzari, et doctus Aben Ezrah ad *XXXIII* cap. Exodi, nomen יה eandem habere significationem, eundemque numerum literis suis facere, quem faciat Tetragrammaton: nam יהוה valet *XXVI*, et Iod He nominis יה suis literis hunc in modum scriptum יוד הא itidem facit *XXVI*, adeo ut idem fuerit dicere Mosem se à Tetragrammato et ab אהיה missum esse: nam interrogantem, quid dicturus esset, si quærerent Israëlitæ de essentia ejus à quo mitteretur, iussit Dominus duo ista nomina proferre, quorum utrumque eam denotabat: quia, ut sensit R. Hasdai in Or a-Sem, et autor libri Saar a-Sem a-hadas, illa מה שמו *quod est nomen ejus*, significant מה מהותו *quæ est essentia ejus*.

*lib. de opificio mundi.*

*lib. 4. art. 3.*

*l. 1. cōcl. 3. cap. 5.*

Ob tantam excellentiam nomen hoc cum vocalibus suis pronuntiari nequit, uti probatur in Guemara Pesahim; quod solus summus sacerdos, die quo peccata expiabantur, semel in anno proferebat, cæterum tanta cum harmonia, ac vocis varietate, ut nullus pronuntiationem aut sonum ejus intelligeret; idque eo fine, ut ostenderet incognitam, et inexplicabilem esse divinam essentiam: ad cuius rei testimonium, occultanda est pronuntiatio nominis, quod eam denotat. Ita in Levitico narratur filium Ægyptii, pronunciasse Nomen, eique maledixisse; unde instituta est Lex, quæ ait: *Quisquis maledixerit Deo suo, tollet peccatum suum*. hoc est, excidium animæ: sed qui protulerit Nomen, eique maledixerit, judicio morietur: quomodo omnes autores hæc verba exponunt. Imo tam grave illud peccatum est, ut Deus permiserit, quemadmodum in Guemara Aboda Zara, memoratur R.

*cap. 10.*

Hananiam ben Teradion, ab Imperatore quopiam comburi, quod divinum nomẽ cum vocalibus suis extulisset. Neq; credibile est, omnes Israelitas, per quatuor mundi plagas dispersos, in re tam gravi cōsensuros fuisse, nisi eam per traditionem á Mose accepissent. Quid quod in nullis veteribus Assyriorum, Græcorum, aut Chaldæorum scripturis illud nomen pronuntiatum reperitur? unde sequitur, pronunciandum nequaquam esse. Quod si Ægyptii nomina parentum suorum, et multo magis illustris alicuius viri, ut Mercurii Trismegisti, vocabulũ proferre veriti sunt, quanto justius hanc reverentiam exhibeamus supremo parenti huius mundi machinæ, et Regi regum, cuius essentia penitus occulta est, neque concipi potest? Sed scrupulus hic moveri possit, cùm nomen אהיה itidem divinam substantiam denotet, cur magis illud, quam Tetragrammaton, pronũtiare liceat? Neminem reperi, qui hanc quæstionem moverit; solveritq; præter R. Iosephum Chequitillam, in opere suo Guinat Egoz †, et R. Meir Alda-
† *Saar a-vaia.* bi in Sebile Emuna ‡: ii ajunt, nomen אהיה, quamvis divinam quoque essentiam
significet, minus tamen excellẽs esse, quia ex Tetragrammato יהוה prodeat vox
‡ *Natib. 3.* אהיה: eterim יהו tres priores literas nominis ineffabilis, facere numerum *XXI*,
quem etiam constituat vocabulum אהיה. Indeque crediderim illud ab א incipere: nam litera א habet duo יודים *Iodim*, unum inferne, superne alterum, quæ conjuncta faciunt XX, medium inter utrumq; Iod est ו Vav, hoc est, sex, quo cum prioribus in unum numerum redacto, prodeunt *XXVI*, quem etiam numerum nomen Tetragrammaton complectitur. Adeo ut hoc nomen ex priori ortum, eoq; minus excellens, non solum divinam substantiam designet, sed etiam innovationem omnium entium, quæ à Primâ Caussâ dependent. Porro quia duplicem habet significationem, non appellatur שם המיוחד *nomen proprium*, neque pronunciari cum vocalibus suis prohibetur. Eodem modo ipsum nomen יה *Iah* alteram quoq; significationem habet, nempe divinæ providentiæ. Atque ita discrepantia horum S. S. locorum conciliatur, ex sententia philosophorum nostrorum, Philonis Iudæi, R. Mosis Ægyptii, R. Iehudæ Levitæ, R. Abrahami Aben Ezræ, R. Iosephi Albi, R. Ishaci Aramæ, Ishaci Abravanelis, R. Hasdai, R. Abrahami Salom, R. Meir Aldabi, Autoris Hobat a-lebabot, Autoris Saar a-Sem a-hadas, et R. Iosephi Chequitillæ.

† *in principio.* Sed divini Theologi Cabalistæ, ut in Ticunim † et Abodat a-codes ‡ legimus,
credebãt, quẽadmodũ substantia sive essentia divinitatis omnino incognita est,
‡ *Helek a-ihud. cap. 9.* neque ullo modo concipi potest: sic neque nomen ullum reperiri posse, quod
eam perfecte exprimat ac representet; unde recepta apud omnes eos opinio est, Tetragrammato mundum emanationis denotari, qui decem illustria lumina continet; et המפורש *explicatum* vocari ajunt, quia per illa seipsum Deus explicuit & communicavit; uti et המיוחד *unitum*, quia (ut ait R. Meir Gabai in o-
†*Ibid. 15* pere suo Abodat a-codes †, et R. Iosephus Chequitilla, in Saare Ora) compositione literarum ejus adunat totam emanationem; nempe punctum literæ י,
‡ *Hilhot tephilin. art. 36.* (nam illud recta Scriptura exigit, uti et observat autor Lebusim ‡) designat
כתר *Keter*, primam et altissimam lucem: י *Iod* ipsum חכמה sive secundam, ה vèrò בינה tertiam, ו quod sex valet, sex lumina sequentia, ה autem מלכות ultimam. Adeo ut hoc quadrilitero nomine decem illustria lumina cōtineri ac repræsentari dicant; quod etiam scribit R. Aser in Sepher a-ihud, et R. Peres in Maharehet a-elahut. Cæterum quid sibi velit, hæc litera est talis Sephira, et quod fun-
*Saar a-sẽ* damen-

damentum habeat, in nullo autore reperi: et quamvis temeritatem in me reprehensuri fortassis nonnulli sint; expediam quid mihi in mentem venerit, ita tamen, ut siquis meliora observarit, non abnuam ejus me judicio submittere. Plato reputans ordinem et partes mundi, non fortuitò, sed necessariò à mente aut intellectu sapiētissimo productū eū affirmavit: et si sapiētia atq; ars summi artificis, universum hoc formà perfectissimà, et mirà concordantia atq; ordine fabricasset, convenire ut omnis notitia rerum tam sapienter factarum, ante exstiterit in mente artificis atq; architecti earum: alioqui enim non per artem, sed casu factas esse. Eas autem notitias universi, quæ præexsistāt in divino intellectu, vocat Ideas: et statuit, singula elementa principium formale incorporeum habere, cuius participatione propriam naturam suam habeant. Ita, exempli gratià, ideam ignis verum ignem esse putat essentià formali, cuius participatione hoc elementum ignis sit, ac sic etiam cætera. Igitur Plato credebat in divino intellectu præexstitisse notitias omnium rerum. Illæ autem ideæ, sive notitiæ, meo quidem, quamvis tenui hàc in re, judicio, sunt literæ: quod variis comprobari argumentis potest. In Sepher a-jesira dicitur Deum copulasse literas, et cum illis omnē creaturā creavisse: quæ verba explicans R. Ioseph ben Carnitol in Saare a-Sedeq ait, nullam vocem esse, quin literæ eius variis modis compositæ, varia quoque forment vocabula diversæ significationis. Sic אל *El* Deum notat, transpositis literis לא *lo* non: כתר *Keter*, Coronam significat, et mutato literarum ordine כרת *Caret* (*excidium*). eadem in reliquis dictionibus ratio est. Et quomodo in eodem libro Iesirà dicitur, duæ literæ bina, ternæ sena construunt ædificia, et sic porro comperimus omnes dictiones, si literas transponas, alia vocabula, et novæ significationis facere. Hoc modo ergo Deus literarū varia cōpositione universum hoc creavit. Idem voluerūt veteres nostri Sapientes, quum in Beresit Raba dicunt, perinde atque artifex ad exemplum opus suum perficit, ita Deum Lege inspecta mundum condidisse: et alio loco, Legem antecessisse mundum. Sic etiam in Ialcut † dicitur Besalhelem scivisse componere literas, quibus cœlum et terra creata sunt. R. Moses Gerundensis ‡ ait, transpositis variè et conjunctis literis, omnes dictiones Legis esse nomina divinitatis. Et in Sepher a-bitahon, per literas omnia opera fieri. Vnde videmus, literas esse semina, sive ideas omnium rerum quas repræsentant, quæ radices sunt in mente summi Creatoris. Quin et respectu numerorum, quos faciunt, idem affirmari potest: ideoq; Pythagoras eos ajebat esse principia omnium rerum. Hinc apertum est, quomodo dicatur hanc literam esse talem Sephiram, illam vero aliam, quia nempe literæ sunt omnium rerum exempla. Ita R. Berahiel in divinis suis Peraquim inquit, ex eo quod præcedit omnem numerum, provenisse numerum; qui ad denarium, nec ultrà, progreditur. Eodem prorsus modo decem tantum Sephiræ sunt, inde nomē suum adeptæ: nam ספירה *Sephira* à ספר *Saphar* id est, numerus, derivatur: et quemadmodum numeri sunt, ita et unaquæq; habet proprietatem numeri quem facit. Nec sine causa Theologi dixerunt, Tetragrammatō significare ac repræsentare decem illas illustres luces, quis infusa divinitas est. Etenim ex cunctis quæ exstant vocabulis, solum hoc invariabile est, ut quamvis omnibus modis transponantur literæ eandē tamē retineāt significationē. Nam quadrilitera cū sit vox, duodecim cōstruit ædificia; nimirū hæc יהוה יההו יוהה הוהי הויה ההיו והיה וההי ויהה היהו היוה ההוי quæ omnia

*cap*, 1. [Beresit Raba]
† *lib*. 1. *art*. 389.
‡ *in Prologo Pētateuchi*
*cap*. 5. [Peraquim]

cap.3.6. omnia idem notant, nimirum *Eſſe*. Indeque ait Malhahi † *Ego Deus me nō muto*. Quia ſcilicet Tetragrammaton, quomodocumq; literas tranſponas, retinet ſemper eandem notionem. Atque hæc prima iuxta Cabaliſtas eſt hujus nominis excellentia, uti quoque notavit Ishac Abravanel in Paraſa Teſave. Altera eſt, quod ex illo nomine reliqua omnia naſcantur; ipſum vero nullum fontem, nullam habet originem, niſi ſe. Cuius rei ſiquis curioſus erit, adeat quæ in hoc opere, Hiſpanicâ linguâ ſuperiore anno edito, diſſerui. Tertia eſt, quod (iuxta
ſaar.19. R. Moſem Cordubenſem, in opere Pardes Rimonim) ſolum hoc nomen non derivetur ab effectu aut opere aliquo, contra quam in aliis fit. Sic tria iſta אל, אלהים, אלה, *El, Elòa, Eloim*, formantur ab אליות *fortitudo*, et denotant, à primâ cauſa venire omnes potētias. שדי à שדד, *prædator* deducitur, quia vincit vim omnium planetarum. צבאות *Sebaot* à צבא *Exercitus*, quod ei tribuitur, quia Dominus eſt omnium exercituum cœli. אדני *Dominus*, quatenus imperat univerſæ mundi machinæ. At אהיה *Ehiè* ab היה *eſſe*, quia dependet ab illo quicquid exiſtit. In יה IA autem conſideratur providentia eius: & ſic in cæteris. At ſolum Tetragrammaton à nullo actu aut opere originem habet. Accedit quod cætera nomina, ut obſervat ſupra citatus Auctor, in S. Scriptura aliis quoq; rebus tribuantur, at venerabile illud ſoli Deo, nec præterea cuiquam. Quamobrem ſi verū eſt, quod omnes Cabaliſtæ volunt, decem Sephirot, aut divinas luces, emanaſſe à primâ cauſſâ, et cum ea conjunctas manere, ut flamma cum igne, radii ſolares cum Sole; ſi, in quam, divinitas iis ſit infuſa, poſſumus Philoſophos et Cadaliſtas conciliare: nam quando nomen illud Sephirot, ſive lucibus datur, etiam Primæ datur Cauſſæ, quæ in iis ſplendet, atq; infuſa eſt. Adferrem et alia magis ſublimia de figuris harum literarum, niſi vererer iudicium lectoris adverſus prolixitatem meam: nunc eo facilius deſino, quod egregie hæc, hujus temporis autor, Abrahā Coēn de Herrera tractaverit in doctiſſimo opere quod Portam cœli nuncupa-
Zoar hadas. Par. Ytro. vit: unum illud additurus, quod in Zoar divini Theologi ſcribunt, hoc nomine omnia creata nobis repræſentari. Nam ſi hominem conſideres, videbis י capitis formam habere; quinque digiti manus dexteræ priori ה, et altero ה totidem ſiniſtræ digiti deſignantur: reliquum corpus literâ ו. Sic etiam in aquila caput eſt י, duo ה utraque ala, corpus ו. Vnde probant, nullum eſſe animal, nullam plantam, quæ non in ſe contineat nomen ineffabile. Denique ut in ſcriptis antiquiſſimis Attali, Cecinæ, Triſmegiſti, & Zoroaſtris legere eſt, folia herbarum literæ ſunt, quæ nos edoceant radicum ſuarum vires. Sed finio, et cum Cabaliſtis ajo, quando quærente Moſe nomen divinæ eſſentiæ, Deus reſpondit, *Ero qui ero miſit me ad vos*, tantundem fuiſſe ac ſi diceret, quid attinet quærere id quod
Semo.R. cap.3. explicari nequit? ego ſum qui ſum. Aut, quemadmodum veteres Sapientes ajunt, dixit, ſe qui illis adfuiſſet in iſta captivitate, etiam in reliquis affuturum: et tunc revelato ei Tetragrammato nomine illud renunciare eum Iſraëlitis juſſit, quia cum id repræſentet decem illuſtres luces, per eas cognituri erant Deum quaſi velatum: nam eſſentia eius occulta penitus, nullis exprimi verbis poterat.

*Notet benevolus Lector in hoc capite nos reverentia divinitatis pro ה primo, quod in Tetragrammato eſt, ד ſcripſiſſe.*

---

QVÆST.

## QVÆST. IV.

Exod. 3. 19. *Ego autem novi non esse vobis permissurum Regem Ægyptium ut abeatis, ne quidem manu forti.*

Ibid. 6. 1. *Per manum fortem expellet eos ex terrâ suâ.*

QVare Deus priore loco negans, quamvis manu forti Parhonem Israëlitas dimissurũ, postea idem affirmat?

## CONCILIATIO.

PEr manum fortem castigatio intelligitur, unde R. Selomoh priorem locum ita exponit, scio Regem Ægyptiũ vobis non permissurum ut discedatis, nisi meam in illum potentiam exerceam, et acriter castigem: ideoq; sequi in S. Scriptura: *extendam manum meam, et percutiam.* Quæ si expositio placet, Deus posteriore loco tantum confirmet, quæ ante dixerat.

II. Doctus Aben Ezra explicat, *Scio Regem Ægypti nequaquam passurum, ut abeatis, non propter manum fortem:* quia juxta Grammaticos litera ב sæpius ponitur pro בעבור *baabur, (propter)* et sic ביד *beiad*, vertendum *propter manum*, ac sensus verborum fit: Novi regem non permissurum vobis, ut discedatis; neque id propter fortem ejus manum, aut potentiam quam habet. etenim ego extẽdam manum meam, & percutiam. Eadem expositio etiam R. Bahie placuit, et primum autorem habet Anquelos a-Guer in paraphrasi Chaldaicâ.

III. R. Levi ben Guerson, ut ex verbis ejus colligitur, per aliam regulã grãmaticorum, statuit ו hic poni pro אבל, quomodo usurpetur illo loco Geneseos, *cap. 43. ג*
ועבדיך באו לשבר *sed servi tui venerunt ad comparandum cibarium.* Explicat autem hoc pacto. *Ego autem novi non permissurum vobis esse Ægypti Regem, ut abeatis, sed non, manu forti*: i. e. quando non patitur, dabo vobis libertatẽ manu forti.

IV. R. Moses Gerundensis hæc verba cum sequenti versu connectens, ait, *Scio ego Regem Ægypti non passurum ut vos abeatis,* nec verbis, *nec manu forti: et ego extendam manum meam, & percutiam*: ac si diceret, donec eum, quod necessarium erit, castigavero.

V. R. Bahye, per manum fortem, unam tantum plagam designari putat, et mentem Scripturæ esse, Ægyptium quamvis semel percussum, non tamen passurum ut abeant. At postea cum dicat, eum dimissurum Israëlitas manu forti, denotari decimam plagam.

VI. Ishacus Abtavanel manum fortem hic ad Israëlitas referri existimat, et dicere Dominum, *Novi Ægyptium* volentem *non permissurum vobis ut abeatis; nec manu forti*, i. e. per vim, aut armis vos iugum ejus excutietis; sed, *ego extendam manum meam, et percutiam Ægyptium.* Illam expositionem sequitur R. *Psal. 106*
Mehir Arama in Mehir Theilot supra Psalmos, et R. Moses Albelda ad hunc locum.

## QVÆST. V.

Exod. 4. 20. *Et accipiens Moseh uxorem suam, et filios suos, imposuit eos asino, et reversus est in terrã Ægypti.*

Ibid. 18. 2. *Et assumsit Ithro, socer Mosis, Zipporam uxorem* Mosis, *post missionem ejus.*

SI Moses uxorem filiosq; in Ægyptum abduxit, quomodo potuit illi ex Ægypto revertenti Ithro socer cum uxore ac filiis occurrere?

### CONCILIATIO.

QVamvis ex priore loco colligi videatur Mosem abduxisse conjugem suam in Ægyptum; non tamen ita est. Nam ait R. Selomoh, obviam factus ei Aharon interrogavit, quinam isti? cui Moses, uxor inquit, et filii mei. Tum rursus ille, quorsum eos ducis? respondit Moses in Ægyptum. Quod displicuit Aharoni. Ergo, inquit, captivorũ augere numerum vis, cum abunde nobis sollicitudinis fit ob multitudinem, quæ ab Ægyptiis premitur? Vnde Moses, accepto consilio, uxorem et filios ad socerum remisit, et hinc Scripturæ verba, *post missionem ejus*, i. e. postquam remiserat eos ad parentem suum. Idẽ ex priore loco colligit Aben Ezra. Nam dicitur, *Accepitq; Moses uxorem suam &c. et rediit in terram Ægypti*, ubi, quia mentio fit uxoris et liberorum, dicendum fuisse ait plurium numero, *et redierunt*. Sed singulari utitur numero, quia Moses, Aharonis suasu, mutavit consilium de illis in Ægyptum assumendis.

---

## QVÆSTIO VI.

Exod. 7. 3. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Item 10. 1. *I ad Pharaonem. nam aggravavi cor ejus.*

Deut. 11. 26. *Vide, ego propono vobis hodie benedictionem et maledictionem.* Ibid. 30. 15. *Vide propono tibi hodie vitam et bonum, item mortem et malum.*

CVi liberum arbitrium est, facit quicquid lubet: sed hominem non quicquid vult facere, constat ex primo versu, quo induratum à Domino cor Pharaonis dicitur, ne populum dimitteret: ergo non habet arbitrii libertatem. Contrarium tamen ostendunt posteriora loca, quando Deus vitam et mortem, bonum et malum Israëlitis proponit, atq; autor est, ut vitam eligant. Quomodo igitur hæc conciliantur?

### CONCILIATIO.

ARbitrii libertas, et prædestinatio, tam multis argumentis hinc inde agitatæ sunt, ut ad eam accuratè tractandam liber integer requiratur. Nos tamen quàm brevissime de ea disseremus. Vniversa hominis scientia, vel ex autoritate, vel rationibus, vel denique experientia provenit. Quibus omnibus, ut mihi quidem videtur, libertatem arbitrii probare possumus. Quoniam

autem

autem id, quod autoritate ſcimus, quando ab autore tali eſt, quem conſtat errare non poſſe, cæteris firmius ac certius habetur. Ab ea igitur incipiemus.

Primum pro libero arbitrio argumentum eſt, quòd hominem ad imaginem ſuam creavit Deus. Vnde ipſe ad angelos ſuos, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem ac ſimilitudinem noſtram.* Quod perinde cenſeo, ac ſi dixiſſet: hactenus talia creavi, quæ velut agentia naturalia, nequeant abſtiere ab opere, cui exercendo facultatem acceperunt. Sic ignis ardere, Sol illuſtrare, aqua humectare nunquam deſinet. At hominem, quem creaturus ſum, volo ad imaginem noſtri, liberum, ac omnium actionum ſuarum dominum eſſe. Vnde videmus, facere, aut omittere eum, quod libuerit, poſſe; quod cæteris creaturis negatum eſt. Itaque Adamo, tanquam libero, poſtea præcepit, addita pœna, ſi mandatum egrederetur. *Præcepitq; D. Deus homini, dicens, de omni arbore horti comedendo comedes: at de arbore ſcientiæ boni et mali non comedes; quia quo die de ea comederis, morieris.* Hinc neceſſariò ſequitur, liberum arbitrium fuiſſe. neq; enim præcipimus, aut pœnam denuntiamus illi, qui in omnibus quæ agit coactus, non voluntatem ſuam, ſed prædeſtinationem ſequitur. Fruſtra, inquit R. Moſes ad VIII. caput Pirque Abot, data eſt Lex, ſi neque obſequentem merces, nec tranſgredientem pœna manet. Sed contrà ſe rem habere videmus. Nã et Adamum peccatum ſuum mortalem fecit, et Paradiſo ejecit. Etiam hominum genus univerſum diluvio, Sodomitæ cœleſti igne puniti ſunt: unde ſequitur, poſſe hominem, (quippe liberum in cunctis, quæ agit) mercedem, aut pœnam actionibus ſuis promereri. Quin etiam poſt peccatum manſiſſe Adamo liberum arbitrium, clarè teſtificantur divinæ literæ his verbis: *Dixitq; D. Deus, ecce homo eſt, ſicut unus è nobis, ſciendo bonum et malum: itaq; ne extendat manum ſuam, ſumat etiam de arbore vitæ, comedatq; et æternùm vivat. Emiſit igitur eum Dominus Deus ex horto Edenis &c.* Manifeſtè videmus, Deum non cogere hominem, quando angelis dicit, eiiciendum Paradiſo Adamo, ne, quippe libero præditus arbitrio, manum extenderet in arborem vitæ (quæ facultatem habebat redintegrandi caloris nativi) et comedens de fructu ejus æternum viveret. Etenim ſi non quod volebat poterat, quid intererat expelli eum Paradiſo, quãdo etiam illic agitans, comedere non poſſet? Ex his igitur conſtat, conditum cũ libero arbitrio hominem, atq; illud, tanquam proprium naturæ humanæ, retinuiſſe. Quod etiam manifeſtiſſimè Dominus Caino oſtendit, cum corrigenti vitam veniam promitteret; perſeveranti denuntiaret, ſemper pro porta futurum peccatum, i. e. appetitum malum, perpetuum ſtimulum ad peccata; quẽ tamen ille ratione ſuperare poſſet. Idem ex aliis S. Scripturæ locis colligitur, ut cùm egrediente ex Ægypto Iſraële dicitur, *Non duxit eos Deus viâ regionis Peliſtæorum, quod propinqua eſſet: dicebat enim Deus, ne pœniteat hunc populum, quum viderint bellum, et revertantur in Ægyptum.* Sic etiam Deuteron. cap. V. 29. ait Dominus: *Quis dabit hunc illis animum, ut timeant me, et obſervent præcepta mea omnibus diebus?* Quis dabit, inquit. Ergo actus ille humanus non erat abſolute in manu Dei: hoc eſt, non à Deo ut cauſa adæquata pendebat, ſed opus erat, ut homo ipſe vellet, qui velle poterat & nolle. Qua mente reſtringendũ et capiendum, quod aiunt antiqui ſapientes, הכל בידי שמים חוץ מיראת שמים, *omnia ſunt in manu Creatoris, præter timorem Creatoris.* Scilicet quomodo divina voluntas nonnullis rebus neceſſitatem certam impoſuit, ita contin-

Gẽ. 1.26

Ibi. 2.26

Ibi. 3.22

Exod. 13.17.

Berahot. cap. 5.

generibus accommodavit causas contingentes. Ideoque non cogentis, sed sua-
Deut.30 dentis ac juvantis modo dixit: *Ecce proposui tibi hodie vitam et bonũ, item mor-*
15. *tem et malum: id quod ego tibi præcipio hodie, est ut ames Dominum Deum tuum.*
quasi diceret, proposui tibi quidem bonum et malum: sed præcipio tibi, ut me
Ibid.30. ames. Postea quoq; dicit: *Contestor hodie contra vos cœlum et terram, me vitam*
19. *ac mortem proposuisse tibi, benedictionem et maledictionem: quare vitam electu-*
*rus es.* Si Deus vitam eligi suadet, sequitur libertatem iis ad utrumq; relictam
esse: nam supervacuè consilium datur, cui ademta est electio. Quod verum esse,
Lament. ex Lamentationibus Ieremiæ clarissimè patet: *Ex ore excelsi*, inquit, *non pro-*
3.38. *deunt mala, et bonum*: per *mala* intellige malas actiones, quæ tanquam discre-
pantes à bono, non habent certum scopum, sed mille modis variant, ideoque
dicit *mala* pluriũ numero: per *bonũ*, signat pia et honesta opera, quæ quia unũ
modò scopum habent, ideo et uno tantum modò peraguntur. Hæc mala, in-
quit, et bona non exeunt ex ore excelsi, sed ore ac voluntate hominis. Vnde
Ibi.3.40. mox sequitur, *Perscrutemur vias nostras et pervestigemus, et revertamur usq; ad*
*Deum.* Quibus verbis incitat homines, ut, tanquam liberi in actionibus suis, vi-
deant quid agant, redeantq; ad Deum, et peccatorum pœnitentià ducantur.
cap. 66. Nam inquit Dominus ore Iesaiæ: *Illi eligunt vias suas, et ego eligam in damnis*
3.4. *eorum.* Igitur ex his, et plurimis aliis S. Scripturæ locis, constat liberum homini
arbitrium esse.

Idem quoq; rationibus comprobari potest. Etenim videmus nonnulla sine in-
tellectu agere, ut lapidem deorsum cadentem, aliaque id genus, quibus iudiciũ
non est. Nonnullis scientia naturalis est, sed determinata ad unam solam rem,
neque libera, ut mutis animantibus. Etenim ovis lupum sentiens, scit fugiendũ
sibi: sed hoc fit naturali intellectu, et non liberè, quia naturæ instinctu id neces-
sariò faciunt. Atq; huiusmodi iudicium omnibus animalibus est: sed homini iu-
dicium liberum est, quia per intellectum iudicat necessariò alia sibi vitanda, alia
sequenda: adeò ut judicium hoc in singulis actionibus non à natura, sed ratione
proficiscatur, quæ cum libera sit, velle & nolle, agere & non agere possit. Cum
igitur hominum actiones sint contingentes, neq; judicium uni adstrictum sit,
sequitur esse ei liberum arbitrium.

Cuzari. lib. 5. artic.20. Denique ipsa illud experientia ostendit. Etenim, ut ait R. Iehuda Levita, li-
berum nemo arbitrium negabit, nisi qui promere audet, quæ minimè credat.
Quippe satis hoc apparet ex spe, ac metu hominis. Qui si certò persuasum ha-
beret, quæ prædestinata sunt, necessariò eventura, neque arma ad defensionem
sui, aut noxam alterius tolleret, neque munimenta excitaret. Quod si quis di-
cat, ad ea, quæ necessariò eventura sunt, tali vià perveniri, et has res requiri,
quippe per quas Deus voluerit, finem prædestinatum consequi; is incidit in id
ipsum, quod fugiebat. Nam si concedat, opus esse mediis, sine quibus ad finem
perveniri nequeat, quid aliud quàm liberum concedit arbitrium, quod unum ex
ijs est? adeo ut suæ ipse opinioni adversetur. Quippe cum omnia putat necessa-
riò provenire divinà voluntate cuius sententia ac decretum nusquam immute-
tur: concessis mediis eandem opinionem destruit. Postremo quotidie videmus
hominũ diligentiã in rebus suis: quod si in fatis est, ut sine illà nihilominus eadẽ
eveniant, incassum semet fatigant. Itaq; cessabunt opera omnia, negligentur
artes, consilia, atque admonitiones, quippe supervacuæ ad consequenda desti-
nata

nata. Frustra quoq; malum fugietur, et bono incumbetur, si voluntati nullus relictus est locus. At hoc aliter se habere, et diligentiam maximè necessariam atque omnibus in rebus utilem esse constat. Quamobrem veteres nostri sapientes ad hæc S. Scripturæ verba: *Vt benedicat tibi in omni re, ad quam admoveris manum tuam: Benedictio*, inquiunt, *non venit ad otiosum, sed eum, qui admovet manum operi*. Ideo quoq; Dominus imperavit Israëlitis, *ne egrediatur vir fores domus suæ, usq; ad crastinum*: ad evitandum periculum. Iubet quoq; lorica tectũ ædium circumdari, ne quis decidat. Item, *Quis ille vir, qui timidus &c. eat, et revertatur in ædes suas*. Vnde colligitur, non utilem modò, verum et necessariam omnibus in rebus esse diligentiam. Quam rem illustri exemplo confirmãs R. Ishac Arama †, si quis, inquit, vitam tuam petens, arctissimam custodiam minitetur, summa diligentia, effugere manus ejus tentabis. Quod si alii eum adiutare aggrediantur, fugam capessens, in domum te recipies, et studiose ostiũ occludes. Si instabunt illi, et confractis foribus in carcerem te trahere conentur, secretò digressus, dabis te in clientelam potentioris, cui utilem aliquando operam navâris, ut te tuetur. At verò si comprehenderint te, ille cuius tutelæ temetipsum commisisti, omnibus modis succurrere tibi adnitetur. Cæterùm ubi exhibitum ei erit diploma ac signum Regis, quo jubearis tanquam reus tradi judicibus, haud dubie te ut facinorosum judicibus tradet. Idem à plerisq; hominibus factitari videmus. Videt quis peste vexari civitatem, ædibus se cõtinet. Si latiùs ea diffundatur, deseret civitatem, et rus petet. Quod si ne illic quidem luem effugerit, non omittet necessariis medicamentis uti, ac morbo occurrere, quis subinde evadit. Vtcumq; verò nec illa juverint, fecit tamen homo, quod sui officii erat, et discit advenisse tempus, quo exsolvendum terræ tributum sit: unde Dei quoque voluntatem justam censere, tum in hâc, tum in cæteris rebus debet. Hinc ipse Dominus per prophetam Iesaiam † ait: *Age popule mi, intra in conclavia tua, latita quasi exiguo momento, donec præterierit indignatio*. En, jubet se abscondere populum ab ira sua; quà de caussa dixerunt veteres sapientes, *Pestis in urbe est, collige pedes tuos*, i. e. exi inde, et fugam capesse. Et ad locũ Exodi ‡, quo jubetur is, qui injuriâ alterum affecit, læso præstare damnum, et curationem, dicunt, *Hinc colligitur medico licere curare*. Denique omnes homines videmus rebus suis diligentiâ quà possunt maximâ incumbere, defendere se adversum inimicos, fugere malum, et consectari bonum, quibuscumq; queant modis. Videmus quoq; quemadmodum solus homo cum intentione ac judicio agit, ita eum laudari aut vituperari ob propositum suum. Neq; enim si infans, aut dormiens, multo minus si stolidus damnum alicui intulerit, culpare eum solemus: qui tamen, si ex eventu judicandum sit, reprehẽdi mereantur, propter damnum quod accidit. Sed nemo tam demens est, ut tales accuset: unde sequitur persuasum ei esse, nec laudandum, nec arguendum quemquam, nisi qui libero arbitrio, et consulto bene agit aut delinquit. Adeo ut videamus eum, qui libertatem arbitrii negat, postmodum illam cõcedere. Nisi quis dicat, iram sine ratione esse impetum aliquem naturæ, et necessitatem indeterminatam: quomodo dicendum sit, hominem necessariò, velit, nolit, loqui, perinde atq; pulsus naturâ assiduè procedit. Verùm hoc absurdum sit dicere, cum videamus, hominem, si rationi se subjiciat, nunc loqui, nunc tacere, prout alterutrum expedire iudicaverit. Ergo ut videmus, et auctoritate, et rationibus, et experien-

*Deut. 23.21.*
*Exod. 12.23.*
*Deut. 22.8.*
*Ibi. 20 8*
*† Aqued. saar 26.*
*† 26.20.*
*Babà Kamà c.6.*
*‡ 21.19*
*Berahot cap. 9.*
*Ialcut. lib. 1. art. 332.*

tia,

tia, arbitrii libertas comprobatur.

Nunc ut concilientur S. Scripturæ verba, probare aggredior arbitrii libertatem, ex illis ipsis locis, quæ alios ad negandam eam impulerunt. Ac primo quidem, si intelligitur, ereptam esse Parhoni libertatem arbitrii, cum cor ejus indurabatur, sequitur antea liberum in cunctis fuisse. Nam, nihil eripitur, quod non antea habueris: adeo ut Deus adimens Pharaoni liberum arbitrium, eripuerit
cap. 8. antè a se concessa: quod R. Moses in introductione ad Pirke Abot, intelligendum ait, Deum aggravasse cor Pharaonis, clausis pœnitentiæ portis: quia possit quis tam graviter peccavisse, ut iniquum sit eum à pœna immunē esse. Et quandoquidem pœnitentià illa avertatur, adimere Deum ei hoc remedium, ut acrē
Iesa. 6. 10. experiatur castigationem. Ideoque eum ad Iesaiam dicere: *Pinguescat cor populi hujus, et aures ejus ingravescant &c. ne videat oculis suis, et auribus suis*
† 2. Chrō. 36. 16. *audiat, seque convertat, et medicina hæc ei sit.* Et libro Chronicorum: † *Subsannabant nuncios Dei, donec non esset remedium.* Etiam Eliam de prophetis ido-
1. Reg. 18 37. lolatris dicere, *Tu Domine avertisti animos eorum retrorsum*: significantem, Deum clausisse oculos eorum, ut castigarentur. Igitur R. Moses hoc tempore tantum putat Deum eripuisse Pharaoni liberum arbitrium, eiusq; cor induravisse, ut severè puniretur immanis crudelitas in Israelitas peregrinos, quorum filios recens natos flumine mergi, aliaq; id genus truculenta iusserat. Dixerit aliquis, supervacuas tum fuisse Mosis ad Pharaonem legationes, et postulata ut Israelē dimitteret, quando Deo indurante cor ejus, certum erat petitionibus illum nō assensurum. Respondet idem R. Moses, legationes non alium habuisse finem, quàm ut unicuiq; apertum fieret, Deum, crescente peccatoris malitia, ad ultimum eum à pœnitentia prohibere, et talibus necessariò in peccatis suis moriendum esse. Quia autem scrupulus hic supererat, quòd, cum decreto divino Israelitis per annos quadringentos toleranda in Ægypto servitus fuerit, non culpandi Ægyptii videantur ob exsecutionē divinæ voluntatis; ait R. Moses, Dei præsciētiam nullam necessitatem adferre. Etenim quomodo, si ille prædixisset hoc vel illo sæculo hominum alios malos, alios bonos fore, non sequatur, eum qui bonus aut malus est, necessariò talem esse; sed quemque pro arbitrio fore aut bonum aut malum; ita et quamvis Deus decrevisset Israelitas per annos quadringentos in captivitate Ægyptiacâ mansuros, potuisse nihilominus Ægyptiorum unumquemq; temperare à crudelitate in eos. Ex his colligere est, opinio-
Semo. R. cap. 13. nem R. Mosis, in quâ ante eum fuit R. Iohanan: qui eam hac ipsâ, de quâ loquimur, historiâ confirmans, ait in quinque prioribus plagis Pharaonem ipsum induràsse cor suum; sed in cæteris Deum, propterea quod animadversâ ejus con-
* Aqued. saar 36. tumaciâ in retinendo populo, noluerit ei regressum ad pœnitentiā dare. Quare ut paucis priora complectar, arbitrio libero non adversatur, quod Deus Parho-
† Iehez. 18 23. et 32. 33. 11. nis cor aggragavit; quinimo illud quod antea habebat, hoc tempore ei eripuit, et ut contumaciam ejus ulcisceretur, clausit portas pœnitentiæ. Hæc sententia faventes sibi R. Selomonem quoque, et R. Mosen Gerundensem habet.

II. Acriter tamen contra tēdit R. Ishac Arama *, et inter cætera, Iehezkel †
‡ cap. 3. 14. inquit, pluribus locis testatur Deum nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur se, ac pœnitētià ducatur. Etiam Ieremias ‡ *Revertimini filii perfidi, curabo per-*
* Psalm. 25 8. *fidiam vestram.* Item * *Bonus et rectus Dominus est, idcirco docet peccatores viā.* Quid quod Ahabo, post gravissimè offensum Deum, sacco semet circumdanti,

per

per Prophetam denuntiari Dominus jussit †, quoniam supplex factus esset, nō superventurum ei impendens malum dum viveret; Manasses quoque impius, et idololatra, de quo Scriptura ait ‡, *sanguinem innocentem fudit, adeo ut impleret Ierusch alaima ore ad os:* postea conversus ad Deum, dictisq; precibus, ut in Chronicorum libro * legimus, ab eo in gratiam receptus est. Adeo ut nullum tam grave sit delictum, quin pœnitentia impetrari eius venia queat. Ideoque Prophetam Deus jussit, claudere oculos populi, ne fortè videns ad pœnitentiā recurreret. His præmissis, flectens idem autor ad indurationem cordis Pharaonis; quando, ait, homo in Deum ipsum peccat, veniam pœnitentiā obtinere potest: at proximum si graviter læserit, non omnem ei pœnam possumus condonare. Siquidem si homicidii culpam pœnitentia tolleret, pauci profectò iram suam compescerent, in tam facili venia. Sed jam pro cæde vitam judices exigunt, quæ semel erepta nunquā redditur. Indeq; fieri videmus, ut delictis morte majorem pœnam meritis, judices tormentis variis reum excrucient; et, ut exemplo cæteris sit, tormentis vexato, tempus dent recuperandis viribus, quò omnia in eum cruciatuum genera edantur. Idem in Pharaone usu venisse videmus, qui proximum, id est Israelem, læserat. Quamvis enim ex decreto divino populum oportebat servire quadringentis annis, non ideo illa crudelitas requirebatur, in occidendis filiis, et habendis Israelitis, tanquam vilibus mancipiis. Vnde per Prophetam ipse Dominus dixit, *Fervore maximo ferveo contra gentes istas tranquillas; quia me effervescente paulufum ipsæ adjutrices fuerunt in malum.* Hinc quoque Ithrò, *in ea ipsa re, quâ superbierunt supra illos.* Quo significatur, Deum in Ægyptios eandem severitatem exercuisse, quam illi in Israelitas; hoc est submersisse in mari rubro, quemadmodum illi Israelitarum filios demerserant. Hanc ob caussam peccata sua Paroni non pœnitentiā, sed solā vitā luenda erant. Et ut cæteri inde mortales exemplum caperent, verteretq; pœna eius in honorem Dei, sensim ac lente excruciatus erat, interjecto inter quāq; plagam spatio, ut omnes subiret. Quare S. Scripturæ verba, cum ait, induratū esse cor Paraonis, ita accipienda sint: Deum firmasse cor eius, ac vires dedisse, tolerandis omnibus plagis. Ideoque ipse Dominus, *Nunc enim extendam manū meam,* inquit, *et percutiam te ac populum tuum pestilentia &c. Verū tamen propterea feci, ut restares, ut ostendam tibi potentiam meam; et ut enarretur nomen meum in totâ terrâ.* Videmus, dicere eum, se exspectasse, ac vires ei dedisse, nec cum prima plaga cessavisse, ut multiplicarentur portenta, et nomen suum per universam terram sanctificaretur. Quod etiam locis aliis probatur. Secutus hanc opinionem est R. Obadias Sphornus.

III. Autoris illius, et Abravanelis verba, materiem præbent mihi, ut sepositis, quæ jam sigillatim exposui, de tota hac re paullò fusiùs differam: nam haud difficile est, alienis observatis nonnulla addere. Induratio propriè et efficaciter ipsius Pharaonis est, uti in plagarum nonnullis dicitur, *et aggravavit cor suum.* Quam à Deo non processisse constat, quia id si verum foret, extra culpam Parho erat, eoq; nec puniendus. Nam ut ad Monimū Fulgētius ait lib. I. cap. III. *non est Deus autor eorum, quorū vindex est.* Sed videmus ipsum Parhonē agnovisse peccatum, cum diceret, *Peccavi in Dominum:* et quando ut reus ideo castigatus est, sequitur indurationem ab ipso cœpisse. Quæ tamen impropriè Deo asscribitur, quatenus, misericordiâ sepositâ, relinquit hominem in peccatis.

Etenim

† *I. Reg.* 21. 29.
‡ 2. *Reg.* 21. 16.
* 2. *Chrō.* 33. 19.
*Zehar.* 1. 15.
*Exod.* 9. 15.
*Ibi.* 8. 11
*Ibid.* 10. 16.

Etenim non peccaret homo, nisi Deus frenum laxavisset voluntati ejus, quæ inclinare et expetere illud potest, cuius gustum ei dat. Adeo ut hoc modo indurationem à Deo esse, dici queat. Etenim quomodo leporem currentem videns, si fune laxatò canē dimiserit, dicitur leporē illi tradidisse; ita et Deus dicitur indurare, quādo, laxato volūtatis freno, currere eum patitur, quocumq; natura trahit. Eadem in sententia veteres nostri sapientes fuere, quorum in Guemara
† cap. 2. Maccot † dictum est: *Constat de omnibus S. Scripturæ libris, quamcumq; viam*
‡ Iomà *insistere homo voluerit, eò illum abducere:* et clariùs altero loco ‡, בא ליטמא פותחין
cap. 3. לו בא ליטהר מסעיין אותו, *venit ad polluendum se, aperiunt ei; venit ad mūdandum se,*
*iuvant eum:* dicere volunt, Deum peccatori portam apertam relinquere. Quā
* I. Reg. in mentem etiam Eliæ Prophetæ verba trahere licet *: *Tu Domine avertisti a-*
18. 37. *nimes eorum retrorsum:* quis improprie Deo attribuit errorē falsorum Prophetarum, quatenus illos voluntati suæ permiserat, uti exponit R. Selomoh. Cu-
2. Sem. ius opinioni quoq; favet R. Levi ben Guerson, ad locum S. Scripturæ, *Perrexit*
24. 1. *autem ira Domini accendi in Israelitas, et incitavit Davidem in illos, dicēdo, ito, numera Israelem & Iehudam.* Nam ait significari hic, Deum persuasisse Davidi, quia illum, tanquam humilem et obsequentissimum ministrum, cuius pietatem ipse usq; adeo probaret, dehortari ab hac re potuerit, et tales ei eripere cogitationes, quod tamen haud fecit, sed propriæ illum voluntati permisit, ob suam in Israelitas iram. Sed et aliâ ratione adscribi Deo cordis induratio potest, cum nōnulla facit, ex quibus caussam homines capiunt indurandi cordis. Vti in Parhone usu venisse videmus. Etenim primo Deus breves esse plagas voluit, ut nō miracula esse, sed naturalia crederet: unde videns mutatas in sanguinem aquas paullo post ad veterem speciem rediisse, à naturâ id, aut Planetarum constellatione profectum existimabat. Exin ubi ranas mox sublatas vidit, ait Scriptura.
Exod. 8. *Viditq; Parhò esse spatium, et aggravavit cor suum.* Adeo ut ipsæ plagæ ei ma-
11. teriem indurationis præbuerint. Ita etiam miracula Mosis, magos imitari passus est Deus, ut illa Parho in levi haberet. Et Israelitas per desertum duxit, ut eos ignaros itineris aberrasse ratus, Rex insequeretur. Mare quoque valido vento dividi voluit, ut Ægyptii à naturâ profectum existimantes, sine timore intrarent. Vnde colligitur, Deum, si castigare hominem voluerit, nequaquam libertatem arbitrii ei eripere, sed facere ea, ex quibus ille caussam capiat semet in-
Nu. m2. durandi. Eodemq; respectu in Numeris Deus animos Sihonis et Og, Regum
30. Basan, obfirmasse dicitur, ne paterentur Israelitas per fines suos transire. quia illi, ubi viderunt Israelitas ab Idumæis, Ammonitis, ac Moabitis, humiliter postulato transitu repulsam passos, aliò iter instituisse, spem inde conceperunt eâdem ratione se quoq; eos prohibere posse. Adeò ut Deus indurasse illorum animos dicatur, quia ante acta materiem iis et occasionem abnuendi præbuerant. Atque hoc sensu complures id genus locos in S. Scriptura interpretari licet: in-
I. Reg. ter cæteros eum, quo dicitur, permisisse Dominum, ut rejiceret Rex Rehabam
12. 15. iustam populi petitionem; quò confirmarentur, quæ per Ahiam Silonitem de Hieroboamo locutus fuerat. Nimirum hanc occasionem ei præbuit, ut populo rogante, ille suâ sponte abnuens, imperii parte majori excideret. De consilio quoque Chuschai Arcæi quod Absalomo dederat, dicitur ab omnibus approbatū
2. Sem. esse, quia *Dominus præstituerat irritum facere consilium Ahitophelis bonum, ut*
17. 14. *traheret Dominus Absalomum ad malum.* Hic ergo adventu Chuschai occasionē

obtulit

obtulit, ut omnes consiliũ eius acciperent, quò Absalomus castigaretur, et David periculum effugeret. Hanc in mentem R. Levi ben Guerson trahit verba Prophetæ Eliæ: *Tu, Domine, avertisti animos eorum retrorsum:* dictitãs, Prophetas Baal oraculis suis servientes, sæpe quæ peterent impetrasse, non quidem à diis suis, sed Prima Caussa. E. g. certò persuasi erant cultu idoli se foecunditatẽ et pluvias impetraturos; et quamvis Deus id præstaret, illi tamen id munus idolo adscribebant: quà re occasionem erroris illis dare Deus videbatur. Igitur ut finem huic materiæ imponamus, induratio propriè et efficaciter Parhonis fuit: Deo tamen permissive, et quasi ob occasionẽ tribuitur. Et hæc quidẽ ante peccatum considerantur. Sed circa peccatum alia sunt Dei opera. Sæpe enim ille, quæ malo fine fiunt, ad bonum dirigit: quomodo Iosephum fratres vendiderunt, ut in servitute miserè viveret; quæ tamen Domini benignitate vertit illi
in summos honores. Iccirco inquit Ieremias, *Novi, Domine, nõ esse penes homi-* cap. 10.
*nem viam ipsius:* etenim diversum sæpe ab consilio eius exitum res sortiuntur. 23.
Aut dicere licet, penes hominem non esse viam eius, quantum ad exsecutionẽ voluntatis, in qua impediri potest. Quamvis enim eligere possit, ad exsecutionem tamen divinum auxilium requiritur. Ex quibus satis probatur, liberũ homini arbitrium esse. Ad intelligendum autem, quomodo Deo futura præsciẽte nihilominus nulla necessitas rebus contingentibus afferatur, longior sermo requiritur. Solum igitur libet addere, quod omnes Theologi, cum Hebræi, tum reliqui, ad eam quæstionem responderunt. Videlicet, Deum novisse omnia cõtingentia non tantum quatenus sunt in caussis suis, sed et quatenus unumquodque eorum actu in se ipso est. Et quanquam contingentia fiant successivè, non tamẽ eo Deus successive illa cognoscit, sed simul. Etenim notitia ejus æternitate mensuratur, ut et essentia: sed æternitas simul, et præsens, comprehendit universum tempus; eoq; omnes res, quæ sunt in tempore, ab æterno præsentes sunt Deo, quia visus ejus ab æterno se extendit ad omnes res, quatenus sunt in ejus præsentia. Vnde manifestum est, contingentia infallibiliter à Deo cognosci, quatenus se subjiciunt divino conspectui, iuxta modum præsentiæ divinæ: et nihilominus esse futura contingentia, comparata caussis suis. Adeò ut Prima caussa actionem hominis non videat tanquam futuram, sed præsentem, et jam existentem. Quemadmodum autem, quia aliquis alium hominem quidpiam agentem videt, nemo dicet, visum ejus agendi necessitatem alteri adferre: ita neque quod Deus futura ut præsentia videt, agenti necessitatem adfert, sed relinquit cuncta in contingentia sua, ac libertate. Vnde brevis illa, sed admirabi-
lis veterum sapientum sententia in Peraquim, הכל צפוי והרשות נתונה, *Omnia visa,* cap. 3.
*et licentia data est.* Indicare volebant, quamvis futura Deus prævideret, nihilo-
minus contingẽtia naturã suam retinere. Sed quia plurima supersint, quæ hac † *Sepher*
de re dici possint, finio. Siquis curiosus erit sciendi, quid quisque sapientum hac *aemunot*
de re senserit, adeat R. Mosem More lib. III. cap. XIX. XX. XXI. et ad Pir- *Megilat*
que Abot cap. VIII. ac Hilhot Tesubà cap. V. et VI. R. Abrahã Aben Ezram *a-megi-*
ad V. cap. Deut. R. Seadiã †, R. Hasdai, *a* R. Levi ben Guerson *b*, R. Iehu- *la.* 4.
dam Levitam *c*, R. Iosephum Album *d*, R. Simhonem bar Semah *e*, R. Isha- a *Or asẽ.*
cum Aramam *f*, Abravanelem supra Legem, et Perakuim *g*, R. Elihezerum *l* 2 *c* 21.
Germanum *h*, R. Baruh Aben Iaziah *i*, R. Ishac bar Sessat *k*, R. Abrahamum b *Milhæ*
bar David *m*, R. Davidem de Leon *n*, R. Abrahamum Salom *o*, R. Mosem *mot a-sẽ*
Albel- *lib.* 2. *c.* 3.

*c Cuzari li 5. art. 20.* Abeldam *p*, R. Mosem C,arçam *q*, R. Mosem Almosninum *r*, R. Semuelem de Vzeda *s*, R. Ishacum Le-bet a-Levi *t*, et R. Iosephum Hivanum *u*.

d *Icarim lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. 5.* e *Oeb Mispat. cap. 5. 6. 17.* f *Aqueda. saar 19. 21. 26. 28. 39. 103.* g *Par Vaera. Nahalat Abot cap. 3.* h *Maasè Abot cap. 21.* i *Keilat Iahacob artic. 13.* l *Quæst. 118.* m *Arabad in Asagot.* n *Theila le-David lib. 3. cap. 29.* o *Neve Salom lib. 12. sermone 2. cap. 1. 2. et 3.* p *Daras Moseh. Par. Rehe.* q *Mecor Haim. Par. Miques.* r *Anagat a-Haim lib. 2. cap. 1.* s *Midras Semuel Pereq 3.* t *Leb Abot ibid.* u *Milè de Abot ibid.*

---

## QVÆST. VII.

Exod. 7. 17. *Ecce ego percussurus sū baculo hoc, qui est in manu mea.*

Ibid. 8. 1. *Edic Aharoni, extende manum tuam, cum baculo tuo supra flumina.*

CVm Moses dicat se baculo suo percussurum, quare jubet Dominus Aharonem extendere manum suam, ad faciendum miraculum?

## CONCILIATIO.

*cap. 3.* R. Tanhum in Semot Raba, quem sequitur R. Selomo, ait Mosem non percussisse Nilum, ne ingratus esset pro beneficio in se, quod natantem cū arcula sublevasset, eamque ob caussam Aaroni id muneris delegatū.

II. Doctus Aben Ezra utrumq; versum verum esse affirmat, et Mosem atque Aharonem in eo miraculo æquales fuisse. Etenim Aharonem, quamvis mandatū ipse exsequeretur, adiunctum Mosi fuisse, eoque duce usum; per consequens etiam virgam, qua miraculum patrabatur, Mosis ipsius fuisse.

III. Ishac Abravanel, satis congruè verbis Scripturæ, ait, Mosi præceptum fuisse, ut Nilum percuteret, quemadmodum ipse dixerit Pharoni, *Ecce ego percutiens baculo, qui est in manu mea, supra aquas fluminis.* videlicet Nili: sed postea mandatum fuisse Aharoni, ut reliquos amnes, ac rivos ex Nilo emanantes percuteret, indeq; verba illa, *in rivos ejus ac stagna.* Iccirco subiicere S. Scripturam, *Feceruntque Moses et Aharon:* quia diversis in rebus utriusque manus serviisset.

---

## QVÆSTIO VIII.

Exod. 7. 20. *Et conversæ sunt omnes aquæ fluminis in sanguinem.*

Ibid. 7. 22. *Feceruntque ita Magi Ægyptii.*

EX nihilo nihil fieri, ait Aristoteles. Vnde si Moses et Aharon jam converterant omnes aquas Ægypti in sanguinem; quæ aquæ restabant, quas convertere Magi possent?

CONCI-

## CONCILIATIO.

R. Iehuda in Semot Raba, ait Mosem et Aharonem omnes fluviorum aquas in sanguinem convertisse; magos autem et præstigiatores, effossis circum quaque fluminis ripis, invenisse aquas nonnullas, easq; in sanguinẽ mutasse: etenim ab Aharone solas conversas, quæ in superficie terræ fuissent. Hæc opinio faventem habet R. Levi ben Guerson, Abrahamũ Aben Ezra, qui volunt, nihilominus miraculum Aharonis in multis præcelluisse magorum arti; quatenus ille non solum quas videbat, sed et quæ extra conspectum forent, deinde et fluminis aquas convertisset, perpetuo currentes: præterquam quod plaga per septem dies duraverit, cum magi nonnisi pauxillum aquæ converterint in sanguinem, idq; donec Parho in ædes suas rediisset. Hæc sane expositio mihi perquam apta, nec longè quæsita videtur. *cap. 9.*

II. R. Bahie ait, magos, cum Moses pridie denuntiasset Parhoni, se omnes aquas in sanguinem posterà die mutaturum, dixisse, idem et se facturos; fecisseq; verum non suâ, sed Aharonis virtute. Adeo ut verba Scripturæ, *et fecerunt*, significent, et monstrarunt subdolè Pharaoni, quid actum à se esset, crediditque ille. Eam expositionem confirmat dein eo, quod Mosem dicat Scriptura portentum edidisse in conspectu Pharaonis, ac servorum ejus, et nõ de magis idem legere sit, quia se alieno miraculo se jactarent.

III. Ishac Abravanel, qui, ut supra retulimus, putabat plagæ exsecutionem in Mosem & Aharonem divisam fuisse, ait Nilo à Mose, et reliquis fluminibus ab Aharone percussis, non absurdè dici posse, Aharonem exiguum aliquem rivum aut stagnum virgâ suâ tangere neglexisse, quem postea in sanguinem commutaverint Magi.

IV. R. Moses Alchech non revera mutatas á magis aquas, sed elusos adspectantiũ oculos putat; ita ut iis quæ in sanguinẽ iam cõversæ erant, aquis, veterẽ reddidisse speciem, ac postea in sanguinem convertisse viderētur. Quæ impostoræ in Guemara Sanhedrin אוחזי העינים *oculos capientes*, aut, *fascinantes visum* appellantur. Quod congruit opinioni R. Mosis *a*, qui in Dinim idololatriæ, et Directore *b*, ait, quicumq; similes præstigias veras credunt, imperitos et stolidos esse. Etenim ratio ipsa testatur, nihil à præstigiatoribus fieri posse, uti etiam sensit Aben Ezrah ad XVII. cap. Levitici, dictitans, iocularia hæc, et insipientem esse, qui quidquam iis fidei tribuat. Sed R. Iehuda Levita in Cuzari *c*, Arisba in quæstionibus *d*, R. Moses Gerundensis in glossâ ad Deut. cap. XVIII. R. Hasdai in Or a-Sem *e*, et R. Ishac bar Sessat *f*, sequuntur opinionem sapientum nostrorum in Vaiicra Raba *g*: nimirum, negari non posse, quod sæpe ipsis oculis usurpatur, et revera dæmonum ope varia à magis atq; incantatoribus fieri. Adeo ut ii magos omnino miracula Mosis præstigiis suis imitatos credant, quamvis, ut supra demonstravimus, illa longe illustriora forent.

a *Torat Moseh supra textum Hilhot Aboda zar. c. 11*
b *lib. 3. cap. 37.*
c *lib. 4. art. 23.*
d *artic. 413.*
e *lib. 4. artic. 4.*
f *art. 92.*
g *cap. 32.*

## QVÆSTIO IX.

Exod. 9. 6. *Et mortuũ est omne pecus Ægypti.*

Ibid. 9. 9. *Fietque super homines et super iumẽta in ulcus.* Itẽ 9. 19. *Nũc itaque mitte congregatũ pecus tuum.*

Quum antea universum Ægypti pecus extinctum fuisse affirmetur; quas pecudes ulcus percussit? quas item jussit Moses tectis ab unoquoque recipi?

## CONCILIATIO.

Magnus interpres R. Selomoh, quem secutus est Ishac Abravanel, ait, perniciem pecudum Ægypti non ulterius se extendisse, quam in jumēta, quæ in pratis erant; at domibus recepta evasisse. Idque infert ex versu, quo Pharaoni impendens plaga his verbis denuntiatur: *Ecce manus Domini erit in pecus tuum, quod est in agro*: ubi disertim dici vult, pecus quod in agris esset, quia reliquum evaserit.

*Exod. 9. 13.*

II. Doctus Aben Ezra, et R. Levi ben Guerson, non eo quia dicatur, *et mortuum est omne pecus Ægypti*, necessario sequi volunt, universas pecudes extinctas, sed majorem partem; propterea quod adverbium כל *col*, omnis, sæpe majorem tantum partem denotet. Eodem enim modo, Exod. IX. 25. dici omnē herbam campi, et omnem arborem grandine percussam; cum tamen cap. X. 15. memoretur, quod grādo reliquū fecerat, à locusta absumtum esse. Cui alia quoq; exempla addit R. Levi ben Guerson, et in his, quòd percussis primogenitis, Ægyptii clamaverint †, *omnes nos mortui sumus*; et conciso manu angeli Sanheribi exercitu ‡, dicatur, manè surgentes omnia illa corpora mortua invenisse, quamvis neq; omnes Ægyptii, neque universus Sanheribi exercitus perierit, sed multi ab exitio evasi, patriam suam repetiverint. Imo R. Ioseph Albus * hoc adverbium non modò pro majori, sed et minori parte poni ait à Psalmographo, cum ait *a*, *narrabo omnia miracula tua*; et alibi *b*, *narrabo omnes laudes tuas*; quibus locis ait, parvam aliquam partem miraculorum et laudum intelligi debere, quia omnes nullà ratione memorare potuerit.

*† Exod. 12. 33.*
*‡ 2. Reg. 19. 35.*
** Icarim l. 2. c. 20.*
*a Psalm. 9. 2. et 26. 7.*
*b Ibid. 9. 15.*

III. R. Bahie vult, mercatores nonnullos intellectà Ægyptiorum clade pecudes ad vendendum eodem coëgisse; et has ulceribus postea vexatas; ac à Mose tectis recipi jussas.

IV. Ait idem, fieri potuisse, ut Israelitarū nonnulli, inità cum Ægyptiis societate, communes pecudes habuerint, quæ pestilentià haud extinctæ fuerint. Sed cum immissam divinitus plagam viderent, metu se suaq; ab iis separasse; et postea in illa armenta utramq; plagam immissam.

V. R. Hisquiah, autor Hisquuni, verba ista, *et mortuum est omne pecus Ægypti*, interpretatur, quicquid mortuum est, fuit ex Ægyptiorum pecudibus; unde non sequatur, omnes eorum pecudes extinctas. Scilicet illius sententià in voce מקנה *Miquè*, pecus, מ *Mem* desideretur, et Scriptura dicere voluerit וימת כל ממקנה מצרים *Et mortuum est omne ex pecude Ægypti*; aut, quicquid mortuum est, Ægyptiorum fuit, nullo Israëlitarum damno.

VI. Dicere liceat, tempore quo mortuum est pecus Ægyptium, externos mercatores ibidem quoque sua armenta habuisse, quæ plagam effugerint, propterea quòd illi Israëlitis nulla dāna intulerant, eoque nec pœnam promeriti erant. Eas pecudes cum, suis extinctis, Ægyptii emissent, insequentes mox plagæ afflixerunt.

QVÆ-

## QVÆSTIO X.

Exod. 10. 14. *Non fuit sic locusta sicut illa, et post eam non erit sic.*

Ioel. 1. 2. et 4. *An fuit hoc temporibus vestris, aut etiam tẽporibus majorum vestrorum? &c. reliquum erucæ comedit locusta.*

CVm Moses prophetico spiritu prædixerit, nunquam sæculis venturis locustam futuram, qualem ætas eius habuerat: quare de locustis ævo Ioelis dicitur, nunquam similes iis præterita tempora habuisse?

## CONCILIATIO.

QVamvis Moses unam tantum speciem locustæ memoret, nimirum ארבה, Rex Psalmographus tamen varias nominat; ut cum ait †; *Simulac dixerat, advenit melolontha, eaq; innumera.* et alio loco ‡: *Et dedit brucho proventum eorum, et laborem eorum locustæ.* Quare ad solvendam hanc Quæstionem cum R. Selomone dicere possis, quatenus diversæ locustarum species sunt, posse unam altera majorem dici, et eam cui nomen est ארבה *Arbè* nunquã ante tempora Mosis tanta copià conspectam, nec postea conspectum iri. At Ioelis ævo locustas superasse illas præteritorum temporum, quia diversæ earũ species fuerint. Etenim accensis etiam iis, quæ Psalmographo memorantur, tres tantum species reperias, ארבה ילק חסיל *Arbè, Ieleq, Chasil*: at Ioelis tempore quaternas, ארבה ילק חסיל גזם *Arbè, Ieleq, Chasil, Gazam*, ut clarè videre est Prophetæ eius cap. I. vers. IV.

† Psalm. 105. 34.
‡ 78 46

II. R. David Kimhi, locustã Ægyptiã, quantum ad speciem illam ארבה *Arbè*, majorem fuisse putat locustà cuius meminit Ioel; et rursum minorem dici, quia *Arbè* Mosaica sola fuit, cui ילק ac חסיל, non nisi exiguo numero permistæ erant; dein quia breve tempus afflixit Ægyptios, illa autem Ioëlis Israëlitis annos quatuor continuos incubuit.

III. R. Hananel (memorante R. Bahie in glossis suis) nõ sequitur, inquit, cũ de locustà Ægyptia dicitur, *post eam non erit sic*, nullo tẽpore talẽ fore; sed nunquã huiusmodi locustam Prophetæ cuiusquã caussa immissum iri, qualẽ propter Mosem Deus demiserat. Quod ut probet, adducit verba ex lib. Regũ, quibus affirmatur, Hisquiahu confisum fuisse D. Deo Israelis, neq; post eum inter omnes Reges Iehudæ similem illi repertum. Quod Magister, quẽ dixi, non universaliter de tota eius vità, sed sola in Deũ fiducia necessario accipiendũ putat, cum bonitate, et aliis virtutibus pares ei Reges secuta tempora ediderint. 2 Reg. 18 5.

IV. R. R. Moses Gerũd. Locusta, inquit, naturalibus caussis venit, et casu sæpe absumit arbores atq; herbas; aut locusta Mosaica, quã validus vẽtus in Ægyptum egit. Atque illuc respiciens S. S. ait nec venisse, nec venturas unquam simili modo locustas. At sui temporis locustas Ægyptiis majores fuisse ait Propheta Ioel, quatenus nullæ naturales caussæ earum erant.

V. Memoratus supra R. Hananel quoque alteram solutionẽ reperit, ut verba Mosis ad solam Ægyptum restringantur. Quod inde probat, quia experientia docuit, ex quo tempore tolli locustas Moses à Deo petiit, nunquam eas Ægyptiis damna intulisse; et quamvis terræ sanctæ immissæ casu fortassis fines Ægyptiorum intrarint, non tamen herbas aut arbores comedisse,

ut aliis locis solent. Quia ranæ, quas in flumine mansuras prædixerat Moses, in hunc usq; diem manent; sed locusta, iuxta verba eius, nec mansit, nec postea unquam venit. Idem sentientes R. Levi ben Guerson, & Ishac Abravanel, adstruunt his S. S. verbis: *Consederunt in ora tota Ægyptiorum, numerosæ valde, ante quas non fuerant sic locustæ pares istis, et post quas non futuræ sunt sic.*

VI. R. Hisquiah autor Hisquuni ait, quamvis locustæ Ægyptiæ minore cuiusque speciei numero fuerint, quam illæ, quarum meminit Ioel: nihilominus omnes junctas ingentem numerum fecisse, et magna intulisse damna: at Ioelis locustas majores dici, quatenus ex unaquaq; specie major fuerit numerus; quia, ut supra relatum, una species alteram secuta sit quatuor continuis annis.

---

## QVÆSTIO XI.

Exod. 12. 2. *Hic mensis vobis principiũ mensiũ, primus vobis mẽsiũ anni.* | Ibid. 23. 16. *Festumq; collectionis in exitu anni.*

MEnsis, quem Dominus primum anni statuit, est ניסן *Nisan*, Martius, quo Israëlitæ egressi sunt ex Ægypto. Quod inde constat, quia quintodecimo ejusdem mensis die jubet celebrari festum azymorũ, atque alio loco appellatur חדש האביב *mensis virens*, quo hordeum jam est maturum. Idem quoque probatur ex historia Esther*, cum disertim dicatur, *mense primo, mense Nisan.* Id si ita sit, quare altero loco dicitur, festum collectionis in exitu anni? cum festum illud tabernaculorum, quo fructus colliguntur, et horreis inferuntur, non incidat in finem anni, sed תשרי *Tisri*, Septembrem, id est, sextum mensem post Nisan.

*Exod. 12. 18.*
** cap. 3. 7*

## CONCILIATIO.

MVndum aliquando cœpisse in confesso est: at quo mense creatus sit, dissident veteres nostri sapientes†. R. Elihezer, et R. Iosua, quorum ille mense Tisri, sive Septembri, hic Nisan, aut Martio, creatum existimat, eatenus concordes sunt, quod æquinoctii tempore uterque cœpisse eum velint; quando æquinoctium non est, nisi alterutro eorum quos diximus mensiũ. Nec desunt aut huic, aut illi, rationes. Etenim R. Elihezer (quod maxime Septembri convenit) omnia perfecta creata vult, uti dicitur in Guemara Ros asana בקומתן ובצביונן *in statura, ac pulchritudine sua:* quod etiam sensit Augustinus. Adeo ut, juxta illum, arbores cum fructibus natæ sint, ac primi parentes statim ab ortu suo iis ad victum usi fuerint; quod non Martio, mense verno, sed Septẽbri autumnali cõvenit. Accedit, quod Martio Israëlitas ex Ægypto educens Dominus, iussit deinceps eum mensem primum ab illis haberi: quod jussurus non erat, si semper pro primo eum habuissent. Etiam R. Iosuæ sententiam juvat, quod Martius mensis (quo creatum mundum putat) calore ac frigore temperatus est, quæ gignendis rebus requiruntur; contra Septembri cuncta marcescunt ac deficiunt. Sed omissis illis rationibus, in quibus facilè humanum judiciũ labitur, statuerim mense תשרי *Tisri*, Septembri, creatum mundum, quia potentia actum, conceptus partum præcedit. Et naturaliter annus incipit à tempore

*† Ros asana. c. 1*

fationis, quo universæ plantæ in terra sunt; non autem quando eas terra edit. Adde quod non Hebræi solùm: verùm et Ægyptii, Persæ, Græci, atq; Orientalium cæteri, à Septembri annum suum ordiuntur. Quare cùm Dominus vult Nisan aut Martium ab Israelitis pro primo anni mense haberi, respicit ad festa, quorum primum est festum azymorum. Quod institutum, ut semper memores essent beneficii acceptæ libertatis post tam duram servitutem, uti et quia multa præcepta iis data erat in memoriam exitus ex Ægypto. Præterea & Nisan primus anni mensis censebatur, quia, ut in Guemara Ros a-sana † legere est, ab eo Reges Israelitici supputabant annos regni sui: unde in libro Regum ‡ dicitur: *Deinde fuit quadringentesimo octuagesimo anno ab exitu Israelitarum ex terra Ægypti, anno quarto, mense Ziv, qui est mensis secundus regni Selomonis supra Israelem.* Vbi videmus, regnum Selomonis comparari egressui Israelitarum ex Ægypto, quatenus et hic, et illud supputatur à mense Nisan. At, excepto hoc, cæteris omnibus in rebus semper creatio mundi supputari incipit à mense Tisri, i. e. Septembri. Quod, ne allatas iam rationes repetam, aliis quoq; argumẽtis, et S. S. locis probatur. Etenim in Levitico † jubetur decimo septimi mensis die celebrari Iubilæus. Septimum autem mensem Tisri esse constat, quia de festo tabernaculorum, quod in illum incidit, alio loco dicitur ‡: *Verumtamen quintodecimo die hujus mensis septimi, quum collegeritis proventum terræ, celebratote festum Domini septem diebus.* Ergo si illo mense jubilæum celebrari jubet Deus, sequitur eum esse primum anni. Præterea Deuter. cap. XXXI. 12. iubet Dominus prælegi legem, omnesq; ad audiendam et discendam eam congregari festo tabernaculorum. Quod si quem dixi mensis non fuisset primus anni, satius erat addi, *in Nisan*, Martio. Quare enim sex integris mẽsibus Israelitæ non audiissent Legem, et jussa Domini, quorum tam necessaria est cognitio? Adhæc Lex septimo quoque anno (cui inde Semitæ vocabulum) sationem & messem intermitti jubens, primo ne seratur, tum ne metatur, ait. At tempus serendi nõ est Nisan, aut Martio mẽse, sed Tisri, i. e. Septembri. Accedit, quòd qui sexto anno sevit, septimo metere prohibetur, nec septimo serere licet; quâ ratione biennium agrorum cultura intermissa fuerit, cum Dominus annum tantũ unum eam omitti jusserit. Nam si Septembri mense seratur, quod tempus congruum anni sexti est, principio septimi messis illicita erit; unde sequitur annum incipere à Septembri; quo sementem fieri Lex vetat, neq; quod satum crevit, postea metere licet. Quin etiam ipse ille, ex quo hæc controversia orta est, versus clare ostẽdit, Septembrem anni & principium et finem esse, dum ait, *Festum collectionis in exitu anni.* In exitu anni inquit, quia festum tabernaculorum incidit in Septembrem, quo circulus anni absolvitur, et incipit. Denique et annus Sabbaticus à mense Tisri, Septembri, incipit (ut traditur in Ros a-sana cap. I.) manifesto argumento, ab eo annum incipere: uti etiam triennium, quo novarũ arborum fructus comedere vetamur, supputare illo mense incipiunt. Quamvis enim Iulio mense plantatæ essent, primus annus demum fine Augusti impletus censebatur; uti probatur in Guemara. Confirmat etiam hanc rem Guemara Aboda zara, cuius cap. I. traditur, Adamum, simulatq; natus esset, vidisse dies decrescentes; quod non nisi Septembri mense fieri poterat. in Ros a-sana *a* omnia à Deo perfecta creata legimus; in Beresit Raba *b*, Midbar Raba *c*, et Sir Raba *d*, Adamum & Evam in vigore ætatis productos, quasi annorum XX. Quod

et in

† cap. 1.
‡ I. Reg. 6. 1.
† cap. 25 9.
‡ cap. 23 29.
a cap. 2.
b cap. 4.
c cap. 12.
d in medio.

cap. 5. et in Guemara Holin affirmatur, et placuit R. Mosi Gerundensi, ad XII. cap. Exodi, et Ionathani Ben Vziel ad VIII. cap. primi lib. Regum: quo loco verba, *In mense Etanim*, paraphrastice exponit, mense eo, quem antiqui primũ vocabant, ante egressum ex Ægypto, uti interpretatur R. David Kimhi. Ita quoq; in Guemara Ros a-sana in oratione Musaph, quæ dicitur primo die Tisri principio anni, dicitur (cap. 1.) זה היום תחלת מעשיך זכרון ליום ראשון *Hic dies principium operum tuorum, memoria diei primæ*. Igitur ut finem faciã, dico quantum ad festa, et supputationem Regum Israël, mensem Nisan, i. e. Martium, esse primum anni: quantum autem ad creationem mundi, et res civiles, Tisri, aut Septembrem. Ideoq; sapientes Orientis, ac Chaldæi, huic mensi idem nomen Tisri dant: quia תשרי *Tisri* derivatur à ראשית *Resit, principium*, per metathesin literarum. quemadmodum et Targum החלותי *Ahiloti*, est שריתי *Sareti*, i. e. *incepi*, ut scribit R. Maymon in commentario ad Almagestum. Eãdemq; ob caussam Græci quoq; linguà suà idem ei vocabulum imposuerunt.

## QVÆST. XII.

Exod. 12. 3. *Et accipient sibi quisque agnũ arietem pro familia paterna.*

Ibid. *Agnum pro quaq; domo.*

IDem versus pugnantia habere verba videtur: nam cum primò dicat, agnũ paschalem in quaque domo paterna, id est familia, ut in Mehilta exponitur, accipi debere, postea pro quaque domo ait eum accipiendum.

## CONCILIATIO.

FAcilè hæc controversia tollitur: etenim, ut ait Aben Ezra, et expositorum reliqui, si una in domo multi homines essent, unum agnum accipiebant: sin in una eademq; stirpe, aut familia, pauci essent, omnes simul eum accipiebant, quia paucis pauca sufficiunt. At si ipsa familia quoque exigua esset, licebat cum vicino simul mactare unicum agnum.

## QVÆSTIO XIII.

Exod. 12. 5. *Ex ovibus et capris accipies.*

Deut. 16. 2. *Tum mactabis pascha Domino Deo tuo, oves et vaccas.*

SI in paschali sacrificio adhibendæ erant pecudes, quæ priore loco nominantur, quare in Deuteron. ovium & vaccarum mentio fit?

## CONCILIATIO.

IN Siphrè ad solvendam hanc quæstionem legimus verba Deut. ita interpretanda, *Et mactabis Pascha Domino Deo tuo*, צאן *oves*. quæ vox juxta R. David Kimhi parvã pecudẽ notat, adeo ut hæc verba nequaquã discrepẽt à

priore

priore loco, quo itidem jubentur Israëlitæ offerre parvum pecus, id est, oves et capras. Vaccarum autem mentio non pertinet ad sacrificium Paschale; quod ovibus peragi solitum diximus: sed ad sacrificium eucharisticum, quod paschatis tempore comedebatur, aquis elixum, quia tunc quemq; in ædibus suis hilarem esse præceperat Deus. Hāc expositionem amplexus est Anquelos a-Guer, R. Bahie, & R. Abraham Aben Ezra in glossis suis. Et facit huc etiam, quod in Chronicis legimus, die decimoquarto oves mactatas, et igne assatas, ex præ- *2. Chrō.*
cepto: vaccas autem in lebetibus coctas, pro sacrificio eucharistico. Adeo ut *35.13.*
versus Deuteronomij explicandus sit, *Et mactabis Pascha Domino Deo tuo, oves, et vaccas.* i. diverso fine mactabis, oves, ad sacrificium Paschæ; vaccas, ad sacrificium Eucharistiæ.

II. R. Moses Gerundensis, quem Ishacus Abravanel secutus est, cum distinctione scribit, *Et mactabis Pascha Domino Deo tuo, oves et vaccas.* Quomodo hic omittatur mentio animalium, quæ ad illud sacrificium requiruntur, quia supra facta erat: et dicat solùm S. S. præterea mactandas oves et vaccas, ex oblationibus, quas quisque facturus esset ad celebrandum hoc festū cum domo sua, cum Levita, cum peregrino. Oportuerat quidem, juxta hanc expositionem, addi literam ו *Vau*, quam Grammatici vocant וי׳ו החבור *Vau conjunctionis*, et verba ita efferri, *Et mactabis Pascha Domino Deo tuo, et oves, et vaccas:* sed observatum est sæpe illud in S. S. negligi: ut שמש ירח עמד זבולה *Sol, Luna, stetit in habita-* *Habak.*
*tione* pro *Sol et Luna.* qualia innumeris locis reperiuntur. *3. 10.*

## QVÆST. XIV.

Exod. 12. 12. *Trāsiturus enim sum per terram Ægypti hac ipsa nocte.*

Ibid. vers. 23. *Nec passurus est perdentem intrare domos vestras ad percutiendum.*

CVm prius Deus benedictus ipse percussisse primogenitos dicatur, quare altero loco id miraculi interfectori, aut secundæ caussæ tribuitur?

## CONCILIATIO.

ANtiqui sapientes in Mehiltâ volunt ultimam plagam, quâ Ægyptiorum primogeniti periere, Dei ipsius manu peractam, freti verbis Scripturæ, *Et Dominus percussit omne primogenitum.* In Agada quoque idem firma- *Ialcut.*
tur, et locus S. S. quem supra allegavi, exponitur, *transiturus sum per terram* *lib. 2.*
*Ægypti*, ego, non angelus, *et percussurus sum*, ipse, non autem Seraphin, *et in* *art. 199.*
*omnes Deos Ægypti exerciturus sum judicia*, ego, non legatus, *ego Dominus*, ego, non alius. Quibus verbis manifeste ostendunt, creditum sibi, in hac plaga nullo instrumento Deum usum; quia neque angelum miserit, quemadmodū cum Sanheribi castra consideret, nec Seraphin, cuiusmodi quinquagenarios duces ad Eliam Prophetam missos absumserunt, multoque minus Matatronem magnum illum, ut R. Moses Gerundensis vocat, legatum; sed ipsa prima caussa, sine ullo instrumento hoc peregerit. Interpretes cum hac opinione satis ingeniose alterum S. Scripturæ locum conciliarunt: quorum R. Selomoh, per משחית *mashit*, *perdentem*, intelligit damna ac pericula nocturna, quo tempore

mali ſpiritus regnant, et periculoſum eſt digredi ædibus ſuis. Adeo ut perditor hic non angelum, aut ſecundam aliquam cauſſam, in hac plaga adhibitam, notet; ſed quale diximus damnum.

*II.* Doctè ſane R. Moſes Gerundenſis ait, quamvis dicatur, *non patietur perditorē intrare ædes veſtras*, haut inde ſequi perditorē hūc percuſſiſſe primogenitos; ſed illud tantùm, extitiſſe illo tempore perditorem aliquem. Vnde colligit, Deum quidem ipſum hoc miraculum patraſſe; ſed adſtitiſſe ei angelum perditorem, cum omnibus rigoris ac potentiæ miniſtris. Et eodem modo, quo Regem incedentem ingens Principum ac magnorū virorum caterva ſequitur, etiam Deum Ægyptū tranſiiſſe, comitatum potentiis angelicis: nulli tamē earum datam facultatem percutiendi Ægyptios, quia ſolus hoc exſequi Dominus voluerit. Idem ſentit R. Bahie, et R. Niſſim.

*Aqued.* *III.* Contra R. Iſhacus Arama, ut cæteras, ita hanc quoque plagam per in-
*ſaar* 38. ſtrumentum ſive ſecundam cauſſam Deum exſecutum eſſe putat, ut manifeſte poſteriore loco dicitur; nec ſcrupulum eſſe in verbis, *tranſibo, et percutiam*, quatenus omnia ad Deum, tanquam cauſſam proximam referri ſoleant. Sic quam-
*Gen.* 19. vis per angelos deſtructa ſit Sodoma, dicere Scripturam, *Et Dominus pluere*
24. *fecit &c.* Ideoque ne ſapientum ſententiæ contradicat, quos ſupra memoravimus ſtatuiſſe, Deum ipſum, non angelum, hanc plagam patraſſe: ait, voluiſſe eos ſignificare, Deum ad hanc plagam exſequendam non uſum Principe, aut legato aliquo; ſed, ut humano more loquar, perſonaliter deſcendiſſe, aſſumtis ſecum omnibus miniſtris, et iuſtitiæ exſecutoribus. Et quemadmodū Rex magni momenti rem non miniſtro delegat, ſed ipſe exit, comitatus proceribus, qui mandata ejus exſequantur; ſic quoque Deum comitantibus ſacroſanctis Ægyptum tranſiviſſe, atq; illis miniſtris uſum in exſequenda voluntāte ſua: quomodo utriq; loco ſua veritas conſtet, quatēnus hoc ad Deum, tanquam proximam cauſſam, illo ad angelum perditorem, velut inſtrumentum reſpiciatur. Et fortaſſis eam ob rem Deus ad ſequentem uſq; diem Iſraelitas ædibus ſuis ſe continere juſſit, quia miniſtri rigoris, qui eum comitantes totum aera replebant, nec diſcernerent inter bonum ac malum, facile lædere Iſraelitas potuiſſent, uti uxorem Lothi, divinum mandatum tranſgreſſam, puniverant.

IV. Iſhacus Abravanel in Zebah Peſah, et gloſſâ ſupra Legē, miraculum totū Dei manibus tribuens, per illum perditorem, cuius meminit Scriptura, ipſos Ægyptios intelligit, quos, cum in oculis ſuis viderent oves, quas pro Diis colebant, ab Iſraëlitis mactari, non dubitandum eſt vehementiſſime offenſos fuiſſe; unde populus ipſe admirabundus dictitabat, *Ecce ſacrificaremus id, quod eſt abominationi Ægyptiis, et non lapidabunt nos?* Quo timore eos Dominus liberavit, dictitans, ſi ſanguine illinerent poſtes januarum ſuarum, nocentes, id eſt Ægyptios, nihil damni iis illaturos. Sanè firmatur hæc opinio iſto, quod in S. *S.* ſæpe illi, qui injuriam facere cogitat, aut inimicus eſt, detur nomen משחית, ut Semuelis I. cap. *XIII.* 17. ויצא המשחית ממחנה פלשתים *Et egreſſus eſt perditor ex caſtris Peliſtim.* Poſſim alia loca afferre, ni brevitati ſtuderem.

*ſupra A-* V. R. Abudaram à Deo miraculum perfectum, et ſine alio inſtrumento ſen-
*gadam.* tiens, ait, aërem ab eo infectum, qui Ægyptiorū ora et nares intraverit, et mox ad cor penetrans, ſubito eos exanimârit. Itaque perditorem, quem Deus promittit Iſraëlitis nulla illaturum damna, ipſe vocari putat aërem corruptū, quem

poſtibus

poſtibus arietis paſchalis ſanguine oblitis, et circumciſione, evaſuri ſint. Nec ſane abſurda dicere videtur, quando eadem vox משחית *mashit*, de peſtilentia uſurpatur Exod. XII. 13. ולא יהיה בכם נגף למשחית *Sic non erit in vobis plaga exitialis.*

VI. R. Elihezer Germanus duplicem in hac plaga actum conſiderandum ait: *Maaſe* Primum angeli perdentis, qui aerem corruperit, adeo ut Ægyptii ſubito per- *Miſrai.* cuſſi dicerent, *omnes nos mortui*; quia peſtilentia ad omnes ſe extenderet, quã *cap. 1.* ob cauſſam oblinendi ſanguine poſtes fuerint, ne angelus Iſraelitarum quoque domos infeſtaret: alterum Dei, qui majore miraculo, quamvis omnes infecti eſſent, ſolos Ægyptiorum primogenitos interfecerit, ſervatâ reliquis vita. Quâ diſtinctione non incommodè utrumq; verſus conciliatur. Alia hanc ad rem dicit *Par. Bò.* R. Menahem Sioni in gloſſis ſuis, quæ quia Cabaliſtica, et pravis aliorum expoſitionibus obnoxia ſunt, hic non memorabo. Id modò lectorẽ admonebo, quando ait Scriptura, *Et tranſibo per terram Ægypti,* nequaquam proprie verba ejus accipienda, quaſi Deus incorporeus ſe ab uno loco in alium tranſtulerit: etenim infinitus, et ubiq; eſt: ſed (quemadmodum ait Maimonides in Directore) dici- *l. 1. c. 51* tur Deus tranſire cum potentiam ſuam in inferiores exſerit: quod etiam R. Iehudam dixiſſe in Ialcut tradit Simhoni. *lib. 1.*

*VII.* Quin & verbum ועברתי quod nos transferimus, *& tranſibo*, vertere lice- *art. 199.* at, *et iraſcar*, ſignificatione deducta à nomine עברה *Hebrà, ira, indignatio.* Sane id placuit R. Levi ben Guerſon, qui transferebat, *Et iraſcar terræ Ægypti, ac percutiam.*

## QVÆSTIO XV.

Exod. 12. 13. *Erit autem ſanguis ille pro vobis in ſignum ſuper illas domos ubi eritis, ut videns ſanguinem illum miſerear veſtri.*

Daniel. 2. 22. *Novit, quod in tenebris eſt, et lux cum eo habitat.*

QVæritur, cur Dominus ſanguine oblini voluerit fores Iſraëlitarũ, ad diſcernendum eos ab Ægyptiis, cum omnia omni tempore videat, et lux perpetuo ei adſit.

### CONCILIATIO.

HÆc quæſtio in Ialcut à R. Iſmaële mota, huiuſmodi verbis ibidem ſol- *lib. 1.* vitur: Deus Benedictus cui omnia patent, ſignis nullis opus habet: Iſra- *art. 200.* elitas tamen oblinere poſtes ſuos juſſit, ut recordarentur, ob arietis paſchalis ſanguinem Deum ſui miſertum. Quam expoſitionem R. Selomo ſecutus eſt: et R. Bahie ait, Deum benedictum voluiſſe, ut Iſraelitæ ſine timore oblinerent fores ædium ſuarum, quo hâc ratione oſtendentes fiduciam in Deo, cuius potentiâ ſe ab omnibus periculis tutos crederent, quodammodo quaſi dignos ſe præſtarent tanto miraculo. Ergo ſanguis erat ſignum fiduciæ Iſraelis.

*II.* R. Levi ben Guerſon vult, Iſraëlitas, mactato ariete, et ſanguine eius poſtibus allito, certiſſimo ſigno oſtendiſſe, ſe penitus ex animis ejeciſſe pravam Ægyptiorum opinionem, arietem adorare ſolitorum: quando non ſolum mactarent eum, verùm et ſanguine eius poſtibus allito palam illud teſtarentur. Quod non Iſhaco Abravaneli tantùm, verùm et antiquis ſapientibus placuit; dicunt enim, *Ibid.*

לכם יהיה לאות *Vobis erit in signum, non autem aliis.* innuentes, ut diximus, signum illud non alium finem habuisse, quam ut demonstrarent Israelitæ vacuas à labe idololatriæ animos suos.

*III.* R. Aramæ verba sunt, Non indiget Deus signo ullo, uti exploratores, qui Rahabam funiculum dibaphum è fenestra suspendere jusserunt. Hoc autem אות Ot, *signum*, erat אות ברית *signum pacti*, per quod significabat Deus præceptum de allinendo postibus sanguine arietis, signum fore pacti, & exordium fœderis, inter Israelitas, et immensam Divinitatem suam. quemadmodum alio loco de Sabbatho dicitur, *inter me, et inter filios Israel signum hoc in sæculum.*

*IV.* Quod si ex sententia R. Elihezeris Germani (quam supra retulimus) ab angelo perdente corruptum aëra statuamus, non frustra Israelitæ sanguinem alleverint postibus, quia non omnia angelo nota sunt; et signo opus habet in iis, quæ sine signo Deus novit.

## QVÆST. XVI.

| | |
|---|---|
| Exod. 12. 29. *Fuitq; mediâ nocte, et percussit Dominus omne primogenitum.* | Num. 8. 17. *Meum enim est omne primogenitum in filiis Israelis; quo die percussi omne primogenitum.* |

CVm plaga mediâ nocte acciderit; quomodo accipienda sunt Scripturæ verba, quando ait, *die quo percussi omne primogenitum?*

## CONCILIATIO.

INtellectis vocabulis, in arduo non erit conciliare hæcce loca. יומם *Iomam*, Hebræis diem artificialem notat, videlicet cum solis ortu incipientem, et definentem cum occasu: at יום *Iom*, naturalem *XXIV.* horarum. Quod ita se habere, probatur verbis Psalmographi dicentis, יום צעקתי בלילה *die clamavi in nocte*; ubi dies denotat tempus nocturnum: alioqui enim sibi ipsi adversetur David, si die clamans, dicat se noctu clamare. Idq; ex plurimis alijs locis probari potest. Icciro R. Semuel Vrbinas in libro Synonymorum, quem inscripsit Oel Moed, vocabulum יום *Iom*, posuit inter ea, quæ זמן *Zeman*, id est tẽpus significant. Idem observatum R. Abrahamo Aben Ezræ, ad *XII.* cap. Exodi, R. David Kimhi ad *XXIV.* caput Ezechielis. Igitur, ut dixi, non vertendum est, *die quo percussi*, sed *tempore quo percussi omne &c.*

*Psalm. 88. 2.*

## QVÆSTIO XVII.

| | |
|---|---|
| Exod. 13. 6. *Septem diebus azyma comedes.* Item Deut. 16. 3. | Deut. 16. 8. *Sex diebus azyma comedes.* |

NOn modo hæc quæ allegavi Exodi et Deuteronomii verba, inter se pugnare videtur: verũ et eo ipso capite Deuteron. quo de sex diebus dicitur, paullo ante semel iterumq; septẽ dierum mentionẽ fieri videas.

CONCI-

## CONCILIATIO.

QVando loca magnis discreta intervallis invicem repugnant, autorũ culpare memoriam solemus: at qui eodem prope loco contraria scribat, vix arbitror quemquam repereris. Quid ergo de divino hoc scriptore ac summo Legislatore dicendum? omnino attendere oportet, conciliarine discrepantia verba possint. Severè omnis Israel jussus erat ter quotannis Hierosolyma venire, ad celebrandum festum azymorum, hebdomadarum, & tabernaculorum. Festo azymorum jubebat Deus mactari Pascha, seu agnum paschalem, quo comesto ante diem decimumquintum Nisan, qui primus Paschatis, offerebant postea eucharisteria, et illis peractis secundo festi die domum quisq; suam repetebant. Adeo ut obligatio manendi Hierosolymis non ultra primum festi diem extenderetur, et secundo iter repetere liceret. Quod docemur verbis Legis: *Non poteris mactare pascha intra aliquã è civitatibus tuis &c.* Deut.16
*Sed in loco illo, quem Dominus Deus tuus elegerit ad collocandum nomen suum: ibi* vers 5.
*mactato Pascha vespere, quum occidit Sol, stato tempore exitus tui ex Ægypto.* 6 7 8.
*Tum coques comedesq; illud in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus: deinde revertens mane ibis ad tentoria tua. Sex dies comedito azyma; die autem septimo, interdictum &c.* Vult Scriptura, quemadmodum constat ex verbis ejus, ut Hierosolymis celebrato festi die primo, quisque itineri se det, et per sex dies comedat azyma: unde ibidem dicitur, *Deinde revertens mane ibis ad tentoria tua: Sex dies comedito azyma &c.* Ac si diceret, præter diem primum quem celebrasti, sex insuper dies præceptum azymis abstinendi observabis, ut notavit recte Ishacus Abravanel.

II. In Ialcut legimus †, donec in templo offerebatur Homer, quæ erat mensura hordei novi, non licuisse comedere de germine eius anni, unde ait sacer contextus ‡, *Panem autem, tostasve aristas, aut spicas virentes ne comeditote, usq; ad illum ipsum diem, usque dum attuleritis oblationem Dei vestri.* Homer autem illud offerebatur decimosexto mensis Nisan, secundo die Paschatis, unde dicitur *, *postridie illius cessationis agitabit eum sacerdos.* Iuxta quam sententiam verba, *sex dies comedetis azyma*, accipienda sunt de azymis germinis illius anni, quia primo die comedebant germen præteriti anni. Hinc colligunt doctores Thalmudici, si non reperiretur triticum anni præteriti, primo die festi non solere comedi azyma, donec adferrentur fructus germen in templum.

† lib. 1. art. 201.
‡ Levit. 23. 14.
* Ibid. 23. 11.

III. R. Levi ben Gerson ait, jam ante S. S. dixerat, septẽ diebus azyma comedes. Sed quia facile suspicari quis posset, diem septimum Paschatis interdicti supputandum esse à *XIV.* die mensis Nisan, quo mactabatur Paschalis agnus, ita ut incideret in vicesimũ ejusdẽ mensis: ut huic errori prævertat, inquit, *sex diebus comedes azyma, et dies septimus Pascha interdicti*: quibus verbis indicat, diem septimum supputandum esse à primo die quo obligabantur edere azyma, quomodo incidebat in decimumquintum illius mensis. Adeo ut hac ratione septimus dies numeretur primus et vicesimus Nisan.

IV. Dicere quoq; liceat septem illis diebus duo festa includi; videlicet festum azymorum, et interdicti; ac Scripturam, cum ait, *septem diebus azyma comedes*, ostendere, etiã septimo die, sive festo Interdicti, illa comedenda; quando verò eadem

eadem dicit, *sex diebus azyma comedes, et dies septimus festum Interdicti*, significat, sex illis diebus solùm fermento abstinendum, aut azyma comedenda; at notabiliorem septimum diem esse, nimirum עצרת *Hatzeret*, interdicti, quo nullum opus facere cuiquam liceret, ut ait R. David Kimhi in libro radicum. In Siphrè ex utroq; hoc loco colligitur, obligationem comedendi azyma non ultra primam noctem septem dierum durasse: at reliquis satis fuisse, si fermento abstineretur, et licitum cuique è cæteris cibis uti quo vellet. Quæ expositio perplacet, & commodissimè ex Scripturæ verbis peti videtur, quamvis nec prima sit improbanda.

*in Hatsar.*

## QVÆSTIO XVIII.

Exod. 13. 19. *Accepitq; Moses ossa Iosephi.*

Ieosuæ 24. 32. *Et ossa Iosephi, quæ attulerant filii Israel ex Ægypto, sepeliverunt in Sechemo.*

Quare posteriore loco filiis Israelis adscribitur, quod Mosi antea tributum fuerat?

## CONCILIATIO.

*cap. 1.* IN Guemara Sotà ad solvendam hanc quæstionem dicitur, Misva, aut egregium aliquod factum non inceptori, sed perficienti adscribi. Quare ossa Iosephi ex Ægypto ablata ad humandum in terrâ sanctâ, dicuntur ab Israelitis allata esse, quatenus, qui ea acceperat, Moses mortuus est, antequam terram sanctam ingrederetur. Ergo hic incepit, illi perfecerunt.

II. R. David Kimhi in commentariis ad Ieosuam ait, ab Israelitis sublata ossa esse; cæterum id Mosi tribui, tanquam rectori, qui tolli ea jussisset. Eodemque modo I. Regum dici, *Et ædificavit Selomo domum*, quamvis nō ab ipso, sed jussu eius extructa sit. Sic etiam victoriam ad ducem, aut Regem referri, non quia manu aut fortitudine, sed prudentia et consilio suo illam det. *cap. 6. 14*

## QVÆSTIO XIX.

Exod. 15. 11. *Quis est sicut tu fortis sanctimoniâ?* Psalm. 147. 4. *Magnus est Dominus noster, et magno robore.*

Iob. 37. 22. *Omnipotens, non comperimus eum amplum virtute.*

VIx opus sit dicere, pugnare videri hæc loca, quorum altero Deus, ut est, potēs dicitur, altero ab Elihu negatur, quæ hæretica opinio videri possit.

## CONCILIATIO.

*cap. 34* RAbenu a-Gadol in Semot Raba, huiusmodi verbis hanc quæstionē expedit. Qui, inquit, verba Elihu simpliciter acceperit, et sensu eo, quē primâ fronte præferre vidētur, statuet blasphema esse; at altius introspiciēs,

advertet eum dicere, creaturas non adsequi immensam Dei potentiam: idque quia benignissime accommodat se infirmitati humanæ. Et hinc videas Deum quando Legem daturus cum universo Israele colloqui volebat, non cum omni potentiâ sua apparuisse, quatenus nullus locus ejus capax erat: unde et Israelitæ dicebant; † *si pergeremus deinceps audire vocem Domini moreremur*; sed infinitã potentiam suam adaptasse humanæ imbecillitati. Quo respiciens Psalmographus ait ‡, *vox Domini in potentia*. non dixit, *in potentia suâ*, sed, *in potentiâ*: quia Deus non edidit vocem pro sua potentia, sed pro captu, et viribus uniuscuiusque. Profectò divina mihi hæc verba, & digna tanto autore videntur. † *Deut.* 5 25. ‡ *Psalm.* 29.4.

II. Veteres sapientes in Bamidbar Raba aiunt, hominẽ, si ea quæ ab eo Deus exigit, æstimare velit, non animadvertere magnam in eo potentiam: quippe qui pro suà quidem potentia det, sed petat pro viribus illius qui daturus est. Atque hinc magnus ille commentator R. Selomoh sumsit expositionem suam, cũ ait: Ecce quomodo Deus contentus sit pugno farinæ, turturibus, columbis, dimidio siclo, aliisque id genus; qui tamen si munera pro dignitate eius, cui offeruntur, quærenda essent, petere deberet unicornu, aut similia rara, atq; exquisita animalia. Ergo verba Elihu in hanc mentem accipiũt, nos homines ex parvis illis, quæ Deus petit, infinitam eius potentiam æstimare non posse. *cap.* 21.

*III.* In Guemara Aboda zara, R. Hanina bar Papa distinctione hæc loca conciliat. Quippe ait, belli tẽpore magnam Dei potẽtiam, in judicio exiguam cognosci. Dicere vult, Deum in puniendo non culpæ magnitudinem, sed rei vires considerare. Quãvis enim peccatũ adversus infinitũ Deũ commissum sit, actio tamen hominis finita est, quia à causâ finitâ infinitus procedere effectus nequit: adeo ut semper Deus sit רחום בדין *clemens in judicio*. Hæc quoq; sententia fuit divini Jonathanis ben Vziel. *cap.* 1.

IV. R. Levi ben Guerson in commentariis ad Iobum, et R. Simhon bar Semah in opere suo Oeb Mispat, hoc modo interpungunt. Omnipotens, quem non invenimus, est magnæ potentiæ: ac si diceret, ille D. Deus, appellatus שדי *Sadai*, Omnipotens, qui adeo occultus est, ut neque invenire eum, neque mente concipere possimus, est maximæ potentiæ. Adeo ut Elihud plane contraria loquatur eis, quæ hactenus putabamus: unde subdit, *judicio, & magnitudine justitiæ non affligit*. i. e. quamvis magnus sit potentiâ, iudicio, ac iustitia, tamen libens potentiam suam in neminẽ exercet. Cui simile illud Ieremiæ †, *Ex animo enim non affligit*. Nec aliam in mentem exponit R. Iehuda bar R. Simon ‡ hæc verba Psalmographi *, יושב בסתר עליון *Sedens in occulto, altus*, i. e. Deus, occultus et abstrusus nobis, altus ac sublimis est. † *Lamẽt.* 3.33. ‡ *Semot R. ca.* 34. * *Psalm.* 91.1.

## QVÆSTIO. XX.

| | |
|---|---|
| Exod. 15.26. *Nullum morbũ, quem imposui Ægypto, imponam tibi.* | Ibid. *Quia ego Dominus curator tuus.* |

## CONCILIATIO.

Medicinâ soli infirmi egent. Quum verò Dominus promittat Israeli, liberum eum fore ab infirmitatibus Ægypti, quare dicit mox se medicum eorum fore?

CON-

## CONCILIATIO

EX mente R. Mosis Gerundensis non promittit hic Deus Israelitas, si præcepta sua observarent, liberos fore ab omnibus plagis Ægypti, quales plerumque eis immittit, qui illa negligunt: deinde et si naturalibus morbis tentarētur, se medicū eorum fore, adeò ut duplicia hic promissa fiant.

*II.* Rab R. Iosiahu Pintus, fretus dicto veterum nostrorum sapientum, qui ajebant, Deum præparare medicinam priusquam infirmitate Israelitas percutiat, in opere suo Queseph Mezukak ait: Nullam infirmitatem quam imposui Ægypto, tibi immittam: id est, non prævalebūt tibi, *quia ego Dominus curator tuus*, remedio damnum anticipabo.

*Par. Picude. Sermō. I*

*III.* Dicere quoq; possimus, cum duplicia sint medicamenta, conservativa, nimirum quæ conservant corporis sanitatem, et depulsoria, quæ morbum depellunt: verba illa, *Ego Dominus curator tuus*, ita interpretanda, Deum illis conservaturum sanitatem, bona temperatione quatuor humorum.

IV. Aut per infirmitates Ægypti intelligemus animæ infirmitates, id est, pravas et hæreticas Ægyptiorum opiniones; quomodo non solum ab corporis, sed et animi morbis se Israelitas vindicaturum Deus promittat.

---

## QVÆSTIO XXI.

Exod. 16 1. *Profecti verò Elimis, venerunt tota congregatio filiorum Israelis in desertū Sin, quod est inter Elim et Sinai, quintodecimo die mensis secundi.* Ieosuah 5. 12 *Quamobrē cessavit Man postridie, cum comederent de annonâ illius terræ, neq; fuit deinceps filiis Israelis Man.*

Ibid. 16. 35. *Et filii Israelis comederunt manna quadraginta annis.*

EX tribus locis quæstio hæc petitur. Quorum priore legimus, die decimoquinto mensis secundi, sive Ijar, i. e. Aprilis (qui Nisan, sive Martio, succedit) Israelitas in desertum Sin venisse, quo tempore cibum petentibus datum fuit mana, ut ait Scriptura; *Ecce ego faciam, ut pluat vobis panem ex cælo.* Alter Locus indicat manà cessasse secundo die festi azymorum, hoc est decimoquinto mensis Nisan: quod si intermedium tempus supputemus, provenient anni *XXXIX.* et menses *XI.* quibus Israelitæ manà comederint; cum tamen postea dicat Scriptura eos XL. annis manà comedisse.

## CONCILIATIO.

IN Gemara Kidusin cap. I. ad solvendam hanc quæstionem firmatur, panes azymos, quos Israelitæ in egressu ex Ægypto comederunt usq; ad decimūquintum diem Iiar, habuisse saporem manæ; adeo ut illo spatio accenso imple-

impleantur X L anni;quam conciliationem secutus R. Abraham bar David in
Seder olam, ait, שהיה להם יפה כמן *fuisse iis* (sc.panem) *bonum instar mannæ*: in-
dicans, ut mihi quidem videtur, Deum, ne ob victus penuriam Israelitis iter
grave esset, voluisse,ut non tantum placentæ, quas ex Ægypto assumserant,non
putrescerent,sed & per miraculum mannæ saporem haberent: indeq; adiectos
in supputatione X X X dies,quasi etiam illis manna comedissent. *Maiàn*

II.Sed R. Bahie negat opus, esse,ut dicamus XL integris annis Israelitas *12.ta-*
Manna comedisse: quia Scriptura sæpe numeri minoris rationem non habeat, *mar*
uti notatum quoque Ishaco Abravaneli in Mahiene a-jesuà, R. Hazanæ a- * *1. cap.*
Adomi in Imre binà,*R.Iesaiæ de Trane in commentariis ad Legem,† R.Mosi 35.
Gerundensi in Asagot.Exempla passim obvia sunt: Geneseos cap.xxxv.36.le- † *Par.*
gimus filios Iacobi natos in Padam Aran,cum tamen Benjamin natus sit in Ke- *Noah*
nahan. Ephraim & Menasseh in Ægypto nati erant, & nihilominus dicitur, *art.1.*
Cum animis lxx. descenderunt patres tui in Ægyptum. Filii Guidonis * ab *Deut.*
Abimelecho sublati lxxx. erant: nam Iotam evasit; tamen tribus locis lxx. 10. 21.
eos nuncupat Scriptura. Sic quoque Numer. Israelitarum numerus traditur * *Iud.*
sexcenta & tria millia, ac quingenti & quinquaginta: Moses verò non habità 9. 5.
minoris numeri ratione, quærit quomodo possit carnem dare sexcentis homi- & 24.
num millibus ‡. Propter falsam renuntiationem exploratorum terræ Kenahan, 56.
dicitur Israelitas XL. annis longius in deserto hæsuros, quamvis anni modò 1 46 &
xxxix numerentur: nam secundo anno emissi sunt exploratores. Iephtha Regi 2.32.
Edom significavit,Israelitas in Hesbonet & pagis ejus trecentis annis habitasse*: ‡ *Ibid.*
si supputes paullo vel plures vel pauciores erunt. Davidem ait Scriptura reg- 11.21.
nasse annis XL: si supputes, sex ultra menses invenies. Salomoh templum *ibid.*14.
aggressus extruere anni quarti mense secundo, undecimi anni mense octavo 34.
illud consummavit; i.e. spatio septem annorum,& totidem mensium. Scriptura * *Iudic.*
tamen rotundum præferens numerum,ait septem annis exstructum esse. Hinc 11.26.
quoque ajebant antiqui,ut in Thalmud legimus החשבון המרובה בולע את המועט *Ma-* 1.*Reg.*
*jor numerus devorat minorem.* Sic sane in Genesi videas, ubi primorum homi- 37.&
num ætates recensentur,annorum tantùm,non mensium mentionem fieri, cum 38.
tamen fieri nequiverit,quin multi eorum aliquot vel mensibus vel diebus annos *Ierusal-*
egressi sint. Solus enim Moses in Gemara Sotà & Siphre * dicitur ultimo ex- *mi Ros*
acti anni die, nimirum quo natus erat,obiisse; quod colligunt ex verbis. † *Nu-* *a-sana.*
*merum dierum tuorum complebo.* & quia ipse dixit, *Natus sum hodie centum vi-* *Sota*
*ginti annos.* Vnde in Guemara Kidusin * dicitur, defunctum eum septimo die *cap.1.*
mensis Adar, quo impleverat annum centesimum & uicesimum: nam eodem **Par.de-*
die natus erat. *barim.*

III. Nec absurde R. Elihezer Germanus mihi dixisse videtur, quamvis Ie- † *Exod.*
hosua dicat Mana cessasse decimosexto mensis Nisan, non inde sequi, Israë- 23.26.
litas postea illud haud comedisse,quia potuerint die quo postremum pluit colle- *Deut.*
gisse copiam, quæ ad mensem integrum extenderetur. Quod si admittamus, 31.2.
impleti erunt xl. anni. * *cap.1.*

---

## QVÆSTIO XXII.

| | |
|---|---|
| Exod.16.14.*Cumq; se elevasset stratus ille ros, ecce in superficie deserti tenue quiddam.* | Numer.11.9.*Et cum descenderet ros super castra noctu, descendebat man cum eo.* |

CVM ante dicatur primo stratum rorē adscendisse, deinde manna pluisse, cur postea ait Scriptura primo rorem, dein manna descendisse?

## CONCILIATIO.

cap 8. *lib. 1. art. 26. IN Gemara Iomā, ubi hæc quæstio movetur, & Ialcut*, legimus duplicem cecidisse rorē: prius, antequā manna plueret, ad terræ superficiem cōtegendā, ne sordibus illud pollueretur: dein postquam iam manna cecidisset, adeo ut hoc duobus quasi mantilibus tegeretur. In cuius miraculi memoriam Hebræi adsueverunt panem mensæ impositum etiam desuper mappā obtegere. Ergo rorem, qui mannæ superincidebat, Scriptura adscendisse ait, hoc est, iuxta R. Selomonem; Sol calefacta radiis suis terra, rorē attrahebat, quemadmodum experientia discimus, ovum rore repletum, & vndique clausum, in aëra sublevari.

II. In Tanhumi notatur, Dominum in hoc miraculo naturæ ordinem invertisse; cum enim panem terra, cœlum aut regio aërea rorem producere consueverit, hic panem cœlitus demissum, rorem è terra provenisse; & simulatque ille elevatus caderet, statim manna pluisse.

III. R. Abraham Aben Ezra vocabulum עלה non cum vulgo *adscendit*, sed
102.25. *cessavit*, aut intermisit interpretatur; quo significatu in Psalmis invenitur אל תעלני בחצי ימי *Ne auferas me mediis diebus meis*. Vt juxta illum non dicat S.S. cum ascensu roris manna apparuisse, sed simulatque ille cadere desiisset, manna pluisse: qui etiam alterius loci sensus est. Sequuntur hanc expositionem R. Leui ben Gerson, & R. Hisquiah in glossis suis.

Saar 2. IV. Physici, ut apud Rab Gerson bar Selomoh in Saar a-samaim legere est, volunt, rorem gigni ex vapore, qui aliquid terrestre habeat, & quia flaccido calore elevatur ac rarescit, in tenues aquas convertatur per temperationem frigoris nocturni, & deinde sereno cœlo herbis incidat. Vnde simplicius fortasse S. Scripturæ loca concilientur, si adscensum roris referamus ad vapores terræ; descensum ad aquam in quam conversus erat.

---

## QVÆSTIO XXIII.

| | |
|---|---|
| Exo. 16. 31. *Et ejus sapor velut placenta ex melle.* | Num. 11. 8. *Eratque sapor ejus tanquam humor olei.* |

cap. 25. * Exod. 16. 4. IN Semot Raba quæstio hæc movetur, orta ex tribus Scripturæ locis; quorum duo jam allegavimus, tertio dicitur*, *Ecce ego faciam pluere vobis panem de cœlo*. Vnde quæritur, quomodo idem & panis cœlestis esse, & placentæ ex melle, & humori olei comparari potuerit.

## CONCILIATIO.

VOLVNT manna varios sapores habuisse, pro ætate ac natura cuiusque qui vescebatur; nimirum parvulis sapuisse ut humorem olei, iuvenibus ut

panem, provectæ ætatis hominibus velut placentas ex melle. Neque tantum triplicem hunc saporem habuisse manna credunt, sed & cibi quemcumque Israelitæ expetierint, unde & panis cœli appelletur. Colligunt id ex loco isto: *His XL annis ego Dominus Deus tuus tecum, non defuit tibi quicquam.* Si nihil defuit, in manna omnigenas epulas habuere. Etenim cum adeo effrenis sit humana gula, ut uno cibi genere diu contenta non sit; sequitur multa Israelitis defuisse, si manna non habuerit varios sapores. Nec gravidæ implere desideria sua potuissent. Neque obiiciat quis, quod ne manna quidem postea contenti dixerunt: *Nihil quidquam, tantum manna ob oculos nostros*: cupiebant cibaria ut sapore, ita & adspectu diuersa.

*Deut. 2.7.*

*Num. 11.6.*

II. Gaon R. Seadiah, quem sequitur doctus Aben Ezra & Ishacus Abravanel, ait mana, quod cœlitus panis loco descendebat, saporem placentarum ex melle habuisse; sed postquam molitum ab Israelitis, & coctum in cacabis esset, uti in Numeris legimus, mutatum in saporem olei, quicum coquebatur.

Adiungere hic licet, quod in Midras traditur, pios ac honestos viros manna comedisse quale cœlitus demissum erat, nullo inde alio edulio parato: at medios, sive eos qui ut non justi, ita neque improbi haberi poterant, in placentas vertisse: luxuriosos, & impios omnis generis edulia inde parasse, quippe qui ventri & gulæ, cæterisque carnis cupidinibus tantum obedirent. Vt hodieque nonnulli existimant, sabatha, & festorum alia tantummodo consistere in epulis, potu, & exquisitis ad gulæ irritamenta cibariis: longe profecto diuersi ab opinione veterum sapientum, quam legere quivis poterit in Resit hohma, sepher maalot a-midot *, & Queseph Nibhar † R. Iosiæ Pinti & nos infra demonstrabimus.

*Saar a-quedusa cap. 15.*
** cap. 21*
*† Par. Beaalotha, Sermon 2.*

---

## QVÆST. XXIV.

| | |
|---|---|
| Exod. 17. 13. *Sic fregit Iehosua Amaleq & populum ejus acie gladij.* | Deut. 25 18. *Et cecidit in te omnes infirmos qui post te.* |

QVI bene perpenderit verba S. Scripturæ, quis adversum Amalequitas gesta describit, non modò Exodi hunc, & Deuteronomij locum, quorum illo videtur dicere Amalequitas cæsos ac dissipatos, altero eosdem fessis Israelitis supervenientes extremum agmen invasisse; sed et alia complura loca credet discrepare. Etenim eodem Exod. capite inquit Scriptura: *Venitque Amaleq & pugnavit cum Israelitis in Rephidim*: unde cum universis Israelitis prælium initum videatur. In Deuteronomio: *Et cecidit in te omnes infirmos qui post te.* Si infirmi, qui sequebantur, concisi sunt, sequitur prælium cum universis commissum non esse. Rursum alibi in Exodo, *Dixitque Moses Iehosuæ &c. procede pugnatum contra Amaleq cras*: Ergo deliberato pugna inita est, non temere, aut casu, cum tamen Deuter. verba sint. *Qui occurrens tibi in eo itinere*, quæ innuere dixeris fortè exercitus commissos. Deniq; in Exod. Iehosua dux exercitus memoratur, cujus in Deuteronomio nulla fit mentio.

## CONCILIATIO.

ISHACVS Abravanel, motus discrepantia horum locorum, bis pugnatum statuit; primoque Amalequitas invasisse Israelem, dein cæsos esse. Quod ex S. Scripturæ verbis colligere queas, quādo prius dicit, *Venitque Amaleq, & pugnavit cum Israele ac mox*, subjicit, Mosem mandasse Iehosuæ, ut in posterum diē prælio se pararet. Vnde infertur, post præliū primum, reductis jam exercitibus, Israelem secundo Amalequitas adortum esse. Vtriusque prælii in Exodo mentionem habemus, ubi dicitur, tandē victoriâ potientem Iehosuam Amalequitas acie gladii percussisse; in Deuteronomio tantum prioris pugnæ, quâ victores Amalequitæ fuerant: idque ad incitandos Israelitas, ut delerent nomen hostium suorum, qui extremum agmen infirmorum cecidissent. In Ialcut legimus concisos ab Amalequitis peccatores, quos nubes divina non protexisset.

*II.* R. Leui ben Gerson, & autorum alii, semel tantum pugnatum volunt, sed dubio Marte. Principio enim eos, qui in extremo agmine forent, ab Amalequitis concisos, quia Dominum tentavissent, scire cupientes, pro an contra se staret: unde in Deuter. *Et tu lassus ac fatigatus, nec Deum timens.* At postremo Israelem victoriâ potitum, beneficio Mosis; qui levatis sursum manibus, unam ex decem Sephirot, sive illustribus lucibus attraxisset. Ideoque in Exodo victoriam Israëlitarum, at in Deuter. cladem memorari, ad augendum eorum odium memoria accepti detrimenti.

Par. Teruma. *III.* R. Ioel ben Sueb in Olat Sabat similiter unum tantùm prælium statuens, ait, famâ divisi maris rubri, terrore Israelis omnes nationes concussas fuisse, iuxta verba Scripturæ. *Tunc turbati sunt duces Edomæorum.* Adeo ut nulla bellum cum populo sancto gerere ausa fit. Sed impium ac detestabilem

Gen. 27. 29. Amaleq, filium Eliphaz, nepotem Esau, invidiâ benedictionis Isaci, *Esto herus fratribus tuis*, gloriæ officere voluisse: itaque in itinere Israelitas adortum, incitasseq; alias nationes, ut exemplum suum sequerentur. Ideoque Scripturam his verbis, *Et commovit caudam in te omnibus infirmis post te*: significare, nationes mundi infirmas, & fractas animis, & jam subjicere se Israelitis cupientes, à proposito destitisse. Ea enim mente verbum יזנב iezanneb, accipiendum putat.

---

## QVÆSTIO XXV.

| | |
|---|---|
| Exod. 17. 14. *Delendo deleturus sum memoriam Amalequitarum.* | Deut. 25. 19. *Delebis memoriam Amalequitarum.* |

SI Jsraelitæ Amalequitarum deleturi erant memoriam, quare Dominus se ultorem denuntiat?

## CONCILIATIO.

QVAMVIS Edom aliæque nationes Jsraëlem offendissent, Amalequitæ tamen, quemadmodum recte notat Jshac Abravanel, omnium gravissimè delique-

deliquerant, ut non sine caussâ Dominus jusserit deleri nomen eorum, & quicquid illis proprium esset perdi. Primo enim nulla affecti injuria, neq; ut ereptas sibi terras recuperarent, aut alienas subigerent, sed solo ducti odio, eos in itinere invaserunt. Dein bellum nequaquam, ut solent potentes Reges, Israelitis indixerunt, sed subito improvisi advolarunt. Præterea non eos æquo certamine adorti sunt, ut dignum viris; sed extremum agmen irrupere, in quo infirmi, senes, fatigati erant, qui suos subsequi haud potuerant. Denique & auditis miraculis Dei, Israelitarum gratia editis, cum cæteras gentes terror pervasisset, soli illi omnia ea aspernati, decora hæc & celebrem famam eripere illis voluerunt. Quæ omnia etiam notavere R. Abraham Salom in Neve Salom, R. Semuel Iaziah in Tipheret Israel*, ad secundum Deuteron. locum. Adeo ut Israelitis injuria affectis, & spretis Dei miraculis vindicta ad utrumque pertinuerit: & illi bellum inceperunt, Deus victoriam dedit. *lib. 5. cap 6.* * *Sermone 5.*

II. In Ialcut, & Tanhuma *, traditur ante destructam Hierosolymam Israelitarum fuisse injuriam ulcisci, ideoque dici *delebis*: sed destructâ illâ solum Deum vindicaturum, & excisis Amalequitis finem bello impositurum, uti prædictum à Bilhamo, *Principium gentium Amaleq, & finis ejus usque ad perditionem.* *art. 267* * *Pa. Tesse.* *Num.* 24. 20.

III. At R. Bahye, Scimus, inquit, Deum Benedictum nullum hic in mundo Regem aut Principem destruere, nisi destructa ante, id est, amota tutela, aut protectore, quem in cœlis habet, uti probant veteres sapientes ex verbis Iesaiæ*, *Animadvertet Deus in exercitum cœli in cœlis, & in Reges terræ in terrâ*: Prima est animadversio in exercitum cœli, dein in exercitum, aut Reges, terræ. Vnde facilis est huius loci solutio. Nam ad primam caussam pertinebat subtrahere favorem suum principi cœlesti, ne concurrere posset cum eo, quem in terra defendebat; at bellum adversus Amalequitas Israelitis gerendum erat. *Semot Raba cap. 9.* * *Iesai.* 24. 21.

IV. Quin & dicere liceat, omnia primo ad Primam causam referri, tanquam proximam; dein ad secundas causas, sive instrumenta; quomodo Deus Amalequitarum injurias per Israëlem ultus sit.

---

## QVÆST. XXVI.

Exod. 18. 2. *Sumsitque Iitro socer Mosis Siphoram uxorem Mosis &c. & duos ejus filios, quorum unius nomen Gerson.*

Iudic. 18. 30. *Et Ionathan filius Gerson filii Manasseh.* Item 1. Chron. 26. 24. *Et Sebuel filius Guerson filii Moseh.*

ORITVR quæstio ex his tribus locis. Nam si constat Gersonem fuisse filium Mosis, quare altero loco appellatur nepos ejus? aut si Ionathan patrem habebat Gersonem, & nepos Menasseh erat: cur in Chronicis Sebuel filius Gersonis, & nepos Mosis vocatur?

### CONCILIATIO.

NONNVLLA certe S. Scripturæ loca adeo obscura sunt, ut absque veterum autorum conciliatione esset, ægre ea expedire possemus. Inter

*cap.8.* cætera hic eſt, de quo in Gemara Baba Batra hæc verba leguntur. Qui bene attenderit, comperiet literam נ Nun, quæ vocabulum מנשה Menaſſeh facit, non æqualiter cum cæteris literis ſcriptam eſſe, ſed E תלויה *Telouiah*, id eſt ſuſpenſum, & quaſi ſeparatum, ut illo eliſo, ſolum tres literæ maneant, quibus conſtat nomen משה idque myſterio haud caret, & facit ad concilianda Scripturæ loca. Quia Ionathan ille filius Gerſonis & nepos Moſis erat; quod ut innueretur tres iſtæ literæ, quæ formant vocabulum Moſis, æqualirer ſcriptæ ſunt; ſed נ Nun inſerto mutatum nomen eſt, honore Moſis, ne ſacerdos idolorum tam ſancti viri nepos diceretur; dein quia operibus malis verè comparandus erat impio Regi Menaſſi. Ideoque Samuel Propheta, qui Iudicum librum ſcripſit, ut in Guemara Baba Batrà traditur, & futura prævidebat, conſultum putavit nominare eum Manaſſis nepotem, quamvis revera Moſis eſſet; deinde, quia peccatorum pœnitentia poſtea ductus eſt, quemadmodum & Rex *Ibid* Menaſſeh, uti notat R. Semuel Elihezer in Hiduſe agadot. Accedit quod vocabulum מנשה Menaſſeh, continet literas nominis משה Moſeh. Ratio autem cur Ionathan iſte in libro Chronicorum vocetur שבאל *Sebuel* eſt, quod poſtea, tempore nimirum Regis Davidis ad Deum converſus eſt, id enim notant hæc *Iud.18.* verba שב אל *ſab, El, rediit ad Deum*. Porro Scriptura ait, eum fuiſſe ſacerdotem *30.* donec caperetur terra; id eſt uſque ad mortem Eli, donec arca Teſtamenti, & multi ex Iſraële capti fuerunt, quia tunc coli illud idolum deſiit. Hanc conciliationem ſequuntur R. Ioſſè Mehir in Midras Sir a-ſirim Rabot, & R, Selomoh, ac R. Dauid Kimhi in gloſſis ſuis.

*cap.8.* II. In Guemara Batra legimus hunc Ionathanem interrogatum cur, cum Moſis nepos eſſet, degener idolorum ſacerdotium ſuſcepiſſet, reſpondiſſe, ab avo ſeſe hoc monitum accepiſſe לעולם ישפיר ארם עצמו לעבודה זרה ואל יצטרך לבריות *Semper elocet homo ſemetipſum cultui extraneo, & ne indigeat creaturis.* Quo audito, interrogantes expoſuiſſe ei quàm perverſè verba illa interpretatus eſſet; & per externum cultum non deſignari idololatriam, ſed ſervitutem aut opificium aliquod inſolens & indecorum huic aut illi; mentem autē Moſis fuiſſe, potius opificio quamvis abjectiſſimo quærendum homini victum, quam ut ſtipem emendicaret. Vnde & Rab ad Rab Cahana dixiſſe ajunt, abi & detrahe pelles cadaveribus in platea, neque dicas, Ego ſum Rab Cahana: etenim illuſtrem ſanguinem poſtponere debes neceſſariæ petitioni. Quibus iutellectis, Ionathanem dicunt reſipuiſſe. Et in Thalmud Hieroſolymitano legimus, Iona- *Berahot cap.9.* thanem non ex animo idolis ſerviiſſe. Vnde R. Semuel Lannadus in Keli Iacar ait, hunc Ionathanem diuerſo reſpectu Moſis & Menaſſis nepotem fuiſſe; nimirum, vulgo hominum qui tantum exteriora vident, eum pro altero nepote Menaſſis propter opera ſua; at Deo, animos heminum introſpicienti, pro Moſis nepote habitum fuiſſe: at ſimulatque mentem dicti illius Moſaici intellexit, anteactorum pœnitentiâ ad Deum ſe vertit, & inde nomen שבואל *Sebuel* accepit.

*ad Berahot cap.9.* R. Semuel Iaphè in opere ſuo Iephe Marhè putabat, hoc idolum non inſtar cæterorum fuiſſe; ſed oraculum, quod futura prædiceret. Ejuſdem generis putat fuiſſe תרפים *Teraphim*, ea forma fabricatas, qua traditar in Pirquè R. *cap. 36.* Elihezer.

QVÆST.

## QVÆSTIO XXVII.

Exo.19.16.*Fuit verò die illo tertio, quũ cœpisset mane, ut essent soni, & fulgura, & nubes densæ super illum montem, sonitusque tubæ vehemens valde.*

1.Reg.19.13. *Non erat in eo vento Deus, post ventum autem illum concussio, non erat in concussione illa Deus, & post concussionem ignis, non erat in eo igne Deus, denique post ignem illum vox silentio tenuis.*

VIDENTVR hæc loca pugnare: nam si ex historia Eliæ constat Deum neq; in vento, nec in concussione, nec in igne fuisse, sed in silentio magno, quid sibi vult, quod dante legem Domino, quo loco stabat, auditi sunt sonores, & tonitrua, ac fulgura atque ignes visi?

### CONCILIATIO.

IN Siphrè, & Ialcut traditur, R.Josahiam qui hanc quæstionem moverat, ad solvendã eam sola hæc verba protulisse, Deo loquente omnes silent. Significat, quando lex dabatur, primo mane sonos & tonitrua audita; quibus cessantibus Deus benedictus apparuit in monte Sinai, sexto die mensis Sivan, medio die vesperæ Sabbathi, ut traditur in Pirque R.Elihezer; & pronuntiatis decem præceptis altum silentium fuit; adeo ut (quemadmodum verbis R. Johanam in Rabot ait R. Abhu) ne aves quidem cantarent, nec animalia vocem ullam ederent. Quod in glossis suis confirmans R.Bahie, ait Mosem videntem Jsraelitas præ timore retrocessisse, eos adhortatum esse, ut monti succederent, & tunc Deum in igne illis apparuisse. Igitur Dominus primo inter strepitus ac sonores cœli, deinde ut Eliæ, in silentio apparuit. *lib.1. art.718* *cap.46.* *cap.29.*

II. R.Jonatan inquit, Loquente Deo, etiam angelos loqui, sed voce humili ac profunda. Quod ex eodem loco colligit, quia non dicitur, *post ignem* silentium, sed *vox silentii*, aut vox tenuis: Vnde probare nititur, quemadmodum radiante sole luna non conspicitur, quia illustrius lumen prævaleat: ita & Domino loquente, id est se cum mortalibus communicante, angelos loqui, & vim suam exserere, sed quæ non sentiatur, ob divinitatis virtutem. Adeò ut juxta hanc sententiam vox silentii improprie ponatur pro influxu angelorum; quos in monte Sinai Domino adstitisse etiam Psalmographus testatur his verbis: *Currus Dei duæ myriades, millia Sinhan Dominus in illis, Sinai in sanctitate.* *Ialcut lib. 1. artic. 718.* *Psalm 68.18.*

*III.* Pia sane sunt, quæ R.Ame in Jalcut supra Psalmos observat. Deus benedictus, ait, Legem in deserto, non in terrã sancta dedit; nam si hoc fecisset, potuissent Jsraëlitæ dicere gentibus mundi, nullam iis partem in lege esse. At quando lex dabatur in deserto, loco omnibus communi, ostendebatur omnibus per eam salvis fieri licere. Fortassis inde sumtum est, quod R.Jehuda Levita narrat: Haberum Regi Cozar respondisse, quotcumque legem susciperent, præmio non cărituros. Eandemque ob caussam supra nominatus R.Ame existimabat, quando lex dabatur, fulgure, ac tonitribus cœlum commotum fuisse, eaque per omnes mundi plagas audita, adeo ut ignorantibus rei caussam profanis *Cozari lib.1. art.27.*

fanis nationibus, multi Reges Bilhamum, Prophetam suum, percunctati sint, quæ miraculi ratio esset, & pararetne Deus novo diluvio mundum obruere? Quibus ille fieri id non posse ob juramentum Dei respondit: sed strepitus illos edi ob Legem in monte Sinai datam. Idque facile iis persuasit, unde exclamarunt: *Dominus robur populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo cum pace.*

Psalm 29. 11.

Hæc proprie, an allegoricè accipienda sint, quia ad institutum nostrum haud faciunt, inquirere non libet: id modò dicimus, quamvis in libro Regum legamus, Deum magis silentio delectari, tamen id nequaquam eum observasse cum legem daret; sed voluisse, ut non solum præsentes, verum & absentes datam eam intelligerent, quò nemo veritatem ejus negare posset. Vnde cum alij hanc rem vidissent, alij audiissent, evenit ut omnes nationes confiterentur Legem à Deo datam esse populo Israelitico, per manus Mosis serui ejus; eoque respiciens S. Scriptura *, (ut notat R. Ioel ben Sueb in Olat Sabat) ait, *Vox magna, neque ulterius perrexit:* quia neque lex alia, neque vox hu c similis unquam edita est. Quin & in Rabot ait R. Iohanan vocem decem præceptorum divisam fuisse in lxx linguas, ut quæque natio eam in lingua propria audiret.

*Deut. 5 22. Par. Iitro. Semot Raba. cap. 5.

IV. R. Tanhuma allegoricè per voces intelligit diversos conceptus uniuscuiusque Israelitæ, ortos ex intellectu divinorum verborum. Vox inquit, exibat & intrabat aures uniuscuiusque Israelitæ pro captu ejus, senum pro captu eorum, iuvenum pro captu eorum, puerorum pro captu eorum, mulierum pro captu earum, & denique Mosis pro captu ejus. Ait R. Iose ben Haninà, si mirum id videtur, considera tantùm mana juvenibus sapuisse panis instar, senibus ut placentæ ex melle, pueris ut lac femineum, unde ait Scriptura, *liquor olei.* Quod si mana, una tantum species, in tam varios sapores conversum fuit, & accommodatum palato uniuscuiusque, quanto magis vox divina eam facultatem habuit? Eadem in sententia fuisse traditur R. Leui ben Gerson; quæ mihi sane admirabilis & divina videtur. Etenim qui aliquam notitiam Cabalæ, sive scientiæ revelatæ, habuerit, facile videbit, quid hæ voces significent, quæ septem fuerunt, respondentes totidem vocibus quarum mentio fit Psalmo xxix. 4. *Vox Domini in potentia, vox Domini in decore* &c. Illæ autem septem voces septuagenas designant, ut supra citatus R. Iohanan adnotavit. nam singuli in septenario numeri denarium includunt. Quamvis autem non desint, qui his vocibus repræsentari existiment totidem scientias lege comprehensas (ut observavit R. Ioel ben Sueb in Noràh Tehilot) altius tamen hæc materia adscendit. Denique affirmat R. Bahie in glossis, & R. Iosuà ben Sueb in sermonibus suis, septem voces Symbolum esse septem canalium, per quos Deus se communicavit cum triplici mundo, senibus, juvenibus, & pueris, illis gradibus uniuscuiusque ingenio & captui sese accommodans, quando neque ipse Moses omnia adsequi poterat. Quia autem, ut supra dixi, per voces allegoricè hic intelliguntur conceptus uniuscuiusque, ait Scriptura, *Et omnis populus videbant voces:* cum dicendum esset *audiebant.* Nam, ut ait R. Moses, voces, sive altissimos conceptus, oculis intellectus videmus. Aut, quod notavit R. Selomoh Alcabes Levita in Ajelet Aabim, * fortassis significatur illis verbis, Legem incorpoream datam esse, pro captu recipientium, adeo ut illud, quod revera videri non poterat, aptaret se oculis aut intellectui.

Semot R. cap. 29.

Psal. 29.

Exod. 20 18. Morch lib. 2 cap. 46. * In Prolog.

V. Ishac Abravanel quoque vult voces metaphoricè designare conceptus

Israelis, hunc in modum egregiè differens. Dupliciter res comprehenduntur, meditatione, quando homo intellectu suo res assequitur; & reuelatione divinâ. Prior via incerta & periculosa est, ideoque repræsentatur sonis, fulgure, nubibus, ac pluvia; voces significant sententias & opiniones, quibus se intellectus adgregat, unam probans, alteram rejiciens: fulgura sunt symbolum intellectus, quia, vix edito lumine, statim evanescunt: nubes & nebulæ similiter imago intellectus sunt, ob summam paucitatem eorum quæ intelligimus, ut vere mens nostra tenebris involuta sit. Sic quoque pluvia, iuxta Psalmographum guttæ sunt; quia ea quæ scimus tantum guttæ sunt, comparatione maris eorum quæ ignoramus. Lex autem, ut in directore observat R. Moses, die nebuloso, ad innuendum impedimentum, sive velum, quod oculis nostris adimit prospectum veri. Adeo ut omnibus illis repræsentetur, quam incerta sint ea, quæ intellectu nostro tantum nituntur. At vocem Sophar *tubæ* validam fuisse dicitur, quia revelata divinitus multo certiora sunt. Vnde Propheta tubæ comparatur apud Iesaiam: *Vt tuba attolle vocem tuam.* Adde quod שופר Sophar derivatur à שפר *Saphar*, id est, *pulchritudo*, quia talis notitia pulchra, perfecta, & efficax est. Ignis verò ipsam Divinitatem denotat, quæ legem observantibus futura esset muri ignei instar, qui omnia fovet & conservat: at transgredientium pœna innuitur fumo, & tremore montis. lib. 3. cap. 9. ca. 58. I

VI. Etiam R. Moseh Alchech has voces allegorice prolatas putat: & in glossis ad Legem, ac Marbot a-sobot, eadem Israeli & Eliæ visa, quæ & Iechezqueli Prophetæ,* nimirum ventum tempestatis, nubem magnam, ignem adhærentem, & Noga, seu claritatem, quæ est vox silentii: quibus verbis significentur quatuor vela quæ nos à divinitate separant. Sed quia difficilis & abstrusa materies est, remitto curiosum lectorem ad illum. *cap. 1. 4

VII. Alii revera voces auditas putant. Quia autem Scriptura, quo loco de Elia loquitur, indicare videtur Deum in silentio esse, ait R. Abraham Salom, quatenus fieri nequeat ut ab uno extremo ad alterũ transeatur, nisi per media, voluisse Dominum, ut validæ voces ederentur, ne postea divinam & terribilem illam vocem audientes percellerentur. Quod si ad tubæ sonum constenrati sunt, quid futurum erat, si à principio Dei vocem tanto validiorem, & magis sonoram audiissent? Neve Salom li. 9 cap. 9.

VII. R. Selomoh Alcabes in Manor a-Leui explicans visionem Eliæ, per ventum furibundum, qui montes evertit, iracundos homines intelligit, qui quicquid ira suggesserit, statim patrant: per tempestates, eos qui lingua tantũ nocent: per ignem eos qui irâ semetipsos incendunt, citra injuriam aliorum. Dein ait, nequaquam in talibus Deum esse, sed in voce silentii, id est, quietis, phlegmaticis, ac mansuetis hominibus. Hoc autem ostento arguit Deus Eliæ nimiam iram, misericordiam commendans. Porro quia iracundus ad prophetiam inhabilis est, iussit eum Dominus ungere in locum suum Elisæum, filium Saphat. Quod si hæc metaphorice accipias, Exodi autem verba proprie, nulla relinquetur pugna. Prolog.

IX. R. Ioseph Albus in Jcarim per ventum, tempestatem, atque ignem, intelligit triplicem mundum; terrestrem, cœlestem, & angelicum: addens Deum ob celsitudinem suam in nullo horum esse, sed loco altiore, ubi silentium fit, nec ullus cum eo loqui possit. lib. 2. cap. 31.

X. Hæc sunt, quæ ex veteribus & recentioribus colligere potuimus: quæ quamvis sufficere debeant ad solvendam quæstionem; libet tamen meam opinionem addere. Ait in directore suo R. Moses, quina esse, quæ hominem prohibeant, quo minus alte penetrare in scientias queat: I. altitudinem conceptuum, II. imbecillitatem intellectus, III. propositiones infinitas quæ requirantur, IV. dispositionem materiæ, V. necessaria avocamenta, ut curas domesticas, uxorem, liberosque, aliaque id genus. Ita & in Scriptura quinque memorantur, voces, fulgura, nubes densa, fumus, & vox tubæ: Deo, ut mihi quidem videtur, antequam Legem daret, indicare volente, quæ impedimenta hominem à scientiis prohiberent. Etenim valida vox Sophar, seu tubæ, altitudinem conceptuum designat: fulgura, infirmitatem, & instabilitatem intellectus humani: fumus montem implens, infinitas propositiones quæ unicuique rei nebulas offundunt: voces, animum non bene dispositum, arrogantiam & superbiam; quia, ut veteres sapientes ajunt, sapientia non manet nisi penes humiles. Denique densa nubes onus domesticum significat, coniugem & liberos. Talibus igitur impeditus homo scientias adsequi nequit, nisi divina accedente gratia, quod denotatur divinitatis accessu ad montem Sinai, postquam jam portenta illa visa erant. Qui plura hanc in rem volet, adeat doctissimum Cabalistam
*lib. ult. R. Mosem Cordoverum, in commentario ad Musaph Ros a-sana & R. Mehir
cap. 30. Gabai, in opere suo Abodat a-codes *.

---

## QVÆSTIO XXVIII.

Exod. 19. 20. *Tum descendit Dominus super montem Sinai.*

Ibid. 20. 22. *Vos vidistis me ex cœlis locutum esse vobiscum.*

SI Dominus ex monte Sinai Israelitas allocutus est, quare ait se ex cœlis cum iis locutum?

### CONCILIATIO.

Psal. 18. R. Ismael in Midras Tehilim, & Ialcut *, hanc quæstionem movens, ter-
*lib. 1. tium producit locum ex Deuteron. cap. IV. 36. *Ex cœlis audire te fecit*
art. 284. *vocem suam, ad castigandum te, & supra terram fecit videre te ignem suū magnum.* Ratus illo tolli pugnam, quæ esse videbatur inter utrumq; quem allegavimus locum. Vnde videre est, sapientes Thalmudis, non (ut quidam sine iudicio Scripturam legentes) Deum corporeum statuisse, qui se ex uno loco in alterum transferret; sed vidisse ex ambobus hisce Scripturæ locis, necessario dicendum esse, Deum non descendere, sive ex altiore loco ad inferiorem transferri: S. Scripturam tamen de eo descendendi vocabulo uti, quia in monte ostenderit magnum ignem, id est, quia ex cœlo, loco altissimo, unde majori virtute agit, communicaverit se in monte Sinai, in quo notabili portento seip-
lib. 1. sum, & vires suas ostendit. Idem sentiens R. Moses in directore suo, ait per
cap. 12. Dei descensum significari ejus influxum in inferiora. Secuti quoque hanc opinionem sunt præter Isacum Abravanelem, & R. Bahie, Ionatan ben Vziel, ac

Anquelos

Anquelos a-ger, quando verba וירד י' *et descendit Dominus*, altius inspicientes paraphrastice transtulerunt ואתגלי י' *& revelatus est Dominus.* denique cum veteres, tum recentes autores, negant Deum in montem descendisse: neque aliud innuit aut R. Iosseh Galilæus in Beresit Raba, aut. R. Iossè in Guemara Succot, *cap. 99.*
dictitans Deum nunquam infra decem descendisse; neque Mosem aut Eliam *cap. 1.*
adscendisse supra decem. Per decem illa intelligit decem gradus, aut currus angelicos, recensitos R. Mosi, nimirum, חיות הקודש אופנים אראלים חשמלים שרפים *In Iad a-*
מלאכים אלים בני אלהים כרובים אישים I. Animalia sanctitatis, II. Rotas, III. supre- *bazaqua*
mos, IV. plenos ignis, V. nuntios, VI. angelos, VII. fortes, VIII. filios Dei, *lib. 1.*
IX. pueros, X. viros. Vel intelligit vel decē illustres ספירות Sephirot, *luces*, aut nu- *cap. 2.*
meros, Cabalistis traditos. Dicere vult, quemadmodum semper sol per duodecim signa cœlestia incedit, nunquam ab iis deflectens; ita & Deum semper se communicare per decem illos gradus, aut illustres creaturas; revelantem se unicuique ex tali loco, qui captum ejus non excedat. Ergo descendere est, exserere ex alto virtutem suam in inferiora. Sic neq; Moses, neq; Elias, adscenderunt ad gradum altiorem decimo, imo ne omnes decem quidem Moses adsecutus est, sed majorem earum partem; nâm prophetia ejus fuit תפארת
i.e. pulchritudo, ut innuit R. Johanan in Beresit Raba, in allegoria putei Jacobi, *cap. 70.*
ex cujus lapide, qui est מלכות, Malcout, ait Jsraelitas audiisse *X* præcepta, quam- *‡ Saar*
vis Mosis prophetia, ut dixi, esset Tipheret. Etiam R. Jsacus Arama *44. 53.*
duobus locis Aqueda‡ exponit hunc locum, & Autor Captor va-ferah *. Denique ** Daras*
etiam R. David Leo *, nonnulla curiose hàc de re annotavit, quæ omittere *Mose*
libet, brevitatis caussa. *maamar*
*115.*
** lib. 1.*
*cap. 25.*

---

## QVÆSTIO XXIX.

Exod. 19.22. *Etiam ipsi sacerdotes, qui ad Dominum appropinquant, seipsos sanctificanto.*

Jbid. 28.1. *Tu autem accedere ad te jube Aharonem fratrem tuum, cum filiis suis, è medio filiorum Israelis, ad serviendum mihi.* Multo demum tempore post sacerdotes electi fuerunt.

## CONCILIATIO.

VOCABVLVM כהן, quod *sacerdos* vertimus, iuxta R. David Kimchi in Radicum libro, datur omnibus cultoribus, non Dei tantum, sed & idolorum. Quod probare facile est, cum & Iitro appelletur כהן מדין *Exod.*
*sacerdos Midian*: & Joseph*[1] dicatur solùm non emisse terras sacerdotum, id *18. 1.*
est, initiatorum, aut ministrorum qui idolis serviebant. Ergo כהן simpliciter ** Genes.*
notat servire, aut ministrare: sacerdotes autem à cultu sanctuarij nomen acce- *47. 22.*
perunt, & se per excellentiam appellaverunt כהנים Kohanim, ministros. Quare cum in Scriptura jubentur Kohanim se sanctificare, intelligendi sunt primogeniti, qui per id tempus fungebantur munere, quod postea sacerdotum fuit. Sic sanè videmus bello adversum Amalequitas ædificatæ à Mose aræ oblationes

a primogenitis impositas; eodemque ii munere perfuncti sunt, quo tempore altari firmamenti ad ima montis exstructo, Israelitæ & Moises ibidem substiterunt, ad audiendam vocem divinam. Adeo ut jure illi potuerint appellari כהנים sacerdotes. Hæc opinio fuit R. Selomonis, & docti Aben Ezræ, dicentis, vocari ipsos propinquantes Deo, quia inter audientes divina mandata, primo in ordine steterint primogeniti, dein principes, postea senes, inde viatores, & qui publica ministeria exsequebantur, tum vulgus, dehinc mulieres cum reliquâ familia, postremo peregrini: Moses autem & Aharon medii inter populum & Deum. Jgitur primogeniti monti proximi erant: possint tamen propinqui etiam vocati esse, ob sacrificia, & oblationes quas adferebant.

*II.* In Mehilta legas, sacerdotes, quorum hic mentio, filios esse Aharonis, qui potentia sacerdotes fuerint: probantibus eam sententiam R. Levi ben Gerson, & R. Bahie. Ego quoque verissimam esse arbitror: nam sæpe per anticipationem in S. S. nomina huic vel illi imponuntur, quæ postea demum accepere. Sic
Gē.2.14 de flumine Hidekel, *Ille est qui labitur ab oriente Assyriam versus*: quamvis illo tempore nulla regio id nomen habuerit. In libro Judicum quoque dicitur;
cap.2.1. *Ascenderat autem angelus Domini à Gilgal ad Bokim*: quamvis postea demum à ploratu Jsraelitarum hic locus ita appellatus sit. Nimirum ita scribere licet illis, qui spiritu divino afflati futura præsciunt. Vnde non mirum Aharonis filios sacerdotes nominari priusquam essent. Placuit quoque utraq; hæc opinio Jsaco Abravaneli.

*III.* Dicere etiam liceat, vocem כהן æquivocam esse, & non sacerdotem modo, verum & principem, aut Dominum notare. Secundo sane Semuelis li-
ca.8.18. bro dicitur ובני דוד כהנים היו *Et filii Davidis Coanim erant*. Manifestum est, cum Dauid sacerdos non fuerit, nec filios ejus esse potuisse: et *Domini* hic transfe-
1. Chro. rendum, probatur verbis Chronicorum, de eadem re, *Filii denique Davidis pri-*
18.17. *marii ad manum Regis*, id est, secundi ab Rege, quippe Principes. Jtaque tutò hic transferas cum divino Jonathan ben Vziel רברבין *magni*, aut *Principes*, faventibus huic sententiæ R. Davide Kimhi, R. Selomone, & R. Levi ben Gerson.
cap. 20. Etiam lib. II. Semuelis, commemoratis sacerdotibus qui fuissent tempore Da-
26. vidis, subjicitur, *Et etiam Hira a-iahri erat coen Davidis*, i.e. Princeps, aut inter
*110.5. optimates. De Davide accipiuntur verba Psalmi* *Tu coen in perpetuum*: Hoc est, caput, & Princeps Jsraelis. Ergo quando coanim se iubentur sanctificare, intellige præcellentes cum scientia, tum dignitate, aliisque rebus: nam & illos puros esse oportebat.

---

## QVÆSTIO XXX.

Exod. 20.3. *Ne facias tibi sculptile.* | Jbid. 25.18. *Et facies duo Cherubin ex auro.*

VIDENTVR hæc mandata Dei pugnare, primo enim severe interdicit, ne qua sculptilia aut similitudinem alicuius rei Jsraelitæ sibi parent; exinde Cherubin ex auro fieri iubet.

CON-

## CONCILIATIO.

FABRICA tabernaculi, ut ex sacris literis discimus, distinguebatur in tres partes, aream, palatium, & sanctum sanctorum; quæ iuxta omnes fere commentatores repræsentant Dei opificium, sive orbem tripliciter distinctum: nimirum, sublunarem nobis habitatum, & proximum ei cœlestem, & supremum, quem Theologi Angelicum, Philosophi intellectualem vocant. Tabernaculi pars quæ area vocatur, mundum hunc sublunarem repræsentat, ad cujus similitudinem patebat desuper, & sine tecto, sine umbra, patens pluviis, soli, calori, & frigori erat: intrabant quoque eam non solum homines mundi & immundi, sacri & profani, verum & omnis generis animalia, eo ad sacrificia cogi solita. Quæ cuncta imago sunt terrestris hujus mundi. Ibidem exstructa erat ara oblationis quadrilatera, ad imitationem quatuor elementorum: & in ea cremabantur ac corrumpebantur membra animalium, quemadmodum omnia è materia corrumpuntur. Quia autem adversus corruptionem ac mortem nullum bonis operibus validius remedium est, eodem in loco lavacrum erat, significans, hominis perfectionem consistere in abstinentia à peccatis, & impuris operibus. Ita & altare terreum expositum aeri, & ignis in eo accendi solitus, cum lavacro, repræsentabant quatuor elementa, ex quibus omnia sublunaria composita sunt. Altera Tabernaculi pars, cui Palatii nomen, medio loco inter aream & sanctum sanctorum sita, imago est cœlestis mundi, qui medius inter supracœlestem, & infracœlestem est. Quam ob caussam ibidem ad austrum, à sinistro intrantium latere, stabat candelabrum aureum, distinctum septem ardentibus lampadibus, quæ denotant motum septem Planetarum. Porrò, in eodem candelabro lampas quæ media & altissima erat, cingebatur tribus hinc & hinc lampadibus, ut & sol in quarto cœlo positus, hinc & inde tres planetas habet; qui eum velut Regem comitantes, obvertunt facies suas in eum à quo lucem accipiunt. Rursus ad Septentrionem, sive ad dextram ingredientium, eodem in loco, collocata erat, mensa cum *XII* panibus facierum, quæ octavum cœlum repręsentabat, in cuius Zodiaco *XII* signa sunt, à quibus dependet mensa, sive victus, & vita inferiorum. Sic quoque mensæ panes bifariam divisi erant, quia semper nos sex signa, & totidem Antipodes nostri vident. Denique ibidem inter mensam & candelabrum ara aurea stabat, significans nonum cœlum, quod purum nec ullis distinctum stellis est. Tertia tabernaculi pars, sanctum sanctorum nuncupata, supracœlestem, sive angelicum mundum, sedem angelorum, & Dei, repræsentat. Etenim quemadmodum illa, cæteris mortalibus clausa soli summo sacerdoti patebat, ita sacrosanctum illum Domini locum nullus ingredi potest, nisi qui totum se divino cultui mancipârit. Hic reposita erat Arca Testamenti, continens tabulas Legis; postea quoque ibidem recondita est virga Aaronis, & mana, significantia Dei in hoc mundo providentiam, qui divina Lege suâ omnia regit, virga potentiæ suæ omnia imperat, & mana gratiæ suæ pascit ac vitam dat huic universo: quæ tria (videlicet Providentia, Iustitia, & Misericordia) præcipuæ Dei virtutes sunt. Arcæ insistebant alati Cherubin, quo denotabatur, angelos ad nutum summi Imperatoris intentos volare, & exsequi ea in hoc mundo, ad quæ delecti sunt. Erant porro Cherubin (ea vox

pu.ros notat) alter maris, alter feminæ forma, & obversa alter in alterum facie, quod significat inter angelos esse caussas & caussata, & dantes virorum, ac recipientes feminarum instar. Quod innuens divinus ille Ionathan ben Vziel Iesaiæ cap. VI. verba illa וקרה זה אל זה *Clamabatque alter ad alterum* paraphrastice transtulit ומקבלין דין מדין *Et recipiebat alter ab altero.* Præterea eo quod Cherubin arcæ insistebant, denotabatur, Deum per angelos spiritum propheticum hominibus dare. Ex his omnibus liquet, Tabernaculum triplicis mundi

*lib. 3.* symbolum fuisse. Tradit quoque Iosephus in Antiquitatibus Iudaicis aream,
*cap. 7.* & palatium, calcata pedibus sacerdotum, repræsentare terram & mare, frequentatum utrumque hominibus; at sanctum sanctorum significasse cœlum, nulli mortalium calcatum. Etiam de ipsis Cherubinis plurima magistri nostri differunt, quos inter R. Levi ben Gerson statuit, denotasse eos intellectum pa-
*Olat Sa-* tientem & agentem. R. Ioel ben Sueb practicum, & contemplativum; R. Bahie
*bat Par.* animam & intellectum. Etiam Philo Hebræus doctè de iis scribit, & omnes uno
*Teruma.* ore autores volunt, magnæ alicujus rei symbolum eos fuisse, quamvis recepta
** lib. de* maxime opinio sit quam supra retulimus. R. Moses in directore ait, quia illis
*Profugis,* temporibus viguerit pessima opinio Zabà, (sentiebat is ante omnia & ab æterno
*& rerū* exstitisse sphæram ac stellas, quarum virtute profani homines oracula edebant,
*divinar.* rati ex cœlestibus potentiis venire bonum omne, & prophetias) Deum ut ab
*hæres.* hoc errore populum suum liberaret, primum repræsentato sphærico mundo, per
*lib. 3.* Cherubinos angelicum mundum repræsentasse, ut inde colligerent sphæris sub-
*cap. 45.* limius aliquid esse, per quod Dominus se humano generi revelaret. Ne autem putarent, Primam caussam designari, non unum Cherub, sed duos fieri jussisse, qui principium sint plurium numeri. Etenim cognito dogmate de uno tantum
*Deut. 6.* Deo, quod Moses confirmasset hisce verbis: *Audi Israel, Dominus noster Deus,*
*4.* *Dominus unus:* facile eos intellecturos fuisse, per duos Cherubin, infinitum an-
*fol. 19.* gelorum numerum significari. Ergo, uti etiam observat autor Zori a-jagon, Cherubin denotabant mundum angelicum. Cum autem alibi Dominus vetat imagines fieri, prohibet eas adorari tanquam Deos, aut haberi pro conciliatoribus hominum & primæ caussæ: unde ait S. Scriptura, *Ne te incurves iis, neque colas ea.* At Cherubin præterquam quod alio fine facti, etiam collocati erant loco secretissimo, quo semel tantum quotannis intrare magno sacerdoti licebat: adeo ut ne cernerentur quidem à vulgo, multo minus colerentur.

*Aquedà* II. R. Ishac Arama, Prohibetur hoc loco, inquit, ne quis imaginem fa-
*Saar 45* ciat eorum, quæ in cœlis, terrà, aut aquis sunt. Ait enim Scriptura; *Ne facias*
*& 48.* *tibi sculptile, ullam similitudinem eorum quæ in cœlis sunt supra, aut quæ in terra infra, aut quæ in aquis sunt infra terram.* Videmus manifeste interdici, necuius creaturæ imaginē faciamus, sive angelica, seu cœlestis, seu terrestris, sive aquatica sit; quia simulachrū rei à Deo creatæ, facere non licebat protuberāte forma: at rerum quæ reipsa non sunt, sed finguntur (ut traditur in Gemara Aboda zara, & respondent Posquim) imaginem omnem facere licet. Adeò ut præceptum de fabricandis Cherubin non adversetur priori mandato, quatenus in mundo nullus homo alatus reperitur: quamvis divina scientia, quia angeli repræsentandi erant, iusserit eos fieri meliori formà, quàm homines ullam noverunt, nimirum sua, uti quoque observavit Aben Ezra ad cap. XXXIII Exodi.

Ad differentiam tamen jussit alas addi, quia (ut inquiebat David) desiderabilis hominibus res erat: aut ad denotandam velocitatem, quâ ex uno loco se in alterum transferunt, iuxta mandata divina. Vnde in Gemara Berahot dicitur angelum Michaëlem una alà volare, Gabrielem duabus; quia opera misericordiæ, quæ Michael exsequitur, multo majori celeritate peraguntur, quam rigoris, cujus minister Gabriel est, ut diviné notavit R. Selomo Alcabes in libro suo Sores Isai.

*Psal. 55. 7.*
*cap. 1.*
*fol. 40.*

III. Dicere quoque possimus, legislatorem legi non esse subjectum: quomodo Dominus, Sabbatho ignem attingi interdicens, nihilominus in tabernaculo accendi ignem ad sacrificia jussit. Idem quoque texta ex lana & lino, quæ gestare cæteros prohibuerat, sacerdotibus concessit. Matrimonium cum uxore fratris interdictum, illo mortuo, permisit. Vetuit quoque exterum accedere ad peragendum sacrificium, & tamen Gideonem, quamvis sacerdos non esset, sacrificare jussit. Puritatem ac sanctimoniam semper inculcans, Oseam meretricem uxorem sumere jussit, si proprie ea verba accipienda sunt, quod in Gemara Pesahim volunt sapientes. Ergo & Deus, prohibito, ne privati sibi imagines facerent, eximere huic præcepto tabernaculum potuit. Neque ideo Hebræi sat caussæ sibi esse putarunt ad fabricanda simulachra, sed semper acerrime obstiterunt imperatoribus suis imagines in templo reponere cupientibus. Vnde Cornelii Taciti vanitas patescit, qui libro quinto historiarum, iumenti eos caput adorasse tradit, quod per deserta errantes, & siti afflicti, duce asino, qui forte occurrisset, aquas reperissent. Quà in re non suam modò ignorantiam prodidit, verum & odium. Etenim, ut recte observatū Tertulliano, cogitare debuerat, scripsisse se, ingredientem Hierosolyma Pompeium, nullam in templo imaginem reperisse. Adeo nimirum turpiter errat, qui affectibus abreptus, ne veritatis quidem curà ducitur.

*cap. 8.*
*apolog. cap. 16.*

---

## QVÆST. XXXI.

Exod. 20. 3. *In aquis infra terram.* Item Psalmo 24. 2. *Nam ipse super maria fundavit illam.* Ibid. 136. 6. *Qui expandit terram super aquas.*

Psalm. 104. 5. *Fundavit terram super bases ejus.*

CVM ex verbis Exodi colligi videatur, terram supra aquas fundatam esse, quare in Psalmis eam supra bases suas fundatam dicitur, & quid per bases illas intelligendum est?

## CONCILIATIO.

SPhæra, juxta Philosophos, corpus solidū est, medio sui punctum habens, quod centrum nuncupant, idque linea recta, quam axem vocant, secatur. Puncta vero duo, in quibus finitur linea illa, polos appellant, quia circum eos terra volvitur. Tota autem hæc universi machina solida est, quia, ut testatur Aristoteles, natura non patitur vacuum; præterea & rotunda, propter superficiem

externam

externam altissimi cœli. Sphæra autem illa in elementarem & cœlestem dividitur. Prior quatuor partes habet, sive quatuor elementa: nam primò terra est, gravior cæteris, dein aqua, tertio aër, deniq; sublimi maximè loco elementum ignis est, qui ad cœlum Lunæ usque pertingit. Secunda pars cœlestis, ab nonnullis in decem, ab aliis in undecim cœlos dividitur. Sed hoc, quia extra institutum nostrum est, prætcrimus. Igitur cum hinc manifeste videamus, elementum terræ, tanquam gravissimum, primum esse, verba Scripturæ, cum ait terram supra aquas fundatam, non ad naturam ejus referenda sunt, quasi ita creata sit, sed ad divinam providentiam, quæ ad servanda animalia, voluit partem terræ ex aquis eminere, unde Genes. cap. 1. 9. *Congregentur aquæ in unum locum, & appareat arida.* Hac sanè in opinione fuit quoque R. Iehuda Levita in Cozari ad verba Psalmographi *, *Abysso ut indumento operueras eam:* nimirum terram. Et paullo post, *Terminum opposuisti, ne transeant:* significans, aquas naturâ sua, quippe elementum maxime agile, terram circumdare; at hanc divinâ providentiâ eminere. Quod & altero loco indicat: *congerit quasi cumulum aquas maris, disponit in thesauris abyssos.* Itaque, ut recte observabat doctus Aben Ezra, terra & aqua simul sphæram faciunt: nec opus admittere, quod Thales Milesius ajebat, terram aquis sustentari, perinde atque trabes iisdem innatant. Et nequis verba illa, *fundavit terram supra bases suas:* adversari nostræ opinioni existimet, attendere cum R. David Kimhi oportet, Psalmographum hoc loco dare rationem, cur terra, *suspensa,* ut Iob ait, *supra nihilum*, nec in hanc, nec in illam partem inclinet. Itaque huic rei illustrandæ ait, eam, quamvis gravem, qualia à natura descendant, tamen quia centrum sphæræ est, cujus circumferentia sit cœlum, moveri non posse: nam id si fieret, casus terræ, qui nobis esset descensus, antipodibus adscensus foret. Et hinc ait illam supra bases suas fundatam.

*lib. 5. art. 10.* * *Psalm. 104. 6.* *Ibid. 33. 7.* *ca. 26. 7.*

---

## QVÆSTIO *XXXII.*

Exod. 20. 5. *Ne te incurves iis, neque iis servias.*

Iosu. 5. 14. *Qui dixit, neutrum; nam ego princeps militiæ Domini, modo veni: quamobrem procidens Ieoschuah super faciem suam in terram, incurvavit se.*

*Par. Itro.*

PRæcepto hoc, quo vetat Deus alios Deos coli, prohibetur qualiscumque cultus alteri quam Primæ caussæ exhibitus: vox autem אלהים *Eloim*, ut veteres sapientes in Mehilta, & doctus R. Moses Gerundensis observant, sæpe pro angelis ponitur: ut Psalmo 136. 2. *Laudate Deum deorum*, i. e. angelorum: & Jitro, *Nunc*, inquit, *scio Dominum majorem esse omnibus diis.* Idem aliis locis adstruere possim. Quoniam autem fuere, qui, tametsi primam caussam non negarent, tamen angelis, ac cœlestibus potentiis, cultum deferendum esse ob dignitatem eorum putarent, tanquam conciliatoribus inter Deum ac homines; summus creator, ad exstirpandam hanc idololatriam, vetuit ante faciē suam haberi Deos alios, i. e. poni conciliatores inter se & hominem; uti quoque observavit R. Io-

R. Ioseph Albus in Icarim. Hæc si vera expositio ejus loci est, & per Deos alios angeli intelliguntur, quæri possit, cur Ieosua se angelo incurvans non peccaverit. *lib. 3. cap. 18.*

## CONCILIATIO.

IN arduo non est solvere hanc quæstionem: nam, ut ait idem R. Ioseph Albus, licet angelis loqui ex personà ejus, qui misit, quia separati sunt à materia, & liberi ab affectibus humanis, odio, ira, invidia; uti & propterea, quòd electionem suam non nisi ad bonum dirigunt. Vnde angelus ad Agar, *multiplicando*, inquit, *multiplicabo semen tuum*; ad Abraham: *revertendo revertar ad te*: ad Iahacob: *Ego Deus Bethel*. Aliis quoque multis locis notare licet, angelum loqui ac si ipsa prima caussa esset. Itaque is qui angelum adorat ob propriam ejus potentiam, sanè idololatra est: at non ille, qui in eo veneratur Deum, à quo missus est. Perinde atque in legato veneramur Regem, cujus nomine venit, & loquitur. Sic & Ieosua, angelum Dei caussà adorans, non peccavit. *lib. 2. cap. 28. Gen. 22 17. Ibid. 18. 10. Ibid. 31. 13.*

---

## QVÆSTIO XXXIII.

| | |
|---|---|
| Exo. 20. 4. *Visitans iniquitatem patrum in filios.* | Deut. 24. 16. *Non morientur patres pro filiis, nec filii pro patribus.* Item Iehezq. 18. 19. *Filius non tollet peccatum parentis.* |

NON modò hæc loca inter se contraria videntur; sed &, si bene sacras historias consideremus, iudicabimus ea prorsus pugnare. Quia alibi legimus, Deum parentis delicta in filium vindicasse. Sic David suspendit liberos Saulis ob peccatum patris: & propter Hacan *, filii morte affecti sunt. Alibi rursum disertim traditur, non morituros filios ob peccata parentum; & comperimus, Amasiam Regem Iehuda, percussores parentis sui interfecisse, non autem liberos eorum: quo loco additur, factum id iuxta legem Mosaicam. Quæstio ergo est, quomodo hæc conciliari possint. *2. Sem. 21. 8. * Ieos. 7. 24. 2. Reg. 14. 6. 2. Chro. 25. 4.*

## CONCILIATIO.

IN Gemara Berahot scriptum est, Deum, quando liberi parentum pravitatem imitantur, in illis non propria modò, verum & parentum delicta punire. Quà in re distinguere oportet. Etenim si filii parente peiores sint, castigatio ad tertiam generationem extenditur; ut in stirpe Zimri evenit: at si pravitate pares sint, ad quartam generationem. Cuius rei exemplum in Iehu stirpe habemus; quemadmodum R. Obadias Sphornus colligit ex versu, in nepotes & abnepotes. Sed hoc, ut dixi, in pravis filiis locum habet; qui si boni sint, verum est, quod altero loco dicitur; nimirum, nec filium ob parentis, nec hunc ob filii peccata mori. Eadem in opinione fuerunt divini viri Ionatan ben Vziel, & Anquelos a-ger, paraphrastice transferentes בנין מרדין *filii rebelles*: quibus verbis osten- *cap. 1.*

ostendunt, patrum delicta in pravis filiis castigari. Quin is sensus ex ipsis S. Scripturæ verbis peti videtur, cum ait, *visitans delicta patrum in filios, in nepotes, & abnepotes eorum, qui oderunt me.* Eandem opinionem sequitur R. Selomoh, & doctus Aben Ezrah: quando, inquit, filius, nepos, & abnepos in pravitate perseverant, respiciens universa peccata, quartam generationem exstirpat;
cap. 26. 39. adeo ut nulla ejus memoria maneat; unde in Levit. *Etiam propter iniquitates patrum suorum cum ipsis tabescent.*

* cap. 3. II. In Gemara Sanhedrin * similiter legimus, quando liberi pravi sunt, Deum delicta parentum in iis punire: at cum nec patrem propter filium, nec filium ob patrem moriturum dicitur, significari, iudices neque patrem ob testimonium filii, neque hunc ob parentis accusationem, capitis damnaturos; quia, ut Ishac Abravanel ait, naturæ illud adversatur; cum patris & filii sit invicem defendere; Par. Tesé Quæst. 74. quod & in aliis propinquis locum habet, ut in Siphrà traditur. Eam conciliationem R. Bahie, R. Levi ben Gerson, & R. Levi ben Habib in Quæstionibus suis amplectuntur.

III. R. David Kimhi ad historiam filiorum Saulis ait, Deus liberos ob parentum delicta ipse punit: at judices patrem filii, aut hunc illius causa, non condemnant: quoniam Deus introspiciens animos hominum, quando cognoscit filium paternæ pravitatis æmulum esse, castigare eum potest: at hominibus, qui facile falluntur, idem non licet: nam sæpe, quod pessimum illi iudicant, Deus probat. R. Obadias Sphornus, hanc solutionem approbans, quandoquidem, inquit, sæpe Reges gentiles filios ob parentum delicta puniunt, ne adversum se conspirent; Deus, hostis iniquitatis, edixit, ne morem hunc Israelis Reges sequerentur, neu parentis delictum filius lueret. Cujus præcepti memor Rex Amasias, percussorum liberos pœnà non affecit. Habet hæc sententia faventem Aben Ezram.

Tehila le David lib. 3. cap 3. lib. 1. cap. 36. IV. R. Moses Gerundensis, & David Leo, solam parentis idololatriam à Deo puniri in filio putant; idque ex hisce S.S. verbis colligi: *Visitans iniquitatem parentum in filios, in nepotes, & abnepotes eorum qui me odio prosequuntur.* Quia vocabulum שׂנא *sonè, odio prosequens*, ut in directore ait R. Moses, de solo idololatrà usurpatur. Vnde vult Dominus, viros civitatis, quando in idololatram insurgunt, occidere & illum, & filios, & nepotes atque abnepotes ejus, usque ad quartam generationem; id est, omnem stirpem quam habere potest, ne ulla deinceps aut hominis, aut peccati, memoria sit. At ob cætera peccata nec pater pro filio, neque hic pro patre punitur. Igitur hoc modo quamvis utraque pœna ab hominibus inrogetur, nulla tamen pugna relinquitur inter utrumque S. Exo. 20. 6. Scripturæ locum. Adstrui hæc expositio posset verbis Scripturæ, cum ait, *eorum qui diligunt me, & observant mandata mea:* quæ accipienda sunt de illis, qui universe omnia Dei præcepta servant: at in pœnæ denuntiatione tantum ait, *eorum qui me odio prosequuntur:* quia nullus vocatur inimicus Dei, multo minus ob parentis peccatum castigabitur, præter idololatram.

V. Theologi verò Cabalistæ, qui transmigrare animas statuunt, non temere aliquem nullius, ut videatur, culpæ reum, gravia mala pati putant; ut qui distorto aut misere affecto corpore nascuntur, vel in infantia morbis atrocissimis vexati, tandem & miseri defunguntur; sed mori tales ob peccatum parentis, id est, ob peccatum in alio corpore commissum, quod hujus pater appelletur;

tametsi

rametsi alio respectu, unum corpus pro alio non moriatur. Sententiam etiam Ecclesiastes, ut hanc putat R. Moses Gerundensis, principio operis sui attigit, his verbis, *generatio abit, & generatio venit.* Nos transmittere eam materiem malumus. *Eccles. 1.4.*

VI. Dicere etiam liceat, filium, quamdiu annum decimumtertium non attigit, ut pluribus locis in Thalmud dicitur, censeri inter facultates parentis, ideoque ob ejus peccatum mori: unde ait Oseas IX.12. *Quod si educaverint filios, ita eos orbabo ab homine.* Neque id, si audimus R. Simeonem bar Semah, rationi repugnat; quia, quemadmodum pœna est amissio facultatum, ita & orbatio filiorum, qui habentur tanquam membra hominis. Ergo Deus delictum patris vindicat in filio, donec parvus est; qui ubi adoleverit, non plectitur ob peccata eius, uti etiam traditur in Siphrè. *Oeb mispat cap 7. Pa. Tesse cap. 8.*

Superest ut rationem reddamus, cur filii Saulis & Hacanis ob peccata parentum extincti sint. Primo quidem, ut in Guemara Iebamot traditur, præstat unum è præceptis legis violari, quam profanari nomen Domini. Nam veteres sapientes putabant, filios Saulis innocentes, & contra Legem morte affectos esse, quæ filios parentum peccata luere non vult; sed & cadavera per noctem in cruce relinqui vetat*, cum tamen David filios Saulis per septem menses in eâ reliquerit, à decimosexto die mensis Nisan, usque ad septimū decimum Marhesvan. Nimirum, quia satius putaret, unum ex DCXIII præceptis violari, quam pati, ut violato nomine divino, diceretur, Israelitas fidem ac jusiurandum datum frangere. Quod quia Gibeonitis dederant ac violarant, facile hi suspicaturi erant, hoc Lege illis licere. Idque magnopere ad gloriam Dei pertinebat: nam, ut in eadem Gemara traditur, multi è gentibus, cum tantam sanctimoniam viderent, Iudaicam religionem susceperunt: quippe cogitabant, si Gibeonitis, populo vili, qui per fraudem Ieosuam ad jusiurandum impulissent, David ita in omnibus satisfaceret, multo majora eum facturum pro his, qui sine fraude aut dolo se illorum tutelæ permitterent. Igitur eatenus Legem David transgressus est. Quin & fieri potest, ut annotat R. David Kimhi, ut filii Saulis ipsi fuerint inter eversores Gibeonitarum; quomodo ob propria peccata puniti sint: uti filii Hacanis, quemadmodum traditur in Pirquè R. Elihezer cap. XXXIX, participes sceleris fuere; quia furto animadverso illud non enuntiaverant, sed occultarant. Aut denique, si id placet, dicere possis, quemadmodum supra ajebam, Deum, qui animos hominum novit, posse parentum peccata in filios vindicare. **Deut. 21. 23.*

---

## QVÆSTIO XXXIV.

Exod. 20. 5. *Exerceo autem benignitatem in millesimos eorum, qui me diligunt.* Item Deut. 5. 10.

Malahi. 1. 3. *Et amavi Iacobum, Esavum autem odio prosecutus sum.*

SI in millesimum eorum, qui se amant, Dominus benignitatem exercet, quare ita oderat Esavum, nepotem Abrahami, quem ipse per Prophetam vocat amicum, dicens: semen Abrahami amici mei? *Iesai. 41. 8.*

## CONCILIATIO.

EX iis, quæ superiori quæstione diximus, facile est hanc quæstionem solvere; quia ut parentum delicta à Deo vindicantur in liberos, si mali sint, ita gratiam idem exercet in millesimam generationem, quando bonos & sui reverentes esse eosdem videt. Nam recordatione pietatis majorum, multo liberalius omnibus eos bonis auget. Quare Esavum impium necessariò Deus oderat. Quà in re, ut notat R. Selomoh, videmus, quantopere Dei clementia superet justitiam ejus: nam qui in quartam generationem se vindicaturum delicta denuntiat, gratiã in millesimos promittit; id est, duo millia: adeò ut collata inter se gratia & vindicta, quingenti bono fruentes opponantur uni, qui pœnam patitur. Vnde Psalmographus: *Quam magna est misericordia tua supra cœlos.* *Psalm 108. 8.*

## QVÆST. XXXV.

Exod. 20. 7. *Mementote diei sabbathi ut eum sanctificetis.*

Iesai. 1. 13. *Suffitus abominationis mihi est, neomenia, & Sabbathum.*

MANIFESTE hæc pugnare videntur; in decalogo coli sabbathum jubet Deus; contrà Iesaias cultum ejus diei ingratum Deo ait.

## CONCILIATIO.

*A queda cap. 55.* SAbbathum, juxta R. Ishacum Arama, tria repræsentat, & tres articulos aut capita fidei animis nostris imprimit; primò, mundum creatum esse, contra opinionem Aristotelis, qui ab æterno fuisse eum existimabat: nam ait Scriptura: *Mementote diei sabbathi, ut sanctificetis eum, quia sex diebus creavit Dominus cœlum & terram, & septimo die quievit.* Eamque ob caussam (si R. Selomonem ben Aderet in libro Quæstionum audimus) dixit Psalmographus, *Testimonium Dei certum est, & insulso sapientiam dat*; i. Philosopho, qui omni scientià exhaustà, nequivit tamen veritatem hujus rei adsequi. Secundus articulus est; Sabbathum, diem quietis, repræsentare mundum veræ quietis & gaudii; quem vocamus עולם הנשמות *mundum animarum*: ubi consummatis miseriis hujus mundi (nam quicquid infra lunare cœlum est, etiam Plato infernum nuncupabat) æternà felicitate gaudebimus. Septem autem dies, septem denarios vitæ nostræ significant, unde Psalm. 90. 10. *dies annorum nostrorum in ijs LXX anni.* Et quemadmodum Veneris die magnà curà præparamus, quæcumque ad sabbathum requiruntur; ita LX illis annis opus est, hominem omnia, quæcumque ad vitam corrigendam faciunt, colligere, ut ad metam pervenienti quies & felicitas semper duratura concedatur. Ad hæc, ut ait R. Iosephus sarphati in Iad Ioseph, quemadmodum Veneris diem nullo spatio interjecto excipit Sabbathum, ita hujus vitæ laborem confestim sequitur gaudium alterius. Tertius articulus fidei, quem nobis Sabbathum inculcat, est studium divinarum literarum,

*Arisba Quæst. 9.*

*Psal. 19. 8.*

*Par Vaijcra serm. 2.*

cui

cui illo die incumbendum est. Nam notabilis error est, putare, otii ergò sabbathum institutum esse. Etenim cum otium mater sit omnium vitiorum, plus sanè ex Sabbatho mali, quam boni proveniret. Quare omnino statuere oportet, sabbathum institutum esse, ut homo expeditus, ac sepositis tam animi quam corporis curis, semet totum Legis studio applicaret, Synagogas, Academias adiret, de gravibus locis S. Scripturæ, de arduis, quas ignorat, quæstionibus, suos interrogaret. Vnde disertim in Thalmud Hierosolymitano dicitur, Sabbatha, & dies festos, Israelitis nonnisi ad meditandum in Lege datos esse. Idem etiam inferre est ex eo, quod in Gemara Sucot dicitur, cum Sunamitis *cap.* 2.
quædam filio moriente, Prophetam quæreret, maritum arguisse eam, rogantem, quo fine id faceret, cum nec neomenia, nec Sabbathum esset. Etenim iam tunc receptum fuisse videtur, ut quisque de rebus intricatis *Iad. Ios.*
prophetas ac sapientes interrogaret. Sabbatum, ut notat R. Iosephus *Par.*
Sarfati, ad sanctificandum observari lex jubet; etiam R. Moses, tradente *Iitro.*
in glossis suis R. Bahie, ex verbis, *dies septimus Sabbathum est Domino Deo* *Serē.* 4.
*tuo*; colligit totum hunc diem cultui divino dedicandum, non autem epulis, aut colloquiis, quæ sæpe non modo fructu carent, verùm & sermones inutiles habent, quis proximus offendatur, aut ira ac vindictæ ignis accendatur; quem *Exod.* 35. 3.
ignem, morali expositione, vetat Dominus accendi Sabbatho. Adeo ut hebdomadæ fructus, quemadmodū observat R. Iehuda Levita*, sit sabbathum; cujus *Cuzar. lib.* 2. *artic.* 8.
benedictio illa est, quod sacris meditationibus homo Numini copulatur, uti scribunt R. Aben Ezra, & R. Moses Gerundensis. Igitur Sabbathum observari eo modo, & fine, quo institutum est, Deo placet. At Iesaiæ temporibus, cum Israel nihil aliud, quàm corporis voluptates quæreret; non injuria Dominus dixit, *novilunia & sabbathum convocare convocationem.* quo significat, nihil ea præter inane nomen apud eos esse: at opera, quæ facerent talibus diebus, minime convenire. Ergo, ut loca Scripturæ cōcilientur, dico Dominū abhorrere sabbatha impiorum; cæterum ubi piè ea coluntur, nihil illi gratius esse. Idque satis vel unum *Saar ahaaba. cap.* 5.
hoc approbaverit, quod non in oblivionem abiit Sabbathi nomen, sed apud omnes gentes continuatur, ut rectè notavit R. Eliahu vitalis in Resit hohma*. Hinc ait Aben Ezra ad *XVI* cap. Exod. incircumcisos sex reliquos hebdomadæ dies à planetis, quæ iis prædominentur, denominare, septimo autē servare Sabbathi nomen. Ne Agareni quidem, Veneris diem religiosissime colentes, quem *Exod.*
Algama vocant, Sabatho nomen suum eripuerunt: haud dubiè ita providente 31. 13.
Deo, ut omnium animis æternitas ejus imprimeretur: *nam signum hoc inter me, & inter vos, in vestras generationes,* inquit Dominus.

---

## QVÆSTIO *XXXVI.*

| | |
|---|---|
| Exod. 20. 7. *Memento diei Sabbathi.* | Deut. 5. 12. *Servate diem Sabbathi.* |

CVM decem præcepta ipsius Dei ore prolata sint; quid sibi vult, quod in Exodo memoria, in Deuteronomio, mutato vocabulo, observatio Sabbathi præcipitur; quæve ratio est mutatæ hujus vocis?

## CONCILIATIO.

*Par. Itro* VEteres sapientes, differentia hàc observatâ, in Mehilta inquiunt, *Memores este, & servate, uno verbo dictum est.* Quod, ut recte notavit R. Abraham Aben Ezra, non ad literam accipiendum est. Etenim quamvis concederemus, divinum sermonem ab humano differre, atque idem præceptum aliis atque aliis verbis efferri posse; nihilominus relinqueretur difficultas ista, quod utraque simul verba audire Israelitæ nequiuerint. Nam necessario primum audienda erat vox זכור *Zachor* memorem esse, dein שמור *Samor*, custodire; quando in una eademque voce ipsæ literæ, & multo magis syllabæ successivè audiuntur. Iccirco supra citatus autor, Rabnicum illud dictum emphasin habere, & majus aliquid significare existimat; nimirum, servationem à memoria pendere. Quippe ad servandum Sabbathum scire oportet, quis dies hebdomadæ sit. Vnde statuit, dicere veteres magistros voluisse, Israelitas, quando in monte Sinai audirent verba illa, *mementote diei Sabbathi*, omnes intellexisse ideo præcipi memoriam, ut diem illum servarent: adeo ut hac ratione unum verbum utrumque incluserit: ac Moses pro mementote dixit servate, ad solum sensum attendens, usitato Prophetis more, qui semper mentem Scripturæ, non autem verba considerant.

*Mehiltà Par. litro.* II. Jidem quoque veteres sapientes notaverunt, Sabbathum significare creationem mundi; quietem autem ejus, parvam quietem, quæ Jsraelitis in Ægypto concessa fuerat. Ideoque in decalogo dici, *mementote diei sabbathi*, ut memores essent rei antiquissimæ, scilicet creationis mundi: quamobrem subiici, *Quia sex diebus creavit Dominus cœlum & terram:* at quietem, quæ illo die capitur, respicere verba, *servate diem sabbathi:* dein rationem reddi, ut gauderent, his verbis, *recordaberis servum te fuisse in Ægypto*; ac si diceret, cogita in Ægypto, ubi serviebas, etiam ipso Sabbatho per vim te coactum ad labores. Secundum hanc observationem, cum ajunt sapientes recordari & custodire simul dicta esse, significant, Sabbathi duas caussas esse, creationem mundi, & servitutem in Ægypto.

III. R. Elhazar, quem secutus est R. Selomoh, inquit ibidem, sabathi quisq; recordari jubetur, ut illud observet; i.e. si medio hebdomadis exquisitiorem cibum paraverit, ut eum servet, ad honorandum Sabbathum. Quemadmodum
*cap. 2.* in Guemara Bessa narratur, Samaium senem, comedisse quotidie ad honorem Sabbathi: etenim primo hebdomadis die cum selectum piscem, aut simile quid apparasset, dixisse, hoc Sabbatho reservetur; dein secundo die melius aliquid accepisse, ac priore comesto, illud Sabbatho servasse; eodemque modo singulis diebus egisse, donec quod optimū habebat, Sabbatho relinqueretur. Ergo, Dominus jubet Israelitas per totam hebdomadem sabbathi recordari, ut illud magnis cæremonijs colerent: idque in Deuteronomio Moses repetiit: quod
*Par. Vaethanan.* perinde est, ac si simul utrumque verbum protulisset.

IV. In Pesicata Zutratà per *Recordari* intelligitur memoria ejus, quæ fit in in Kidus, aut vase vini, vespera Sabbathi; per *Servare* autem observatio diei; quod utrumque Mosi simul significatum fuit.

V. Sapiens R. Moses Gerundensis ait, duplex præceptum habere nos circa Sabba-

Sabbathum; nimirum jubens, ut eo lætemur, & vetans, ne laboremus: adeo ut *Recordari*, sit, memorem esse ejus diei ad sanctificandum illum, *custodire* autem, cavere ne profanetur opere aliquo. Quoniam verò hoc præceptum contineat mandatum & interdictum, eo etiam veteres dixisse hæc vocabula simul prolata.

V I. Rab Ishacus Arama, in hoc præcepto Sabbathi, inquit, duo consideranda sunt; quies & lætitia, qua nos illo die Deus frui jubet; ac intermissio omnis operis. Neque ex primo secundum sequitur: etenim possit dicere quispiam, cum Deus lætitiā præcipit, non vetari ab eo omne opus, sed tantum illud, quod grave sit; quatenus illius consilium fuerit, ne isto die semet homo fatigaret; ac proin talia, quæ sine molestia peraguntur, licita tunc esse. Ob id secunda pars præcepti ait, nullum opus facias; quis verbis qualescumque labores prohibentur. Igitur gaudium repræsentat vox Recordari, intermissionem operis vocabulum servare: nam est perinde ac si dixisset, cave ne facias, &c. Quoniam autem intermissionem operis lætitia & oblectatio sequuntur; tantundem est ac si duæ hæ voces simul prolatæ fuissent.

*Aqueda Saar 55*

V I I. R. Elihezer Azquenazi ait, Quantum ad corporis exercitia, sabathi die homo quiescit, non item anima; nam hic dies meditationibus piis dedicatus est. Ideoque respiciens ad corporis quietem S.S. inquit, *Recordare*, nimirum creationem mundi; at quia meditationibus spem concipimus æternæ lætitiæ in altero mundo, cujus symbolum est sabbathum (uti & notavit autor Maamar a-Sehel) usurpatur vox שמר, quæ itidem verti potest, *spera.* ut, ואביו שמר את הדבר & *pater ejus speravit rem illam.* Et quia unum ab altero dependet, est ac si utrumque simul dictum esset.

*Maasse tora cap. 7.* *pag. 30.*

V I I I. Rab Iehuda bar Besalhel, in Geburot a-Sem, & R. Ephraim in Keli jacar, acute dicunt, Recordatio sabathi humanum genus spectat, ideoque subjicitur, *Quia sex diebus fecit Dominus cœlum*, &c. propterea quod credere debent creatum mundum; at servatio ejusdem solum spectat Israelem: quod demonstraturus causam addit, servitutem in Ægypto. Quandoquidem verò observari nequit, nisi simul quoque memoria teneatur, dicuntur duo illa vocabula eodem tempore prolata.

*cap. 45.*

I X. Ego ad expediendam hanc difficultatem dixerim, (quemadmodum recte Tornoropho respondit R. Aquiba) duo testimonia esse Sabbathi à Deo sanctificati. Prius est flumen Sabbaticum, cujus mentio fit in Thalmude Babylonio, Hierosolymitano*, Rabat,† et Ialcut.‡ Josephus* quoque, magnæ autoritatis & fidei historiographus, narrat, Titum, Assyriorum urbes transeuntem, substitisse ad videndum hunc fluvium, qui, mirabile dictu, violentum cursum finitis sex quibusque diebus sponte sistebat, posteaque rursum priore modo repetebat; unde & nomen accepit Sabbatici, à quiete qua septimo quoque die fruebatur. R. Moses Gerundensis vult, fluvium hunc esse גוזן Gozan, ad quem decem tribus captivæ abductæ sunt, qua captivitate veniente Messia liberabuntur. Et juxta veteres sapientes, de his qui sunt trans flumen, quod vulgo vocatur Flumē lapidum, prolata sunt verba Iesaiæ cap. xlix. 9. לאמר לאסורים צאו *Dicendo vinctis, exite.* Alterum sanctificati Sabbathi testimonium idem R. Aquiba esse ajebat, quod eo die magi & præstigiatores (idque ipsi confitentur) nullo modo pravas & nefarias artes suas exercere possunt. Jn Semot Raba cap. X X V. quoque

*Sanhedrin cap. 8.* ** Sanhedri cap. 11.* *† Ber. Raba cap. 73.* *Sir a-sirim Raba.* *‡ lib. 2. supra Iesaiam* ** lib. 7. cap. 35.*

quoque tertium memoratur, videlicet manna; quod Sabbatho non descendebat, nequis laboraret in eo colligendo. Igitur Deus benedictus cupiens Sabbathum, cuius sanctimoniam tantis documentis approbaverat, æternum ab omnibus coli, decem præceptis illud inseruit, quo scientes Præcepta æterna esse, etiam hoc inter ea habendum intelligerent. Quia autem non sufficiebat recordari, addit, custodite, nimirum ut coleretur. Quandoquidem vero utrumque eodem simul tempore faciendum est, perinde est, ut veteres sapientes volunt, ac si simul utrumque dixisset. Alia tradit R. Ioel ben Sueb in Norà Theilot, & R. Moses Jsral in Torat olà * ob brevitatem omittenda nobis; qui ante dicta sufficere putamus. Nam, ut diximus, Moses in decalogo utramque simul notionem intelligens, cum secundo præcepta illa repeteret, alterà voce usus est.

*Psal.* 92
* *lib.* 3. *cap.* 38.

---

## QVÆSTIO *XXXVII.*

Exod. 20. 10. *Quia sex diebus fecit Dominus cœlum et terram.* | Deu. 5. 15. *Et memor eris, te servum fuiße in Ægypto.*

EX Scripturæ verbis in Exodo colligi videatur, Sabbathum institutum esse quia sex diebus mundum creaverat Deus; unde quæritur, cur Moses in Deuteronomio decem præcepta repetens, rationem ejus memoret, servitutem Jsraelitarum in Ægypto.

## CONCILIATIO.

*lib.* 2. *cap.* 34. R. Moses, hac difficultate observatâ, in Directore ita ait: Vulgus ratione non adsequitur rerum scientiam, nisi corporales actiones addantur. Quare Deus benedictus, ut omnes memores essent creationis mundi, rei tam notabilis, jussit septimo die eos quiescere; ut de caussa quietis interrogati, responderent, *Dominum fecise sex diebus cœlum & terram*; quomodo futurum erat ut caput hoc, quod principium & fundamentum reliquorum est, firmiter mente tenerent. Jam verò in illo præcepto duo sunt effectus diversi, à diversis caussis procedentes. Vnus à creatione mundi, alter à servitute Ægyptiaca. Prior effectus est, quare Dominus magis Sabbatho, quam alio quovis die, quietem imperaverit; nimirum, quia ipse, creato sex diebus mundo, septimo quievit. Alter est, cum Israelitæ longo demum tempore post Sabbathum esse cœperint, quare illis peculiariter præceptus sit illius diei cultus; videlicet propter servitutem in Ægypto: nam pro laboribus quos illic subire coacti erant, quies postea illis data est. Adeo ut in Exodo exponatur, quare Sabbatho magis, quàm alio die, quiescendum sit. Jn Deuteronomio autem Moses divina revelatione rationem dat, cur Israëlitis potius, quàm aliis gentibus, Sabbathi cultus commẽdatus sit.

II. Doctus Aben Ezra, non solum has duas, inquit, differentes causas Sabbathi notare est, sed & tertiam. Nam in Exodo dicitur. *Recordare diei Sabbathi ut eum sanctifices*; in Deuteronomio verò, *observate diem Sabbathi, ut sanctificetis*

*cetis eam, quemadmodum tibi præcepit Dominus Deus tuus.* Hinc infert, Mosem hoc loco nos remittere ad memoratam iam antè rationem; ac si dixisset, serva diem Sabbathi ob caussam iam à Deo expositam, videlicet, creationem mundi. Sed quatenus in Exodo jubeat Dominus etiam servum & servam quiescere, nulla ejus rei caussa exposita; Mosem in Deuteronomio rationem reddere, quia Israelitæ ipsi in Ægypto servivissent.

III. Doctissime hac de re, ut & cæteris omnibus, differit R. Moses Gerundensis. Sabbathum, ait, est signum exitus ex Ægypto, & egressus ex Ægypto est signum Sabbathi: idque hoc modo. In Exodo vera ratio colendi Sabbathi traditur, scilicet, mundi creatio, sex diebus consummata. Sed quia possit quispiam, gentilium opinionibus immersus, dubitare, utrùm principium mundus habuisset; Moses, velut certum ejus rei argumentum, memorat egressum ex Ægypto. Quia solus creator mundi miracula edere poterat, qualia in Ægypto visa erant. Quare verba ejus accipienda sunt ac si dixisset, scite mundum à Deo creatum esse; quà de re siquis dubitabit, cogitet se ex Ægypto eductum esse. Et quemadmodum recte observavit R. Iehuda Levita, hanc ob caussam Deus in primo mandato dixit. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti*: non autem, Ego sum Dominus Deus tuus, creator cœli & terræ, angelorum, & illustrium creaturarum. Etenim revocare illis in memoriam volebat ea quæ ipsi viderant, quæque negare nullo modo poterant. Quibus creditis facile etiam creationi mundi fidem habituri erant, quia unum necessario ex altero sequitur: uti & observavit R. Moses Jsral in Torat ola. Adiungere licet, quod ut prima Legis verba de creatione, ita ultima de miraculis Mosaicis agunt. Et veteres Hebræi die festo, quo acceptam Legem celebrabant, instituerunt, ut simulatque unus quinque libros Mosis absolvisset, alter mox eosdem inchoaret. Quæ cuncta significant, circulo eidem hæc duo includi, & unum ab altero pendere: ita ut concessis miraculis etiam creatio; hac concessa, etiam miracula concedantur.

*Cozari lib. 1. art 25.*

*lib. 3. cap. 11.*

IV. R. Ioseph Albus in Icarim, Sabbathum, inquit, duo repræsentat; primo, Deum esse caussam efficientem mundi: deinde eundem voluntarium agentem esse, qui continenter pro placito suo etiam post creatum mundum potestatem & virtutem suam exerceat. De caussa efficiente hæc verba Exodi: *Quia sex diebus fecit Dominus* &c. voluntarie agentem denotat egressus ex Ægypto; ubi ostendit, se mutare pro lubitu ordinem naturæ, & quicquid libuerit facere.

*lib. 3. cap. 26.*

V. R. Ishacus Arama, juxta ea quæ quæst. XXXVII retulimus, ait, ubi dicitur Sabbathum ob creatum mundum institutum esse, respici ad quietem illo die præceptam; at quum exitus ex Ægypto velut caussa ejus memoratur, spectari intermissionem operis.

*Aqueda Saar 55*

VI. R. Levi ben Gerson nullam in eo difficultatem ponit, quod duæ ejusdem præcepti caussæ referantur: quia, ut plantæ complures, & mineralia, ad varias res apta sunt, & diversas virtutes habent: ita etiam unius præcepti complures esse rationes possint.

## QVÆSTIO XXXVII.

Exod.20.11. *Quia sex diebus fecit Dominus* &c. *& quievit die septimo.*

Iesaias.40 29. *Dominum æternum Deum, creatorem extremitatum terræ, non defetisci, neque defatigari.*

QVIES præsupponit laborem & fatigationem, quæ tamen Iesaias negat in Deo locum habere.

### CONCILIATIO.

*Par. Iitro.* IN Mehilta huiusmodi verbis quæstio super hâc re movetur. Et quievit die septimo. Ergo in Deo aliqua fatigatio locum habet? atqui scriptum est; *non defetisci, nec defatigari* eum: & mox, *dat fesso robur*; & rursum alibi, *verbo Dei cœli sunt creati*. Quid ergo sibi illud vult, Deus quievit? soli Legi ita *Ies.40. 29.* loqui licuit: nam Deus benedictus scripsit se creasse mundum sex diebus, & septimo quievisse. Vnde sequitur: cum Deus, in quem non cadit defatigatio, *Psal.33. 6.* quievisse dicatur, multo magis homini, qui ad laborē natus est, quietē necessariā. Hæc sunt verba veterū sapientū, profecto cōsideratu digna. Quippe ex iis colligitur, sapientes nostros nō fuisse ignaros Philosophiæ, & miratos, dici, Deo quietē esse necessariam. Recte Aben Ezra, si cœlum, inquit, perpetuo velociter adeò movetur sine ulla fatigatione, quanto minus spirituales creaturæ, & Deus ipse fatigatur, cujus actiones non in motu aliquo, sed solo verbo consistunt. Itaque illum quievisse ideo tantum dicitur, ut ostendatur necessitas quietis. Quis confirmandis ait R. Bahie, quemadmodum nox necessaria fuit, ut homines somno reficerentur ex laboribus suis; quia nullum tam minutum animal est, quin ad vitam servandam somno opus habeat; ita & Sabbathum institutum est, ne homo laboribus succūberet. Quies autē illo die data est, quia, ut naturæ periti volunt, septenarius est periodus in quem terminus vitæ incidit: unde omnes septenarii sunt periculosi. Accedit, quod Sabbathum, & reliqua festa, ut recte ob-*Cuzari lib.3. art.10.* servat R. Iehuda Levita, conservant & tuentur Israelem oppressum, adeo ut igne captivitatis, (instar rubi à Mose conspecti) non penitus consumatur; quia nationes mundi, reputantes pietatem ejus, & fidelitatem, eo uterentur ad gerenda bella, nisi pauculæ istæ horæ quietis obstarent, quæ quia datæ sunt in memoriam creati mundi, exitus ex Ægypto, & datæ Legis, eum durare faciunt. Absque eo foret, nullus indueretur veste pura, neque ullo in loco congregaretur Israel ad memoriam Legis, propter infirmitatem, & humilem sortem, ad quam captivitate redactus est; neque in omni vita ullum quietis vel gaudii haberet diem. Iam vero observatis quotannis LII sabbathis, & septem festis diebus, qui undesexaginta in anno faciunt dies, sextam partem anni lunaris (est is dierum ccclıv) quieti indulgent. Imo sola Sabbatha, ut ait R. Moses, faciunt sep-*More lib.3. cap.43.* timam vitæ partem; adeo ut per ea Israel adeptus sit quietem, qualem ne Regum quidem maximi unquam habuere. Quippe inquieto animo, si forte quo die quieti indulgeat, inciderit aliquid novi, confestim curas omnes & labores eo transf-

transſferunt,ut illud ad exitum perducant; atque ita veram quietem nunquam adſequuntur. Quamvis autem & gentes mundi, ad ſabbathi exemplum, diem quietis & lætitiæ inſtituerint,non tamen ille eâ religione obſervatur,quâ ſabbathum noſtrum; & hoc illi tantum præſtat,quantum picturæ res ipſa.

II. R. Moſes facilius hanc difficultatem expedit. Nam verba 1. וישבות 2. וינח 3. וינפש quorum prius, *lætatus eſt*, reliqua duo, *quievit*, vulgo vertimus, ille aliter transſfert. Ac primo iſta וישבות ביום השביעי vaiſbot, vertit, *& ceſſavit die ſeptimo*, nimirum creare novas creaturas: quâ mente illud vocabulum exponere licet: ſic Iobi cap. XXXII. 1. וישבתו שלשת האנשים האלה מענות *Et deſierunt tres viri illi reſpondere*. Alteram vocem וינח ביום השביעי vaianah, itidem transſfert, *ceſſavitque, die ſeptimo*: quâ mente etiam 1. Semuel. XXV. 9. legimus, וידברו אל נבל ככל הדברי' האלה בשם דוד וינוחו *Et dixerunt ad Nabal ſecundum omnia hæc verba in nomine Davidis, & ceſſarunt*: videlicet loqui: reſponſum exſpectantes. Tertium, שבת וינפש *vainafas*, interpretatur *implevit voluntatem ſuam*: nam vocem ינפש, deducit à נפש Nefes, quod, ut eodem in opere demonſtrat, pro voluntate ponitur: uti Geneſ. XXIII. 8. quo loco Abraham Efronem rogat, ut campum vendere vellet, inquit אם יש את נפשכם *ſi eſt cum voluntate veſtra*. Quod ſi hoc modo ſingula transſferre libeat, nulla manebit difficultas. *More lib. 1. cap. 41.*

III. Veteres noſtri ſapientes, quo loco dicitur וינח ביום השביעי, quartæ coniugationis Hiphil hoc vocabulum facientes, vertunt, *fecitque quieſcere die ſeptimo*: nimirum, mundum. Significant, ſub finem ſextæ diei, ac ſeptimo, Deum reliquiſſe creaturas in eo ſtatu, quo ſex illis diebus fuiſſent, nec quicquam poſtea immutaſſe: atque hinc Philo Iudæus hauſit, quod libro ſecundo allegoriarum Legis ſcribit. At וינפש *vainafâs*, transſferunt, & *animavit*, deducta notione à נפש Nefes, anima: oſtendere autem cupiunt, Sabbathum animam eſſe, quam Deus mundo infudit; quæ, ut recte obſervant R. Abraham Aben Ezra, & R. Moſes Gerundenſis, fuit benedictio illa, quâ Deus Sabbatho benedixit, atque illud ſanctificavit: quia iſto die novæ vires corporibus, & novus intellectus animis copioſe accedit. Denique eodẽ die, quemadmodum notavit R. Jehuda Levita, meditationibus homo accedit ad gradum angelorum: nam ut illi non indigent naturali potentia, aut tempore ad exſequendum aliquid, ita & intellectus noſter contemplatione cœlum & terram uno momento complectitur. Ideoque vocarunt antiqui hunc influxum נפש יתרה *animam excellentem*; cujus mentionem Cabaliſtæ quoque paſſim in Zoar faciunt. In Paraſah Ytrò columna' 157 dicunt, nocte Sabbathi creſcere in homine novam animam, quæ alta, & undique perfecta ſit. Idem ſcribunt in Paraſà Miſpatim col. 175. & Paraſ. Pinhas. col. 448. unjuſcujuſque influxum eſſe, pro gradu ſuo. Quâ de cauſſâ etiam notant in Par. Vaiakel col. 367. Sabbathum non corporis, ſed animi diem eſſe, & in Selah col. 328. affirmant, animam illam plurimum oblectari iis, quæ in Sabbatho adepta ſit. Adeo ut non immerito R. Eliahu Vitalis in libro ſuo Reſit hohma dixerit, Sabbathum radicem eſſe omnium ſanctitatum. Alia multa tradit R. Abraham Sabà, in Zeror a-mor ‡ ſenſu Cabaliſtico, quidnam Sabbathum ſignificet; & Ishac Abravanel ejus excellentiam prædicans ad LVI. cap. Eſaiæ, ait illud eſſe fundamentum tredecim articulorum fidei, quos R. Moſes recenſet in cõmentario ad Miſnaiot; ſed longum ſit omnia illa memorare; ſufficere videtur, quod oſtendimus varios ſignificatus illud vocabulum admittere.

*Mehilta Par. Iitro.*

*ad 2. cap Geneſ.*

*Cuzari lib. 5. art. 10.*

*Ialcut lib. 1. art. 390 edit. Cremonens.*

*Saar aaaba cap 5. & ſaar aqueduſa ca. 2. 3. 7*

*‡ Paraſ. Bereſit & Tiſſà.*

*ad 11. cap. Sanhedrin.*

## QVÆSTIO XXXIX.

Exod. 21. 7. *Quum autem vendiderit quis filiam suam ut sit ancilla, ne exito ut hi servi exeunt.*

Deut. 15. 12. *Si vendatur tibi frater tuus, Hebræus aut Hebræa, is serviet tibi sex annis.*

LEX de servo Hebræo & serva Hebræa eadem erat; ut ex Deuteron. colligitur. Quid igitur volunt sibi verba ista, servam non exituram ut servi solent, cum utrique exacto sexennio exeant?

## CONCILIATIO.

R. Selomoh, & R. Bahie, quum in Exodo dicitur servam non exituram, ut servi solent, per servos intelligi putāt Cananæos. Vt juxta illos mēs S. Scripturæ sit, servū quidem, si Dominus ei excussisset oculū aut dentem, aut aliquod ex XXIV præcipuis corporis membris, quæ antiqui numerant, libertatem accepisse: at aliam fuisse servæ rationem: quæ à Domino percussa, aut mutilata, non libera exiret; sed, compensato detrimento, porro illi serviret; quo postea ab eo duceretur.

II. Doctus Aben Ezra ait, filiam, quam vendere pater posset, haud dubie parvam fuisse, quales sub potestate parentum sint. Eamque ubi attigisset ætatem בגרת *bugaret* hoc est, duodecim annorum & dimidii, libertatē recepisse, tametsi sex anni servitutis completi nequaquam forent. Ideo dici à Scriptura, nequaquam exituram eam ut servi exeunt, quia illi cogebantur pleno sexennio servire. At Deuteronomii verba, quibus firmetur servam quoque sex annis servire, ita accipienda, si tam parva vendita esset, ut annos sex servire posset, antequam attingeret dimidium annum supra duodecimum.

III. Sapiens R. Moses Gerundensis inquit: Servi post sex annorum servitutem, seu jubilæo, libertatem accipiebant: at serva, quam Dominus sibi uxorem vult, semper in ædibus ejus manebit, neq; parēti ejus hac in re obsistere licebat: quia emebatur, in spem matrimonii. Ideoque ait Scriptura, non exibit ut servi exeunt. Eandem opinionem sequitur R. Moses Albelda in Olat Tamid.

IV. R. Levi ben Guerson ait, Dominum potuisse servo dare uxorem Cananæam ad tollendos liberos; at servam Cananæo uxorem dare nequivisse; verum obligatum fuisse ut vel ipse duceret eam, aut filio suo daret. Quare cum Scriptura dicat, haud exituram eam ut servi exeunt, dicere voluisse, nequaquam maritatam. Quam sententiam in glossis suis approbat Ishacus Abravanel.

V. R. Hizquiah autor Hisquuni, statuit, Legem his verbis civiles mores docentem, prohibuisse, ne Dominus servæ ministerio, tanquam servi, extra domum suam uteretur; quia quemadmodum forensia negotia servo, ita domestica servæ mandanda sint. Proin quando vetet eam exire ut servi exeunt, id voluisse, ne illa servorum more ex ædibus prodiret, ac Domini negotia curaret. Sane expositio illa valde congrua est verbis Scripturæ.

QVÆST.

## QVÆST. XL.

Exod.21.30. *Si redemtionis pretium impositū fuerit ei, tum dato pretium redemtionis vitæ suæ.*

Num.35.31. *At ne accipitote redemtionis pretium pro ullo occisore.*

CVM Dominus prohibeat pretio redimi animam occisoris, quare in Exodo ait, si pretium redemtionis impositum fuerit ei, tum illud daturum?

## CONCILIATIO.

R. Abraham Aben Ezra, quem sequitur Ishac Abravanel, ait, quamvis in Numeris prohibeantur iudices pro anima occisoris pretium accipere; hic tamen diversā rationem esse; quatenus non ipse homo suā manu alterum interfecerit, sed non satis custodito bove suo, negligentia tali caussa fuerit, ut bestia, aperto ostio prorumpens, hominē perimeret. Ideoq; moriendum ei quidem esse; sed posse, si moderari pœnam partes velint, pretio redimere vitam.

II. Veteres sapientes tamen non à iudicibus, sed solo creatore, talem puniri voluerunt: adducti eo, quod nequaquam hic, ut cæteris omnibus in locis, dicatur, moriendo morietur, sed tantum, morietur. Ideoque obligari judices, ut pretium ei ponant, quo multa isthæc (ut vult R. Moses Gerundensis) pro sacrificio sit. *Sanhedrin cap. 1.*

## QVÆSTIO. XLI.

Exo.23.3. *Attamen pauperem ne honorato in lite ejus.*

Psal.41.2. *Beatus qui attendit ad pauperem.*

IN Exodo prohibemur pauperi in lite gratiam facere: unde quæritur quid sibi velint, & utrum non repugnent huic loco verba Davidis, dicentis, attendendum esse ad pauperem.

## CONCILIATIO.

COnciliatio facilis est. Nam quantum ad litem, vetat Deus honorari pauperem, i.e. ne senatus misericordia ejus à justitia declinet; uti divitis quoque gratiā judicium perverti prohibet. At David docet, ut succurramus pauperi in necessitate sua: qui cum beatum prædicat eum, cui pauperes curæ sunt; meo judicio, vult, nos nequaquam exspectare, donec pauper eleemosynam petat; sed inopiæ ejus occurrere. Quod facientes, Dominus promittit se liberaturum in die ærumnæ, i.e. ne delabantur ad paupertatem, aut similes miserias. Vel, quemadmodum dicitur in libro Tapuhe Zaab in principio, eleemosina pauperi data, ipsum pauperem servamus, à die malo, hoc est inferno, quia illa

illa à desperatione eum arcet.

II. Etiam transferre liceat, *Beatus est qui visitat infirmum*: nam דל *dal* etiam de infirmo usurpari arguunt verba 2. Sem. XIII, 4. מדוע אתה ככה דל בן המלך, *quare tu tam infirmus fili Regis?* unde David merito beatum vocat, qui infirmos visitat, quia (ut recte observat Autor Mibhar peninim, & R. Moses Albelda in Saharè dimha, & R. Ephraim in Holelot Ephraim *) multum id ægroti animum sublevat ac consolatur, quod videat esse qui valetudinis suæ curam gerat. Itaque solent dicere veteres, eum qui visitat infirmum, eximere illi unam ex LX partibus doloris, præterquā quod, teste Cicerone in officiis, duplex sit liberalitas, una quæ ex arca proficiscitur, altera quæ ex corde; & multo illustrius est posteriori modo liberalem esse. Denique, ut ait Plato, cum non nobis nati simus, oportet naturam, velut ducem, sequi, & omnibus benefacere.

*fol. 11.*
* *maamar* 527.

---

## QVÆSTIO XLII.

| | |
|---|---|
| Exod. 23. 26. *Numerum dierum tuorum complebo.* Iob 7. 1. *Certe tempus viro supra terram.* | 2. Regū. 20. 6. *Et addam diebus tuis quindecim annos.* item Iesaias 38. 5. |

SI unicuique præfixus est terminus vitæ, ut priora loca indicare videntur, quomodo potuit Deus quindecim annos adiicere vitæ Regis Hizkiahu?

### CONCILIATIO.

AD solvendam hanc quæstionem scire oportet, vitam, & sustentationem humani corporis, consistere in harmonia quatuor humorum, ex totidem elementis provenientium, ex quibus compositum est: nimirum, humido, calido, frigido, sicco: nam vita hominis, quamdiu calor naturalis durat; per quem, velut efficax maxime instrumentum, anima vegetativa actus suos exerit; at deficiente illo, etiam anima corpus humanum deserit. Quoniam autem calor naturalis, naturam ignis habens, semper consumit, opus etiam habet alimento; itaque necessario Deus junxit ei humidum radicale, quo sustentatur, ut flamma oleo candelæ. Partem autem humidi quam quotidie calor absumit, cibis, quantum fieri potest, reparamus. Nihilominus, quando ciborum substantia nequaquam adeo bona est, (quippe externa mixtura) singulis diebus partem aliquam caloris naturalis amittimus, donec temporis progressu, ignis & calor naturalis exstinguatur, & cum eo vita ipsa. Qua in re notandum est, tametsi vita pendeat à calore naturali & humido radicali, non ideo eum, qui plus illius substantiæ habuerit, longius vivere, nisi simul omnia melius, quam alii, temperata habeat: ita ut brevitas aut longitudo vitæ naturaliter pendeat ab harmonia ista, & æquali temperatione horū humorū, quorū primus calor, secundus humiditas est, reliquis duobus officio suo, ubi oportet, fungentibus. Dicimus autem naturaliter, quia vix millesimus quisque terminum illum attingit; variis intervenientibus, quæ vitam ante hoc tempus abrumpant; cujusmodi sunt, pericula exitialia, pestilentia, fames, bella, venena, luxuria, gula, infirmitas, & quæ alia id genus.

genus. His intellectis, in arduo non erit conciliare verba S.Scripturæ. Nam Iob ait unumquemque habere certum vitæ suæ terminum; respiciens ad temperationē & harmoniam humorū, qui in homine sunt: hunc autem terminum promittit Dominus Mosi, eos adsecuturos, qui Legem observant, quando ait, *numerum dierum tuorum complebo.* Jtaque cum dicitur Dominus quindecim annos adiecisse vitæ Regis Hizquiahu, eos (ut in Guemara Jebamot, R. Aquiba, & in Ialcut refertur) משלו הוסיפו לו *de proprio adiecit ei,* i.e. Hizquiahu corpus ita à natura dispositum ac temperatum erat, ut XV post annis vivere posset; at in eum statum à morbo, caussâ extrinsecâ, reductus erat, ut necessario ei moriendum fuerit; nisi Deus ab eo exoratus, ex annis, quos naturaliter vixisset si morbus nequaquam intervenisset, quindenos ei adiecisset, renovato humido radicali. Addere licet, quod in Jcarim scribit R. Joseph Albus, mortis triplicem caussam reperiri: primùm à pœnâ; deinde à natura; tertiò ab accidenti. Vnde David de Saule ait: *Vivit Dominus, sed Dominus plaga afficiet eum, aut dies ejus veniet ut moriatur, aut in bellum descendet ut consumatur.* Cum ait, *Dominus eum plaga afficiet*, designat mortem ob peccatum aliquod; verbis, *dies ejus veniet*, naturalem exitum denotat, cum non longius naturæ dispositio vitam proferri patitur; illis verò, *in bellum descendet ut consumatur*, mortem accidentalem, quæ ante tempus venit, neque id ob peccatum, sed constellationes cœlestes, aut decretum aliquod universale, quia placuerit Deo, ut quotquot bellum illud adeant, moriantur. Vbi omnino notandum est, Davidem non loqui de quarta mortis specie, nimirum voluntaria, quam sibi ipse homo consciscit. Nimirum putabat, neminem vitæ mortem prælaturum: quâ in re falsus est: nam mors Saulis, voluntaria fuit, unde legimus; *Accepitque Saul gladium suū, & incubuit illi.* Non male tamē R. Iehuda Levita in Cuzari *dicere videtur, mortem Saulis voluntariam vocari non posse, quia non tædio vitæ, aut mortis desiderio, sibi ipsi manus violentas intulit, sed evitandæ ignominiæ: dixit enim, *ne illudant mihi incircumcisi illi.* Ex his igitur certò probatur, esse homini statum vitæ terminum, quem tamen non attingat, ob externas caussas. Ideoque lex jubet, tecta circumdari loricis, ne decidens aliquis vitam amitteret; neque alia de caussa pronuntiatum fuit, ut timidi omnes bello excederent: quod supervacuum erat si unusquisque fatalem horam haberet, quam nulli casus prævenire possent. Hinc statuit R. Aquiba, Dominum, cum promittit, se piis & Legis observantibus dies eorum impleturum, designare, talium vitam duas generationes duraturam, aut tam diu, quam per humorum temperamentum fieri posset; qui terminus supremus, & insuperabilis sit; at si merita desint, multos annos casibus abscindi posse, uti Hizquiahu eventurum fuerit, nisi precibus flexus Dominus, renovasset humidum radicale, & quindecim annos adiecisset, donec attingeret terminum, ad quem natura, & temperatio humorum, nullo casu interueniente, perducere eum potuisset.

cap. 4.

lib. 4. cap. 21.

1. Sem. 26. 10.

1. Sem. 31. 4.

* lib. 5. art. 20.

II. Jbidem in Iebamot diversa sapientum opinio memoratur, credentium, hominem, si mereatur, posse vivere ultra quam naturalis corporis constitutio patitur; quem terminum non attingant, quorum nulla sunt merita. Itaque Hizquiæ, supra naturæ terminum, additos à Deo quindecim annos statuunt; & quam S.S. ait *numerum dierum tuorum implebo*; interpretantur augebo: quasi Deus se timentibus vitam longiorem, quam pro naturæ facultate, promittat.

Hanc

Hanc opinionē secutus est R. David Kimhi ad 1. Semuel. cap. xxvi. Etiam doctus Aben Ezra ad xxiii. cap. Exod. negat vitam eorum, qui Legem observant, obnoxiam astris, aut caussis extrinsecis esse. Etenim, inquit, infirmitatis caussa homini victus est; iam verò pollicetur Deus, se benedicturum cibis Legem custodientium; & sublaturum infirmitates, quæ ab aëris mutatione oriri possint. Adeo ut Legis observans non indigeat medicis, unde & Asæ Regi Iehudæ obiectum fuit, quod ægrotans medicos, non Dominum, quæsivisset. Etiam (inquit) constellationes cœlestes virum aut mulierem sterilem faciunt; sed illi, qui Deo adhærent, sterilitate liberantur; exemplo Abrahami & Saræ. Nam stellæ non ad bene aut male faciendum creatæ sunt, sed ad servitium Creatoris, & nihil juris habent in eum, qui Deo semet adiunxerit. Igitur, iuxta illum, quamvis calor, & humidum radicale, homini certum vitæ terminum ponant; potest tamen eundem divina gratia egredi, secundum sapientis verba: *Timor Domini auget dies*: quia videlicet Deus calorem et humidum radicale renovat. Ergo Iobus de præfixo termino loquens, eum intelligit, quem per naturalem corporis constitutionem attingere possumus: eundem tamen ob merita egredi datur.

2. Chron 16. 2.

proverb. 10. 27.

III. Nec peccari arbitror, si dicamus, terminum vitæ, de quo Iobus loquitur, referendum ad præscientiam Dei, qui non modò novit, quamdiu per corporis constitutionem durare hominis vita possit; verum & quousque ea, & quomodo processura sit. Quippe Deo cuncta manifesta, ac præsentia sunt. Et quia scientia eius infinita nulla in re falli potest, (nec tamen eo ereptum nobis est actionum nostrarum arbitrium) nequit quoque vita excedere prævisum ab eo finem. Ergo in vita humana duo termini considerari possunt; unus, pro constitutione corporis, quem excedi posse R. Aquiba negat, statuunt contra Sapientes; alter à Deo prævisus, quem necessario omnes attingimus.

---

## QVÆST. XLIII.

| | |
|---|---|
| Exod. 24. 11. *Viderunt Deum, & comederunt, ac biberunt.* Item, Iesai. 6. 1. *Anno quo mortuus est Rex Huziahu, tum vidi Dominum, &c.* | Ibid. 33. 20. *Non poteris videre faciem meam; quia non potest me homo videre, & vivere.* |

SEptuaginta senes in Exodo dicuntur vidisse Dominum, idque ipsum jactabat Isaias. Cur ergo negat Lex quemquam posse Deum intueri & vivere?

## CONCILIATIO.

PRophetia Mosis, sublimitate sui, omnes reliquos prophetas quam longissimè post se reliquit, testante ipso Deo, cum Aaroni & Miriam infensus, dixit: *Si est propheta vester Dei, per visionem me ipsum notum facio ei, aut per somnium alloquor eum: non sic servus meus Moseh, qui est in tota domo mea fidelis. Ore ad os loquor cum eo, adeo ut speciem similitudinemque Dei intueatur, ac non per ænigmata*, &c. Unde constat, prophetias cæterorum ænigmatibus involutas fuisse; quia

Num. 12. 6. 7. 8.

quia (ut in Icarim obſervat R. Ioſeph Albus ‡) evenit Prophetarum intellectui, ‡ *lib. 3. cap. 17.*
idem quod ſen ibus exterioribus; & quemadmodum qui oculis valet, objecta qualia re vera ſunt adſpicit, nec tantum utrum pallida, an alterius ſint coloris videt, verùm & quem gradum coloris habeant: ille contra, cui infirmus viſus eſt, nec diſcernere colorem poteſt; aut ſi diſcernit, gradum tamen ejus diiudicare nequit: ita etiam inter Prophetas, qui captu reliquis præſtat, rem, qualis eſt, videt, eiuſque verba clara, ac ſimpliciter accipienda ſunt; at qui gradu humiliore eſt, nihil aliud quam parabolas, & ænigmata loquitur, ſi verba ipſa attendas, cum nihilominus res ipſæ veræ ſint. Sic videmus prophetias Iechezquelis, poſt captivitatem, tantum parabolas eſſe: unde ipſe queritur ad Deum *, * *21. 5.*
Ipſi, inquit, dicunt, me compoſitum eſſe ex exemplis ac parabolis. Simili modo quæcumque Zacharias, qui vixit vergente iam prophetia, vidit, ænigmata, equi, fœminæ, candelabra aurea, duæ oleæ erant: quæ cuncta, ſi ſimpliciter intelligas, falſa ſunt; ſi parabolice, vera. Hoc, ut dixi, in cæteris prophetis locum habet: at Moſes princeps omnium prophetarum, ſolus claris verbis, & ſine involucris vaticinatus dicitur. Igitur obſervare oportet, quemadmodum in unoquoque genere ſpecies aliqua eſt, quæ menſura ſit reliquarũ quæ ſub eodem genere continentur ſpecierum; uti album inter colores: ita Lex, aut volumina Moſis, menſura ſunt reliquorum librorum: quemadmodum etiam in cantu, tanta eſt dulcedo omnium vocum, quanta reliquarum harmonia cum organo aut infima voce; eodem modo vera aut falſa ſunt reliqua ſcripta, quò magis conveniunt cum Moſaica, aut ab eadem abeunt. Vnde ſequitur, nos ex Moſaica contra reliqua argumenta petere poſſe; reliquorum vero argumenta nullam vim habere ad deſtruendam vel minimam doctrinæ Moſaicæ partem. Idque non modo in externis omnibus libris locum habet, ſed etiam in ipſis Bibliis, ac libris Canonicis; qui ſi quidquam habeant diſcrepans à ſententia Moſaica, neceſſario deſerendi ſunt, aut ita interpretandi, ut cum Moſis verbis conveniant. Hoc axioma in ſolutione huius quæſtionis firmiter tenere oportet. Ait Moſes, Deum à nemine videri poſſe; contrà Eſaias, ſeſe Dominum vidiſſe. Si neſciremus Moſem tanto poſt ſe intervallo cæteros prophetas reliquiſſe, fortaſſis diceremus, vidiſſe Eſaiam, quod illi negatum erat: ſed enim cum ipſa Lex teſtetur, non ſurrexiſſe ullum Prophetam Moſi parem, facile animadvertimus id cogitandum non eſſe. Itaque, cum Eſaias adverſari Moſi videatur, ſic oportet verba eius interpretari, ut cum vetere Scriptura, ſeu ſcriptis Moſaicis, conveniant. Quà de cauſſa ſapientes Thalmudis in Gemara Iebamot †, ad iſta concilianda inquiunt, Moſes per † *cap. 4.*
ſpeculum clarum, & illuſtre, ſed Eſaias per ſpeculum non clarum vidit. i. e. Moſes, qui in prophetiis ſuis non utebatur imaginatione, quia illæ conſiſtebant in potentia intellectuali, libera à corporeis potentiis, quod eſt ſpeculum clarum, vidit ipſam veritatem, & Deum conſpici nullo modo poſſe: at Jeſaias, in cujus prophetia locum habebat imaginatio, i. e. ſpeculum non clarum, ſe videre putavit, quamvis errarit. Idque ipſe confeſſus eſt, dicens *, אוי לי כי נדמתי *Hei mihi* * *Ieſai. 6. 5.*
*quod perſuaſi mihi, me virum pollutum labiis, & in medio populi polluti labiis habitantem, Regem, Dominum exercitum vidiſſe oculis meis.* Nam vox נדמתי *Nidmeti* derivatur à דמיון *dimion*, imaginatio: ut dicere Propheta velit, Hei mihi qui perſuaſi mihi me Dominum vidiſſe: cujus delirii cauſſam reddit, quod prophetia ſua ab imaginatione pependiſſet, quia non eam, quæ requireretur, attu-

lerat puritatem; unde ait ipse, *quia vir pollutus labiis ego, & in medio populi polluti labijs habitans*, &c. Quare verissimè Moses ait, Deum videri non posse: Septuaginta autem seniores Jsraelis, & Iesaias, quamvis id sibi persuaderent, Dominum tamen non conspexerunt; quam Thomas Aquinas † vocat visionem imaginariam. Adiungere licet, quod in Hidusim scribit sapiens R. Moses Gerundensis, & Gaon R. Natan a-Sadik in Haruh ‡, quomodo oculis non valenti, una res geminata, id quod humi positum, altum esse videtur; ita & Prophetas minores imaginatione suâ deceptos; quod & innuit R. Simhon Temanita in Siphrè,* dicens, *nequaquam me homo videt, & vivit*; h.e. ne vivus quidem, i.e. angelus, Deum videre potest: quod qui negant speculo non claro utuntur.

†Tho. 2. 2. qu. 174. artic. 1.
‡ radice Espaclaria.
* Par. Vaiicra.
† Iebamot cap. 4.

Jn eodem tractatu † legas, Iesaiam, ab impio ac detestabili Rege Menasse, esse interfectum, quòd, contra Mosaica verba, jactasset sese Deum vidisse. Et quamvis posset propheta respondere, eodem modo in Lege dictum esse, septuaginta senes Deum vidisse; ac proin, ut Legis verba, ita etiam sua excusari posse: tamen, cum animadverteret Regem non accepturum ea argumenta, sed omnes occasiones quærere ad se interficiendum, pronuntiato Domini nomine in medium cedri receptum; eaque re cognitâ Manassem primo arborem terrâ evulsam ad se deferri, dein serra mediam secari jussisse. Addunt, cum serra ad os Iesaiæ pervenisset, mortuum esse; ob peccatum, quia dixerat, agitare se in populo polluto labiis; quo loco Propheta, populi, cujus caussam agere eum, atque advocatum esse oportebat, accusator factus erat. Itaque statuimus, iniustè Jesaiam à Manasse interfectum, propterea quod sese Deum vidisse dixerat; cum ipse postea eam imaginariam tantum visionem, non ipsius essentiæ fuisse dicat.

II. Doctus Aben Ezra, mirabili distinctione hanc quæstionem solvens, ait, senes Deum in visione nocturna conspexisse; eoque cum ait Scriptura, neminem posse Deum videre, subintelligi, vigilantem. Quia autem Mosi non in somno, sed experrecto Deus loquebatur, petiisse eum à Domino *, ut suam ei gloriam ostenderet; i. e. essentiam. Cæterum responsum illi, fieri id nequaquam posse, quia nulla creatura vigilans videre, aut essentiam ejus comprehendere quiret. Illi tamen hoc datum iri ut humeros ejus videret, hoc est, eam cognosceret ex operibus suis; quæ humeris denotantur: at faciem, aut interiorem essentiam, nec videri, nec comprehendi à quoquam posse. Sequitur hanc expositionem R. Moses in directore lib. II. cap. xlv.

* Exod. 33. 13.

III. R. Moses Alchech ‡ juxta mentem Cabalistarum docte hunc in modum disserit. *Et viderunt Deum Israelis*, quis potest videre Deum? Si in Solem, unam ex creaturis ejus, defigere oculos nequimus, quanto minus visu comprehendere datur illum, qui tam incognitus & occultus est, ut ne animis quidem nostris ullo modo concipi queat? Quid ergo sibi volunt illa, *viderunt Deum*? Id solum respondere possumus, quemadmodum ad adspiciendum Solem (ob fulgorem ejus, & infirmitatem oculorum nostrorum) necessarium est velum obtendere, veluti vitrum aliquod, aut, si id nimis pellucidum sit, alteram cortinam, quò lumine ejus frui possimus; ita & ad videndum Deum, cum humanus intellectus tam debilis sit, requiruntur similia vela. Id ex eodem loco constat: nam verbis illis, *Et viderunt Deum Israelis*, mox subiicitur, *ac sub pedibus ejus velut opus pavimentatum sapphiro, & velut corpus ipsum cœli nitore*. Duo nominantur vela; ex sapphiro, quem veteres sapientes adamantem esse dicunt, clarum, & album;

‡ Torat Moscheh ad hunc locum.

& album; &, quia illud non sufficiebat, etiam cœli, i.e. coloris cœrulei, qui congregat visum. Adeo ut L X X senes, & Iesaias, ac Mihaiu, viderint Deum velatum, & humano captui adaptatum. Neque huic rei verba Mosis repugnant: quippe demonstrat is, essentiam divinam, nisi illa vela intercedant, à nullo comprehendi posse.

I V. Divinus Angelos a-ger, Cabalistarum quodam axiomate fretus, verba S. Scripturæ ויראו את אלהי ישראל *& viderunt Deum*, paraphrastrice transtulit, וחזו ית יקר אלהא דישראל, *videruntque gloriam Dei Israelis*: eodemque modo Iesaiæ etiam verba interpretatus est; ostendens ea re, quantum discriminis inter Mosem & reliquos Prophetas fuerit. R. Simhon ben Iohai in sacro libro Zoar * ex his verbis Exodi; *Et apparui Abrahamo, Jsaco, & Iacobo, in Deo omnipotente, sed nomen meum Adonai non feci notum illis*; infert, Patriarchas, quamvis novissent Tetragrammatum & ineffabile Dei nomen, non tamen per illud vaticinatos: quod Mosi soli concessum fuerit; quia, ut ait R. Iehuda bar Jlhai, per speculum vidit clarum, & pellucidum. Quæ cuncta eam in mentem accipienda sunt, quam legere est apud R. Mehir Gabai in Abodat a-codes †. Etenim ait, Prophetiam Mosis fuisse in תפארת *Tipheret*, reliquorũ autem Prophetarum in מלכות *Malchout*. Huc respiciens S. Scriptura, *De cœlis*, ait, *audire te fecit vocem suam; ad castigandum te, & super terram ostendit tibi ignem suum.* Sed hæc intelligentibus illius doctrinæ sufficiunt; & ad conciliationem locorum Scripturæ statuendum, lxx senes & Iesaiam vidisse tantum כבוד ה Kebod *A. gloriam Domini*, quæ est ultima ex decem illustribus lucibus: at cum Moses negat videri Deum posse, intelligit propriam ejus essentiam, ut bene observat R. Bahie ad X X cap. Exodi.

* Par. Vaera.

† lib. 4. c.22.

V. Ishacus Abravanel, Prophetas futurorum scientiam ab angelis adeptos ait, quamvis sæpe dicant, *fuit verbum Domini ad me*, & legato tribuant nomen ejus à quo missus est. Vnde & Iesaiam vult angelos tantum vidisse, ideoque dictum illi, *Seraphim astantes supernè ei.*

V I. Non arduum erit hæc loca conciliare, si cum R. Mose * dicamus, verbum ראה *Rahà*, non tantum de oculis, sed & intellectu usurpari; quomodo in Eccles. † dictum est, *cor meum vidit multam scientiam.* Nam Dominus, cum ait, *non me videt homo & vivit*, vult, nullum comprehendere essentiam suam posse. Iesaias verò, nequaquam se affirmat vidisse, sed considerasse Dominum in solio sublimi, i.e. cognovisse vidisseque oculis intellectus Primã caussam esse supra solium: quo intelligitur cœlum; aut per solium honoris cognovit Dominum fuisse supra hæc omnia, tanquam primam caussam ac principium omnium. Huc usque enim potuit pertingere intellectus ejus.

* Morè lib. 1. cap. 4.

† cap. 1. 16.

## QVÆSTIO XLIV.

Exo. 24. 18. *Ita ingressus Moses in medium ipsius nubis.*

Ibid. 40. 35. *Nec potuit Moses ingredi in tentorium conventus, cum incubuisset illi nubes.*

CVM Dominus Mosi aditum in nubem patefecerit, quare idem dicitur ob nubem non potuisse ingredi tentorium?

## CONCILIATIO.

† cap. 1. IN Guemarà Iomà †, R. Zerica, quæstionem hanc huiusmodi verbis conciliat, Docemur, Deum benedictũ traxisse Mosem, ac intra nubem perduxisse. Significat, Mosem naturali ratione per nubem ire nequivisse; indeque factum, ut idem (quemadmodum loco secundo narratur) tentorium conventus intrare nequiret, quando adstabat gloria Domini, quam complectebatur illa nubes: at Deo miraculosè eum trahente, fieri id poterat; idque etiam in Ialcut *

* lib. 1. art. 428 tradit Simhoni, verbis R. Elhazaris.

II. In Tanhumà dicitur Mosem tentorium intrare nequivisse sine permissu; scilicet ob gloriam Domini in nube quiescentem; at illo concedente, intrasse. Ea conciliatio valde commoda videtur, quatenus priore loco dicitur Dominus Mosem vocavisse, ‡ *Et vocavit Dominus Mosem die septimo è medio nubis* &c. Sequuntur sane eam R. Moses Gerundensis, & Jshacus Abravanel. R. Bahie ait, iccirco Scripturam verbis istis, *Neque poterat Moses intrare tentorium conventus, cum incubuisset illi nubes*: subiicere paullo post, *Inclamavit autem Mosen, & allocutus est eum Dominus de tentorio conventus*. Nimirum quia intrare nisi vocatus nequiret.

‡ Exod. 24.16.

---

## QVÆSTIO XLV.

Exod 25. 15. *In annulis illius areæ sunto vectes illi, ne amoventor inde.*

Num. 4. 6. *Postquam expanderint vestem totam hyacinthinam superne, ponent vectes ejus.*

EX loco priore constat, vectes semper in arca relictos: quare igitur iidem appositi postea à Levitis dicuntur, cum sublevare arcam vellent?

## CONCILIATIO.

DOctus Aben Ezra existimat, vectes semel impositos, nunquam amotos fuisse: & in Numeris dici, eos, non annulis inditos, sed impositos humeris sacerdotum, quo arcam portarent.

II. Sapiens R. Moses Gerundensis, non *ponent*, sed *disponent* interpretatur, & sensum Scripturæ esse vult; ut Levitæ vectes, quippe longos, pro lubitu suo aptarent, aut disponerent; ita tamen, ne unquam eos eximerent annulis suis: quam sententiam quoque probat Ishacus Abravanel. Ergo verba illa ושמו בדיו quæ vertimus, *& ponent*, vel *apponent vectes ejus*, ttansferri oporteat, *disponent*, aut *ordinabunt*. Quomodo est Exod. xxI. 1. ista ואלה המשפטים אשר תשים R. Selomoh transfert, *Atque hæc sunt judicia quæ ordinabis*: quia judicia ordinari, non autem poni dicuntur. Conciliatio hæc petita videtur ex Gemara Iomà, in qua, juxta R. Selomonem, sapientes nostri volunt, vectes medio sui tenues, extremis partibus

partibus crassiores fuisse, ita ut ex annulis egredi nequirent; idque etiam in glossa sua ad hunc locum scripsit R. Bahie.

III. Autor Hisquuni existimat, in vectibus illis, ne arca, in tollendo ac deponendo, inclinaret in hanc aut illam partem, incisuras fuisse, quis annuli firmiter inhærerent. Cum autem Scriptura dicat vectes nunquam amotos, intelligere eam ex annulis; at per positionem vectium intelligi annulos iis incisuris aptatos.

IV. Alij quatuor arcæ vectes fuisse volunt; quorum duo semper annulis inserti manerent, duo, quo tempore arca tollenda esset, supponerentur.

## QVÆST. XLVI.

| | |
|---|---|
| Exod. 25. 22. *Loquar tecum è superiori parte operculi propitiatorii, è medio duorũ Cherubinorum.* | Levit. 1. 1. *Allocutus est Dominus eum è tentorio conventus, dicendo.* |

SI Deus è medio Cherubinorum cum Mose locutus est, cur à tentorio conventus eum affatus dicitur?

## CONCILIATIO.

RElhazar ben Dehaba in Ialcut ad conciliationem utriusque hujus loci tertium hunc adducit: *Cumque veniret Moses ad tentorium conventus, audiebat vocem quæ eum alloquebatur è superiori parte operculi.* Id est, Moses accedebat ad tentorium conventus, quod, juxta R. Selomo, sunt duo loca, area, & palatium sanctitatis; cui cum propinquasset, exibat vox è sancto sanctorum, è superiori parte operculi, è medio Cherubinorum. lib. 1. art. 43

II. Doctus Aben Ezra per tentorium conventus intelligit totum tabernaculum; & juxta illum idem est, dicere Deum Mosi locutum è tentorio conventus, & è medio Cherubinorum; quando hi in tentorio conventus, sive tabernaculo, stabant.

## QVÆSTIO. XLVII.

| | |
|---|---|
| Exod. 30. 13. *Hoc danto quisquis transit in numeratos, dimidium sicli.* | Nehem. 10. 32. *Instituimus nobis præcepta, imponentes nobis trientem sicli.* |

LEx iubet dimidium siclum, pretium animæ dari. An id ignoravit Nehemias? Si scivit, cur trientem tantum solvi voluit?

## CONCILIATIO.

DOctus Aben Ezra intelligit, hunc trientem sicli à Nehemia nequaquam populo impositum, ad exsolvendum animæ pretium, sed tantum ad comparandas res necessarias; quæ ibidem commemorentur his verbis: *Instituimus nobis præcepta, imponentes nobis trientem sicli quotannis, ad servitium domus Dei nostri. Ad panes dispositionis, munusque iuge, et holocaustum iuge &c.* Adeo ut præter dimidium siclum, quem dare ex Lege tenebantur, novum sibi ipsis censum imposuerint.

II. R. Moses Gerundensis hunc sicli trientem propter obligationem Legis datum existimat; caussam autem cur nunc trientem darent, fuisse, quod siclus, tempore Mosis xx tantum granorum, ætate Nehemiæ ad xxx ascendisset: ac proin illius ævi trientem æqualem fuisse Mosaici sicli dimidio.

---

## QVÆSTIO XLVIII.

Exo. 33. 11. *Et loquebatur Dominus cum Mose, facie ad faciem.* Item Num. 12. 8. *Ore ad os alloquor eum, adeò ut speciem similitudinemque Dei intueatur, ac non per ænigmata.*

Ibid. vers. 23. *Videbis humeros meos, facies autem mea non videbitur.*

CVM Dominus facie ad faciem cum Mose locutus sit, ut ipse dixit; quare ait humeros suos eum conspecturum; faciem autem videri non posse?

## CONCILIATIO.

‡ lib. 1. c. 54. R. Moses in directore ‡ suo ait, Mosem, fidelissimum in domo Dei, & familiarem adeo amicum, duo à Deo petiisse, quorum unum fieri posset, alterum non item. Prius fuisse; *notas mihi nunc fac vias tuas.* Quibus verbis petierit notitiam Domini ex operibus ejus; idque concessum esse, dicente Domino, *Ego faciam ut transeat omne bonum meum ante faciem tuam.* Per bonum intelligi creaturas, & opera Dei: Vnde in Genes *. *Et vidit Deus quicquid fecerat, & ecce erat bonum valde.* Petitionē alteram, quam impetrare nequiverit, esse, *ostende mihi nunc gloriam tuam;* scilicet putasse eum, se xl diebus in monte exactis, satis mundatum esse ad ipsam Dei essentiam cognoscendam; sed Dominum abnuisse, quia fieri non posset. Indeque verba illa, *Videbis humeros meos, facies autem mea non videbitur:* Quis significetur, Deum ex operibus, quæ humeris repræsentantur, cognosci posse; at faciem, i.e. essentiam, à nemine comprehendi. Secundum hæc, inquit Aben Ezra, hic Scripturæ locus non adversatur alteri, quo Dominus facie ad faciem cum Mose locutus legitur. Nam illis verbis non aliud denotatur, quam Mosem prophetiam suam, nullo alio interveniente, ab ipso Deo accepisse. Prorsus quemadmodum duobus hominibus inter se collocutis, dicimus eos ore ad os locutos; ita & cum Dominus facie ad faciem, ac alibi ore ad os cum Mose locutus dicitur, ea mens Scripturæ est, Deum ipsi Mosi arcana sua revelasse. Etenim, sive quatuor revelationis species sint, ut Augustino * & Richardo ‡ placuit; sive quinque uti Abulensis;

[Marginal notes: * cap. 1. 31. — * lib. 65. quæst. 63. lib. 12. Genes. ad lit. — ‡ lib. 1. super Apoc. c. 1.]

Abulensis; † seu sex, quemadmodum Isidorus * & Thomas ‡ statuunt; seu denique undecim; quæ R. Mosis, † & maxime congrua Scripturæ, opinio est: constat Mosi excellentissimã earum obtigisse, quippe qui cuncta ut in se erant viderit. Adeo ut quaternis ille reliquos omnes prophetas superaverit, uti ostendit R. Moses in Iad a-hazaqua *, & R. Bahie † ad Leviticum. Quamvis autem Israeli eadem felicitas obtigerit, ut Dominum videret (unde Scriptura ait, ‡ *facie ad faciem locutus est Dominus vobiscum*) id solum accidit die quo Lex data est, volente Deo imprimere animis eorum ingens illud miraculum: at Moses semper id habuit. Nec in eo ulla difficultas est, quod Iacob inquit כי ראיתי אלהים פנים אל פנים * *Quia vidi Eloim facie ad faciem.* Nam Eloim dixit de angelo, quicum luctatus erat. Ergo facies Dei videri nequit, i.e. essentia; quam ne ipsi quidem angeli noverunt. Facie autem ad faciem Deus cum Mose locutus dicitur, quia ipse ei arcana sua revelavit. Quamobrem doctè hunc locum transtulit divinus Anquelos a-ger ממלל עם ממלל *verbum cum verbo*; significans, sermonem Mosi ad Deum, & Dei ad Mosem æqualem fuisse, quia inter se loquebantur: at visus inæqualis erat; nam Deus quidem Mosis naturam, at non item Moses divinam perspectam habebat.

† c.1. Matth. qu.34. & in 3. Reg. 13. * Ethic. 7.c.8. ‡ 2.2.qu. 174. ar.1. † Morè lib.2. cap. 45. * Iesode Tora cap.7. † Par. Vaijcra. ‡ Deut. 5.4. * Gen. 32.30.

---

## QVÆST. XLIX.

Exodus. 34.1. *Dola tibi duas tabulas lapideas, similes illis prioribus; ut inscribam istis tabulis eadem verba, quæ fuerant in tabulis illis prioribus.* Item Deut. 10.2. & 4.

Ibid. 35.27. *Scribe tibi verba hæc.* Item vers. 28. *Inscripsitque tabulis verba foederis, decem præcepta.*

PRiore loco Dominus sese scriptutum tabulas ait; ex posteriore colligi videtur eas à Mose scriptas.

## CONCILIATIO.

VEterum juxta ac recentium autorum ea est opinio, tam primas, quam secundas tabulas, Dei manu scriptas fuisse. Idque ipsa dictare ratio videtur: nam credibile est, in Lege, quæ hominibus salutis caussa erat, nihil ab humanis manibus profectum fuisse. Quandoquidem vero decem præceptis tota Lex, omniaque sexcenta ac tredecim mandata continebantur, ut in Kad a-quemah * demonstrat R. Bahie, & autor Keter Torã, certum est ea à Domino scribi debuisse. Igitur posteriora duo, quæ citavimus loca, manifestum est alio sensu accipienda, ab eo quem præferre videntur. Et primo quidem, cum legimus, *Dixitque Dominus Mosi, scribe tibi verba ista, quia ex ore horum verborum pango tecum fœdus*: intelligendum est, Deum non imperare Mosi, ut decem præcepta scribat, sed reliqua, quæ postea protulerat. *Scribe tibi verba ista*, nimirum quæ supra retuli, à capite XXI. Alter locus plus difficultatis habet. *Fuitque ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes; panem non*

* Ot Sin

*comedit, nec aquas bibit, inscripsitque tabulis verba fœderis, decem præcepta.* Sed sciendum est, cum è duobus locis clarus alter, alter ambiguus est, prorsus adhærendum ei, cujus sensus perspicuus est, & alterum ita interpretandum esse, ut cum priore congruat. Hic cum uno loco disertim legamus, Deum tabulis inscripsisse, alter, qui obscurior est, in eandem mentem flectendus. *Fuitque ibi,* ait Scriptura, *cum Domino XL dies & XL noctes, panem non comedit, nec aquam bibit; inscripsitque tabulis, &c.* quo loco vocem *inscripsit*, quæ ad utrumque referri potest, ad Deum referri oportet. Hæc sane conciliatio in Guemara
* cap. 12 Sabat *, Ialcut †, & Rabot ‡ traditur. Addere licet, quod scribit R. Isacus Ara-
† art. ma, res penitus divinas manere inter homines non posse; ideoque priores tabu-
397. las periisse, * *Quia tabulam opus Dei, & scriptura scriptura Dei.* Quam ob rem
‡ cap. 46 Dominus iussit Mosem dolare tabulas; ut ille corpus, h.e. lapidem, Dominus
* Exod. animam, i.e. scripturam daret. Quo facto tabulæ illæ manserunt, quippe, ut cæ-
32.16. tera humana, ex materia & forma compositæ.

Notandum quoque est, quod R. Moses in directore lib. I. cap. VI. ait, essentiam lapidum illorum naturalem fuisse, non autem artificialem, ut stylo, aut aliquo instrumento iis inscripta essent decem præcepta. Alii contrarium statuunt, idque pertinere putant ad majestatem tabularum, quod Deus illis ipse verba sua inscripserit. Sed augustius est dicere ita à Domino creatas, ut quoque
‡ Maase observat R. Elihezer Azquenazi: ‡ nam hoc modo ipsa quoq; natura testis erat
torà mundi sex diebus à Domino creati; contra gentilis philosophi opinionem, qui
cap. 14. eum æternum asserebat.

## QVÆSTIO L.

Exod. 34.27. *Scribe tibi verba istæc.* | Ibid. *Quia ex ore horum verborum.*

QVare Dominus, postquam iusserat Mosem illa verba scribere, dicit illum animo illa retenturum, atque ore traditurum?

## CONCILIATIO.

IN Gemara Gitin cap. v. & Temura cap. II. ad solvendam hanc quæstionem, affirmatur, Dominum renovasse Mosi Legem scriptam, quam nuncupant תורה שבכתב, & commentarium ejus, qui vocatur תורה שבעל פה *Lex quæ supra os*; idque quia mente servanda erat expositio legis, quo ore & vivà voce posteris traderetur, unde & nomen קבלה acceptionis habet. Ergo ad duplicem hanc legem respiciens Dominus, diversa illa verba protulit. Sed quandoquidem ad hunc locum perventum est, omnino operæpretium videtur exponere, quid Kabala sit, in quot partes dividatur; dein quomodo asseri veri as & usus ejus queat, contra illos qui Kabalam ullam esse negant. Materia prolixa est, sed nos summa rerum tantùm, & maximè necessaria carpemus.

Principio igitur sciendum, cæteras omnes linguas artificio humano excogitatas esse, exceptà Hebræà; quæ quia autorem habuit Deum, לשון הקדש *lingua sancta*

*ſancta* appellatur. Et quemadmodum ea provenit ex ſupremâ atque infinitâ ſapientiâ,ita ſingula illius verba maxima myſteria continent,quæ cuncta aſſequi nullus mortalium poteſt. Hinc divinus R. Simhon ben Iohai in ſacro libro Zoar * ait,Væ homini exiſtimanti,Legem nihil præter ea continere, quæ prima fronte verba ejus ſignificare videntur. Etenim id ſi verum foret, reperirentur hodieque homines,qui præſtantiora, quam illa, narrarent. Sed notandum eſt, Legem corpore aſſumto veniſſe. Quippe ſi angelos in hunc mundum deſcendentes neceſſum eſt corpus aſſumere; quando alioqui neque illi permanere in eo, neque mundus ferre eos poſſet: quanto magis Legem,quæ eos creavit, ac inſtrumentum fuit,per quod mundi creati ſunt, & adhuc ſuſtentantur, neceſſarium erat,ut hominum captui accommodaretur, corpore indui, ſine quo mundus ejus nequaquam capax eſſet? Illud corpus hiſtoria eſt, cui qui animam, i.e. myſteria ineſſe non arbitratur, ne habeat partem in altero mundo. Hæc magnus ille Theologus, cujus verba cum certa, tum admiratione digniſſima ſunt. Nam ſublimibus atque efficaciſſimis verbis probat Legem animatam eſſe,cujus corpore (ut ſubiicit) ſoli gaudeant ignorantes; cum ſapientes altiſſimi Regis ſervi, ſolam animam,quæ potior pars eſt,conſiderent; & alii ſapientes animam hujus animæ. Vnde manifeſte videmus varios hominum gradus in ſtudio Legis. Stupidiores ſolum corticem externum,i.e.hiſtoriam conſiderant,quorum ſtudium ſummum eſt,cognoſcere, quem ſingula finem habuerint. Tales ob bonum propoſitum ſervantur, tametſi non intelligant penitiora Legis ſecreta. Aliis ſufficit ſcire expoſitiones præceptorum, & cærimonias, quam ſcientiam משנה *Miſchnà* nuncupamus,i.e.lectionem; aut,alio animo תורה שבעל פה *Legem oralem*,quia ea ore ac memoria ſapientum continetur. Alii denique incumbunt indagandis altiſſimis Legis myſteriis,quæ vocibus,literis,punctis, atque accentibus muſicis continentur. Horum primos idem R. Simhon ben Iohai vocat מארי מקרא,*Dominos Scripturæ*; ſecundos מארי משנה *Dominos lectionis*; poſtremos vero מארי קבלה *Domines Kabalæ*, i.e. traditionum; quæ docent ſecretas Legis expoſitiones; quasque Moſes, ex ore Domini acceptas, ſapientibus revelavit, illi poſteris ſuis. Videmus hinc, ſub nomine Legis mentalis,ſive traditæ, comprehendi duas,in quas dividitur partes, Miſnam videlicet,quæ clarus commentarius eſt Legis ſcriptæ; & ſcientiam occultam, quæ per excellentiam appellatur Kabala. Qui in Miſna occupantur, comparari poſſunt apothecariis, qui potiones & medicamenta ſua ex variis ſimplicibus parantes, cum vires eorum ipſi ignorent, tantùm præſcriptum medicorum ſequuntur. At Cabalæ ſtudioſi ſunt inſtar doctorum, qui cauſas & rationes eorum, quæ ægris præſcribuntur, intelligunt. Exempli gratia: Iubet Lex, Tephilin poni inter oculos, & manibus in ſignum alligari. Sed quid proprie ſint Tephilin, aut quid ſignificet vocabulum טטפות, non declaratur. Quia autem fieri nullo modo poteſt,ut omnes congruant in tali re,oportet audire Miſnam,& Legem oralem, à Deo Moſi revelatam,quæ docet,ex tali materia,tali formâ fieri ea, & tali loco poni debere. Hoc quamvis ſufficiat ad obſervandum præceptum divinum, non tamen animo noſtro ſatiſfactum eſt, qui cauſſam hujus mandati, & quid eo denotetur, inveſtigare vult: quale myſterium lateat ſub corio nigro, ex quo ſolo parare ea licet; quid arcani habeant duæ illæ literæ, ש ſin,quæ tria,& altera quæ quatuor puncta habet: quid ſignificent quatuor partitiones Tephillæ quæ capiti appli-

(* *Par. beaalotha.*)

cantur; quid foramen, cui corrigia inferitur. Hæc omnia explicantur Kabalà, indeque vocatur anima animæ. Verisimile autem est, Mosem, ter XL diebus in monte commoratum, triplici huic studio per illud tempus incubuisse, impenso unicuique eorum XL dierum spatio. Nam quia principia difficiliora sunt, paulatim se haud dubiè præparavit: in prioribus autem exercitus, scientiam Kabalisticam, quamvis difficillimam, eodem, quo cæteras, spatio hausit. Ergo hinc satis patet, quid Kabala ipsa, quæ partes eius sint. Iam verò libet quoque scientiæ hujus curiosis ostendere, quâ ratione Cabalistæ profundissima Legis mysteria indagent. Quemadmodum Thalmudici, sive doctores תלמוד Thalmud (quomodo Mischnæ expositio vocatur) in casibus civilibus ac criminalibus sequuntur tredecim illas regulas, aut dialecticos canones, qui per traditionem à R. Ismaele accepti, in Siphre * memorantur, & doctissimè expositi sunt à Rab Aaron

* Par. Vaiicra. aben Haiim in Midot Aaron; ita reperio tredecim quoque modos esse, quîs Cabalistæ eruant arcana S. Scripturæ, & protologicos sensus: quos quàm brevissime, & claris exemplis demonstrabimus. Igitur facto initio à primo Legis vocabulo בראשית *Beresit, in principio*, non levis se nobis difficultas objicit. Nam juxta Grammaticorum regulas dicendum erat בראשונה Barisonà; quatenus Beresit in formà regiminis est, nec tamen sequitur nomen quod regat. Cum verò certum sit, nihil in S. Scriptura perperam aut frustra scriptum esse, dicunt Theologi, multa hanc vocem mysteria continere; quia בראשית *Beresit*, significet חכמה, *Hochmà*, *scientiam*, unam ex decem illustrissimis lucibus. Vnde colligunt, innui hîc, per summam sapientiam mundum à Deo creatum, juxta verba

* Prov. 3.19. sapientis, * *Dominus cum scientia fundavit mundum*: i.e. scientia fuit caussa instrumentalis in creatione mundi. His ita expositis, progrediuntur ad regulas illas, quîs mysteria Legis eruuntur.

I. נוטריקון

1. Earum prima נוֹטָרִיקוֹן *Notaricun* appellatur; quæ docet ex singulis cuiusque vocabuli literis totidem formare voces. Jta ex בְּרֵאשִׁית quod sex literis constat, hæc verba faciunt, בראשונה ראה אלהים שיקבלו ישראל תורה *in principio vidit Deus Israelitas legem suscepturos*: unde colligunt, mundum creatum Legis gratià, quam Israel accepturus esset. Per eandem quoque regulam unum vocabulum in bina dissolvitur; ex בראשית faciunt ברא שית *creavit sex*; nimirum, sex dies creationis; aut sex extrema mundi, summum, imum, & quatuor latera. Aliàs eandem literam bis ponunt in diversis vocabulis, ex שמים *Samaim, cœli*, facientes שם מים Sam, maim, *ibi aquæ*, ob crystallinas, quæ in eo sunt, aquas. Rursum & unam in principio literam addunt, ut ex שמים *Samaim*, fiat אש מים Es maim, *ignis & aqua*: indeque, cum Platone, probant, cœlum ex igne & aqua esse compositum. Vtuntur etiam hac regula Thalmudici, & egregia per eam ex Scripturæ verbis eliciunt. Ita quo loco Iacobus filio Iosepho dedisse dicitur tunicam פסים *è frustulis*, hac voce innui volunt quatuor ejus infortunia: nam ex quatuor ejus literis formant quatuor vocabula, פוטיפר סוחרים ישמעאלים מדנים *Potiphar, mercatores, Ismaelitæ, & Madianitæ*; quibus omnibus ille venditus fuit.

* cap. 1. In Gemara Sota * aiunt sapientes, literas nominis אדם *Adam*, significare אפר דם

‡ cap. 29 מרה *cinerem, sanguinem, fel*. Hac autem regula, ut ait R. Semuel Arcovoltus in

† cap. 12 Arugat a-bosem, ‡ tantùm utendum est ad honesta & utilia ex Lege petenda, quorum exempla nonnulla in Colbò memorantur. In Gemara Sabat † quoque legas hanc regulam ex ipsa S. Scriptura desumtam esse; quia Dominus Abrami

nomen

nomen in Abraham mutans, dixerit id se imponere, quia futurus esset אב המן
*pater multitudinis*,uno vocabulo in bina, quæ continebat, dissoluto.
Alteri regulæ nomen est צירוף *Ziruf*, i.e.combinatio: cum literæ ejusdem vo- II.
cabuli variis modis transpositæ,nova,& diversa formant vocabula:sic בראשית per צירוף
metathesin est בא׳ תשרי *primo Tisri*. Vnde colligunt, mundum fuisse creatum
Tisri, seu Septembri mense; rursum alià transpositione בראת יש *creasti ut sit*,
quo significari volunt,mundum, non ex materia prima, sed nihilo creatum : &
iterum alia metathesi ברית אש *fœdus ignis*, quod congruit verbis Mosis Deut.
XXIII.2. Et ne plura addam, R.Simhon ben Iohai composuit librum suum
Ticunim de septuaginta duabus combinationibus huius dictionis: nam ut dici-
tur in Sepher Jesira, ex vocabulo duarum literarum totidem formantur voces;
ex trilitero sex; ex quadrilitero sexdecim; atque ita porro. Idque fit quia cum
literæ spirituales,& figuræ simplices sint,necessario (ut ait sapiẽs R.Moses Cor- * *Pardes*
doverus*)transponendæ sunt variis modis; quod qui recte facere noverit,etiam *Saar a-*
miracula edere potest. Hujus quoque regulæ veritas,meo judicio,ex S.Scrip- *otiiot*.
tura asseri potest. Nam cap.VI.Genes. Noah gratiam invenisse dicitur in ocu-
lis Domini;nomen autem נח, *Noah*,transpositum est חן *gratia*. Et de Her legas,
ויהי ער רע בעיני ה׳ *Fuitque Her malus in oculis Domini*. Nomen ער *Her* transposi-
tum est רע *Rab*,malus.
Tertiam nuncupant גמטריא *Gimatria*; cujus fundamentum sunt numeri: nam III.
cum literæ Hebraicæ simul & numeri sint, omnes res continent. Pythagoras גמטריא
sane numeris mundum à Deo conditum ajebat:& Platonis ideæ,ut Quæst.III.
Exod.demonstravimus,literæ sunt.Exemplum hujus regulæ habemus in בראשית
*Beresit*,cujus literæ eundem efficiunt numerum,quem verba בתורה יצר *Lege for-*
*mavit*. Hinc colligunt,Legem fuisse caussam instrumentalem mundi. הריון *con-*
*ceptus*,valet CCLXXI.unde coniectant tot diebus,ratione naturali fœtum in utero
esse. Volunt quoque Legem à litera ב, quæ duo valet,incepisse,ad significan-
dam duplicem Legem,scriptam & vocalem; aut justitiam & misericordiam,
aliaque id genus. Hac Gimatria, diversis modis utimur, ut rraditum est in
Pardes rimonim*,sæpeque ad numerum quem verbi alicujus literæ faciunt,uni- **Saar a-*
tas adjicitur,quam vocant כולל *Colel*,quia pro totà voce ponitur. Sic ברית *Berit*, *ziruf*
*fœdus*,valet DCXII, adiecto Colel, DCXIII; hinc ajunt,idem vocabulum,quod *cap*.8.
Legem denotet, etiam sexcenta & tredecim præcepta significare, quibus Lex
constat. Etiam hoc arcanum numerorum ex S.Scriptura petitum iudico. Ete-
nim (ut I.Reg.cap.XVIII.31.legimus) Elias propheta duodecim lapides sum-
sit ad edendum miraculum; non tantum quia totidem filii Iacobi erant; quod
parum ad rem faciebat; sed ob mysterium quod numero duodeno contine-
netur, cujus caussà etiam ipse Iacob duodecim filios habuit, quamvis S.Scrip-
tura illud sub historia obtegat. Hac Gematria passim utuntur Thalmudici;
multoque magis recentiores autores, & in his R.Selomo Molhus in sermoni-
bus suis, R.Iaacob ben Habib Baal a-turim, R.Mordehai coen in Siptè, coen
R. Sabetai in Sephà tal, & autor Minha Belula : & sublimia per eam mysteria
inveniuntur.
Quartæ nomen est צורה *Zurà*,forma, aut figura. Hæc nititur formis chara- IV.
cterum. Ita volunt Legem à litera ב incepisse, quia litera hæc tribus constet צורה
lineis,i.e.tribus ו *Vavim*,quæ si scribas literis suis,hoc modo ואו valent ter XIII,
seu

ſeu triginta novem, quem numerum facit quoque, יהוה אחד *Deus unus*. Dicunt quoq; literam hanc punctum in ſuperiori, & alterum in inferiori parte habere, ad denotandum, Dominum, qui in cœlis eſt, mundum creaviſſe: quod ſequenti litera ſignificatur, nimirum א, quod ab utroque latere punctum ſive Iod habet, & in medio ו *Vau*, quæ ſimul faciunt numerũ XXVI, qui & Tetragrammato continetur. Ita & Aleph ſcriptum literis ſuis hoc modo אלף ſignificat *Aluf*, id eſt, Dominum, & inverſa voce, ut noviſſima litera prima ſit, habes פלא *admirabilis*. Sane ipſa ratio dictare videtur, characterum formas, à ſupremo artifice repertas, myſteria continere, qui non ſine cauſſa hanc aut illam, illi atque alij literæ formam dedit.

V. ר״ת ס״ת Quinta nuncupatur ראשי תיבות וסופי תיבות Raſè tebot ve ſophè tebot. *Principia verborum, & fines verborum.* Exempli gr. Deut. XXX. 12 מי יעלה לנו השמימה *quis faciet aſcendere nos in cœlum?* quatuor literæ principes horum verborum faciunt מילה Milà, circumciſio; quatuor extremæ formant venerabile Dei nomen Tetragrammaton יהוה ita ut eadem verba & quæſtionem & reſponſum contineant; quæſtio eſt, quis nos evehet in cœlum; reſpondetur, Dominus per circumciſionem. Aliquando etiam mediæ verborum literæ ſumuntur, תוכי תיבות, *media verborum.* Hac regula multum hodierni autores utuntur; per quam ex variis S.S. locis, non ſine cauſſà, ineffabile Dei nomen elicitur. Sic * ישמחו השמים ותגל הארץ ſunt יהוה *Dominus*. Alias idem nomen inverſo ordine ſcriptum reperitur; ut vox ab ultima ejus litera incipiat: quod rigoris ſignum eſſe ſtatuunt Cabaliſtæ.

* Pſal. 96. 11.

VI. תמורה Sexta regula תמורה *Temurà*, i.e. *permutatio* docet ת ſumere pro א, ש pro ב, atque ita in cæteris. Hæc ſimiliter adſtruitur autoritate S. Scripturæ. Nam propheta Ieremias cap. XXV. ne irritaret Regem, nomen בבל artificioſe mutavit in ששך, duo ש pro duplici ב, & ך pro ל ponens. Quà ratione multa Dei nomina inveſtigantur, uti illa quæ petuntur ex benedictione ſacerdotum. Legatur liber Siptè coen*.

* Par. Naſſob.

VII. חסר ומלא Septimæ nomen eſt חסר ומלא, i.e. *defectiva & plena*: eaque cùm Thalmudici, tum Cabaliſtæ, frequenter utuntur. Eſt autem ſubnixa admirabili ratione. Nam videtur orthographiæ ratio in S. Scriptura ſemper hbenda; quæ tamen nonnunquam negligitur; ut cum אלוה *Eloà* Deus, cum ו ſcribendum, Deut. XXXII. 17. ſine eo ſcribitur לא אלה *non Deus*. Pari ratione quoque אלהי *Elohè*, in forma regiminis, aut cum affixo, ſemper defective ſcriptum invenias, præterquam duobus locis, quæ Maſſorethæ notarunt, quibus curæ fuit colligere, quoties eadem vox in S. Scriptura eodem modo ſcripta reperiatur. Edidit de ea re R. Mehir Angel librum Maſoret a-berit, & R. Moſes ben Semuel rex, opus Sepher a-Meſarot. Rationem ejus dant Cabaliſtæ, quorum expoſitione deſtitutus facile quis hallucinetur. Ita vox כלות *Calot* ſemper cum ו ſcribitur; at Num. VII. 1. illud abeſt: dicunt Cabaliſtæ כלת כתיב *Calat ſcriptum eſt*. Etenim quia Lex ſine punctis vocalibus data eſt, ſimilis illis Sepharim quos hodie in Synagogis ſuis habẽt Hebræi (ut teſtantur R. Iehuda Levita in Cuzari lib. III. art. 30. R. Aben Ezra in Zahot, & R. Elias Grammaticus in Maſſoret a-maſſoret *) ubi vox aliqua occurrit, cujus literæ nõ adſtringant ad certas vocales, licet quæcumque libuerit puncta eidem adſcribere. Sic Calot, quia ו abeſt, etiam legi poteſt Calat, *Sponſa*, ob incluſum myſterium. Thalmudiſtæ per hanc regulam

* akdama 3.

multa

multa variaque in Lege obſervant, ut videre eſt in Gemara Peſahim cap. XI. & in Kiduſin, aliiſque locis. Quando autem vocabulum aliquod diverſis punctis legunt, dicere ſolent, יש אם למקרא ויש אם למסורת *eſt locus ſcripturæ, & eſt locus Maſoræ*; innuentes poſſe & eo quo ſcriptum eſt modo, & eo quo ſcribi poteſt, vocabula illa legi.

VIII. סתומות ופתוחו׳

Octava appellatur סתומות ופתוחות *Setumot u-petuhot, clauſæ & apertæ*. Hac indagant, quam ob cauſſam inter duas diverſas materies nonnunquam פ *Pè* ponatur, i.e. פתוחה Petuha, *aperta*: alias vero ס *Sameh*, i.e. סתומה Setuma, *clauſa*. Præterea &, cur locis quibusdã, quis non oportebat, ſpatium relinquatur: ut in hiſtoria Cain Gen. IV. 8. ubi פיסקא Piſca, *ſeparatio* eſt. Hoc modo ויאמר קין אל הבל אחיו *Dixitque Kain Hebeli fratri ſuo*, hic deinde pauſa eſt, mox ſequitur, ויהי בהיותם בשדה *fuitque cum eſſent in campo*. Numerorum XXVI. 1. habes, ויהי אחרי המגפה פ ויאמר ידוה inſerto פ in media periodo. Contra Paraſcha ויחי *Vaihi*, quæ ultima Geneſeos eſt, in Sepher Torà nulla diſtinctione ſeparatur, quam tamen reliquæ omnes habent. Certum eſt, hæc myſterio non carere. Nec abſimili ratione in fine vocabulorum reperias aliquando literas apertas, quas in principio, aut medio, tantum collocari, regulæ Grammaticæ docent. Ita in Ezra legas הם *Hem* illi. Aliàs clauſæ literæ, quæ fini tantum conveniunt, in medio collocantur; uti Ieſai. IX. 6. לםרבה *le-marbè*, ad multiplicandum: cujus rei rationem divine explicant Cabaliſtæ. Quoniam autem in divinis literis omnia cauſas ſuas habent, certum eſt, ad inveſtigandas illas, neceſſarium huius regulæ uſum eſſe, quia paſſim quoque Thalmudici utuntur.

IX. ק׳ ולא כתיב כ׳ ולא ק׳

Nonam vocant קרי ולא כתיב כתיב ולא קרי Karè ve-la quetib, quetib ve-la Karè, i.e. *legitur, nec ſcriptum eſt; ſcriptum eſt, nec legitur*. Multa namque verba aliter quam ſcribuntur legenda eſſe ex margine diſcimus; ſæpe & integram vocem ſupplere iubemur, quæ in textu non continetur. Ita Pſalm. XXIV. 4. reperias, ולא נשא לשוא נפשו *nec ſuſtulit ad vanitatem animam ſuam*; monent Cabaliſtæ legendum eſſe, *animam meam*, ob latens myſterium. Multus huius regulæ uſus apud Thalmudicos eſt, ad firmanda Dinim. Et quis dubitat myſterium eſſe in iis, quæ ſcripta, & in his quæ legenda ſunt.

X. אותיות קטנורת וגדולות

Decima regula nititur literis קטנות וגדולות Ketannot u-gedolot, *parvis & magnis*: quia aliquando in S. Scriptura literam reliquis minorem invenire eſt. Sic Gen. II. 4. in בהבראם *Behibbaream, cum crearentur illi*, ה parvum eſt; contra Deut. XXXII. 6. ה magnum in הליהוה *Si Domino*. Tales differentias nonnunquam reperias; ut in principe Levitici vocabulo, & XXXIV. cap. Exodi aliiſque pluribus locis. Eſt quoq; ubi litera, altius quĩ reliquæ, collocatur, ut Iudic. XVIII. 30. נ in nomine Menaſſeh: aut rurſum inverſa deprimitur, uti cum X cap. Num. duo נ *Nunin*, hoc pacto ſcribuntur ɾ. Quæ myſterio ſuo non carere, rectè notavit R. Ephraim in Hir giborim*. Poſſint quidem talia negligentiæ librariorum imputari in reliquis libris; ſed in divinis ſcriptis omnino judicandum eſt, ea non forte, ſed conſultò, ob latens arcanum, ſcripta eſſe.

*Par. Aazinu.

XI. חילוף

Vndecima eſt חילוף Hiluf, *variatio*, quâ continentur literarum mutationes, cum una pro altera ponitur: uti Genes. XIII. 2. אהלה Aolò, *tentorium ejus*, quo loco, juxtà Grammaticorum præcepta, ו pro ה ſcribendum erat. Huiuſmodi commutationis complura occurrunt exempla; quorum Grammatici rationem non aliam afferunt, quàm quod uſurpari unam pro altera dicant. Sed occultior

caussa subest, solorum Cabalistarum scientiæ reservata. Sic sæpe quoque literæ האמנתיו sub finem vocum redundant, aut superfluæ sunt; cæterum non sine mysterio; nam nihil frustra ab summo Creatore scriptum est.

XII. נקודות Duodecimæ regulæ fundamentum sunt puncta quæ נקודות *Necudot*, vocamus; ubi rursum mysterium in eo est, quod inter ea quinque Reges, quinque ministri, unus minister ministrorum appellatur; uti recte observavit doctus Cordoverus*. Idque ex ipsa S. Scripturâ comprobari potest: nam nomen ineffabile, quod semper scribitur יְהֹוָה Deut. III. 24. aliter punctatum legas יֱהֹוִה quod non fortè factum est. Alibi reperimus puncta superflua literis adscripta; ut vers. ultimo cap. XXIX Deut. in duabus vocibus, לנו ולבנינו *nobis & filiis nostris*: & sic in reliquis locis, quæ cuncta constat aliquid abditi notare. Videantur quæ Thalmudici in Gemara Berahot cap. I. ac aliis tractatibus super hoc loco scripserunt.

* *Pardos rimonim Saar a-Tahami.*

XIII. טעמים Decimatertia ac postrema regula subnixa est טעמים *Taamim*, sive *accentibus* musicis; quorum alii reges, alii serviles sunt: nonnulli inter periodos aut partes earum distinguunt, uti apud Latinos commata ac puncta; alii rursum connectunt, prout sensus cuiusque loci exposcit. Difficultas autem ex his oritur, quod nonnullis locis connectenda separantur, aut separanda connectuntur, ut Num. XXVII. 3. legimus, filias Zelophad dixisse, אבינו מת במדבר *pater noster mortuus est in deserto.* Hic vocabulum אבינו *pater noster* habet accentum זרקא *Zarkà*, quo disparatur à sequentibus, cum tamen sensus nullam distinctionem pati videatur. Vnde in Zoar multa hic secreta occultari dicuntur. In decalogo verò unaquæque dictio duobus accentibus notata est, cum per totam S. Scripturam singulæ tantum voces singulos accentus habeant. Cujus rei soli Cabalistæ veras reddere caussas possunt: uti videre est in libro Reaia mehemna, Parascha Iitro; quem sæpe citat R. Semuel Arcovoltus in Arugat a-bosem cap. XXVII.

Atque hic compendium (quod nusquam reperias) benevole lector, dedimus tibi totius scientiæ Cabalisticæ; hæc sapientum nostrorum Theologia est, non solum rationibus validis, sed ipsius quoque S. Scripturæ verbis subnixa; quà probant Theologi, nullam artem, nullam esse scientiam, quæ non in Lege contineatur. Ex hac, tanquam Epilogo omnium, omnia colligunt. Quod si concesseris à Deo profectam esse, sequitur penitus spiritualem esse, nec modo talia, ac diximus, mysteria, sed & infinita alia, incognita nobis, eam complecti. Certe Israelitas in deserto agitantes, quibus panis cœlitus demittebatur, & cibaria, cunctaque ad victum & vitam necessaria, sponte obveniebant, verisimile est, cum nullis curis distinerentur, tantummodo huiusmodi mysteriis incubuisse; quippe quibus Moses maximus magister esset, quem consulere de cunctis possent.

Superest, ut necessitatem quoque Legis ore traditæ probemus. Quà in re, ob brevitatem, solas quæstiones proponemus, consultò prætermissa earum solutione; ut qui eam adferre ipsi nequeunt, sponte concedant, Legem certæ expositioni adstrictam, neque hanc aliam esse, quam Legem vocalem.

David Psalm. XIX. ait Legem Domini perfectam esse. Iam verò, cum perfectio cuiusque rei in eo consistat, ut neque abundet in ea quidquam, nec desit, Legem ore traditam necessariam esse confitendum est: nam multa sunt præ-

cepta

cepta in quibus desiderari aliquid videatur; in aliis rursū sunt quæ abundare iudicaveris; quippe quæ semel, iterum, tertiò repetantur: quod sequentia exempla satis comprobabunt.

Ac primo quidem, deesse aliquid videtur in principe præcepto, quod his verbis traditur Exod. XII. 2. *Mensis hic vobis erit principium mensium, primus ille vobis erit ex mensibus anni.* Nam præterquam quod mensis nomen omissum hic est, ne illud quidem exprimitur, solares an Lunares menses intelligantur; quorum diversa tunc apud gentes ratio: nam Ægyptiorum annus dies CCCLXV & quadrantem diei complectebatur, divisus in menses XII; Chaldæorū autem annus CCCLXV dies, & quartam aut quintam horæ partem. Adhæc non additur quà ratione Solaris annus in Lunarem, aut hic in solarem, redigi possit. nam Solaris annus verà supputatione CCCLXV dies, quinque horas, DCCCXVII. puncta, XII fragmenta: Lunaris autem, dies CCCLIV, horas VIII. DCCLXXVI puncta continet; numerum voce שנה *Sana, annus*, contentum, quæ valet CCLV. Et tamen cuncta ad intellectum præcepti scire necessarium est. Nam iussit Dominus Pascha azymorum celebrari decimaquinta die ejusdem mensis Nisan sive *Martii*; idque eo tempore quo jam maturum est hordeum: festum Hebdomadarum, sexto mensis Sivan, tempore messis: festum tabernaculorum, decimoquinto mensis Tisri, quando iam horreis illatæ fruges sunt: constat autem graviter peccare, qui ea festa aliis temporibus celebrat; & exterminii pœnam incurrere, qui fermentum in Paschate comedit: quod si conferre inter se annum solarem & Lunarem nesciremus, haud dubiè delaberemur in errorem Agarenorum, qui unoquoque triennio festa sua in diversis signis celebrant. Hæc omnia cum tanti sint momenti, cui non videatur rationi consentaneum fuisse, ut Moses eorum scientiam ore traderet?

II. Levit. III. 17. Vetat adipem comedi, qui cum valde similis sit pinguedini, oportebat declarari, quà parte bestiæ unum, quà alterum reperiretur.

III. Levit. XI. 13. Prohibet immundas aves edi, non addito, quibus signis illæ dignoscantur, quod tamen in quadrupedibus fecerat.

IV. Exod. XVI. 29. Jnterdicit, ne quis Sabbatho è loco suo exeat; neque exprimit, per locum illum, domus, area, civitas, an suburbia intelligantur.

V. Ibid. XX. 10. Opus Sabbatho fieri vetat, non exposito, quomodo vox illa accipienda, & qualia opera illo die licita sint.

VI. Levit. XXI. 12. Prohibet Sacerdotem templo digredi, nequaquam addito tempore, quo illud nefas sit, cum tamen sacerdos extra templum habitaverit.

VII. Deut. XXII. 23. Virgo desponsa, si rem cum quopiam habuerit, lapidari iubetur; quod nequaquam intelligendum est de ea, quæ verbis tantummodo promissa est; interea nec Scriptura explicat, quid per desponsatam intelligere oporteat.

VIII. Levit. XXI. 9. Filia coen, sive sacerdotis magni, si stupro se pollui passa sit, comburi jubetur; non expresso, de libera, an contra iam maritata, aut desponsa, sermo sit.

IX. Deut. XXII. 14. Marito conquerente apud senatum, conjugem suam quum nuberet virginitate caruisse, illa lapidibus obrui iubetur; nec additur, quo tempore eam impudicam fuisse oporteret, ad mortis supplicium promerendum.

X. Jbid.

X.Ibid.xxv.1.Præcepto de fratre cui glos in matri monio esse jubetur, hæc verba legas: *Si duo fratres una fuerint, & alter eorum moriatur &c.*ubi non explicatur, utrum illud *una* accipiendum sit de habitantibus in domo, aut vicinia eadem; an amicitia iunctis; vel denique eandem terram incolentibus,cuiusmodi expositiones facile nobis intellectus dictat.

XI.Num.8.27.In hæreditatum descriptione non definitur,utrum parentes filii hæredes essequeãt; quã in hæreditate partẽ habere coniux possit;aliiq; id genus innumeri casus.

XII. Exod.xx.10. Sabbatho opus prohibitum est,Levit.xii.3.circumcisio die octavo peragi iussa: neque additur differendumne huius caussa Sabbathum,an circumcisio in aliam diem transferenda sit.

XIII.Exo.xii.6.Eadem in agno Paschali difficultas est,qui decimo quarto die mensis Nisan offerri jubetur; nec tamen definitur,si is dies in Sabbathum incideret,hoc an ille negligendus esset.

XIV.Deut.xxiv.5. De matrimonio dicitur, *Quando accipiet vir conjugem*; non addito,quæ nam matrimonium faciant.Nihilominus cum unaquæque natio certis in eo cærimoniis egerit, videntur & eæ Hebræis præscribendæ fuisse.

XV.Ibid.17.16.Rex prohibetur multiplicare sibi equos,coniuges,aurum,& argentum.Iam vero cùm ambitio insatiabilis sit, clarum est certũ modum definiendum fuisse,quod tamen non fit.

XVI.Levit.xxiii.40.Jn festo tabernaculorũ termites speciosarum arborũ accipi jubentur; non addito nomine,quamvis tam multæ arbores speciosæ reperiantur.

XVII.Ibid.xxiii.17.Festo hebdomadarum iubentur die quinquagesimo ex habitationibus suis afferre panem agitationis; neque exprimitur, ex quibus habitationibus aut quo ex loco afferendus esset.

XVIII.Ibid. xviii. Inter matrimonia illicita non prohibetur conjugiũ cũ uxore avunculi,nec matre patris,nec matre matris.

XIX. Pascha azymorum celebrari jubetur mense Abib, maturis jam frugibus, non expresso,quibus locis maturæ segetes sint,cum hic citius,illic tardius, maturescant.

XX.De iugulatione animalium Deut.xix.1. dicit,*decollabis boves tuos, &c. ut tibi præcepi,*nec tamen ullum in S.Scriptura locum reperias,ubi id præcipiatur. De quo, ut & cæteris omnibus,Traditiones audiendæ sunt, quæ omnes illas difficultates expediunt. Et absque eo esset, contra quam David testatur Lex foret imperfecta. Atque hoc quidem quantum ad ipsa verba.Nam præterea & omnia ex ea petere possunt Thalmudistæ, per regulas quas traditione acceperunt.

Simili quoq; ratione superflua nobis multa viderentur, nisi traditiones haberemus. Nam præceptum de non coquendo hœdo in lacte matris suæ, bis repetitur, Exod.xxxiii.19.& xxxiv.26. Deut.xiv.21. Etiam cum dicitur hominem

nem ob duorum aut trium testimonium moriturũ Deut.xvII.7. supervacuum videtur tres testes nominare, quando etiam duo sufficiebant. Similiter Exod. xxI. 21. Servi à domino percussi necem vindicandam legimus, nisi diem unum aut alterum vulneri supervivat: si unus dies vitæ dominum absolvebat, cur de altero additur, cum ipsa illud res doceat? Hæc omnia nobis Traditiones & Cabala revelant, & mirabiles dant caussas; absq; iis esset, ut cæci, oberraremus, & nihil præter incertas conjecturas adferremus. Vt dubitandum non sit, Traditiones, seu Legem vocalem, maximè necessariam esse. Eamque ob caussam Exod.xvIII.16. iubetur Israel de gravibus quæstionibus Mosem consulere; quod opus haud erat, si omnia in Lege clara fuissent. Sed quia non omnes æque rectè eam intelligebant, necessarium Deut.xvII.9. esse dicitur, ab unoquoque consuli sui temporis Prophetam. Ideoque Moses * Legem sacerdotibus Levi filiis tradidit, ut eam cæteris interpretarentur; neque expositiones illas scribere voluit, quia ore tradita melius intelliguntur; scripta autem sæpe ambiguos habeant sensus. Traditione vero freti, Prophetas, & pios homines, probare possimus quædam fecisse, quæ Legi scriptæ adversari videantur. Ita Selomoh sanctificavit mediũ areæ, sacrificavit alibi quam in ara, & Pascha xIv diebus celebravit, incluso die Kipur. David & Semuel cantores cum instrumentis musicis instituerunt, qui in templo canerent. Hurias Propheta contra præceptum Legis in Ægyptum fugit. Hizquiahu Pascha mense secundo celebravit, quia populus mundatus non erat. Eliahu in monte Carmel, extra templum, sacrificavit: quæ cuncta, Scripturæ verbis adversantia, haud fecissent, nisi Traditionibus freti, quæ nonnunquam certas ob caussas hoc aut illud permittebant, ut variis locis in Thalmude legere est. Ergo ex his omnibus videre est, quam necessariæ sint Traditiones, sive Cabala, seu Lex vocalis. Scribit quidem Josephus lib. xIII. ad Roman *. & II belli Judaici cap. vII. tempore templi secundi Hebræos in tres classes divisos fuisse; ex quibus פרושים *Pharisæi* solas Traditiones sequebantur צדוקים ואיסיאי *Sadducæi & Essæi*, hi alio nomine ביתוסים *Baitosim* appellati sunt, (de quibus agit R. Natan in Abot cap. v. & R. Selomoh in Baba Batra cap. vIII.) eandem rejiciebant, ut traditur in Gemara Ioma cap. I. Megilat Tahamit. cap. I. Iv. & x. Menahot cap. vIII. Batra cap. vIII. Sabat cap. xIv. Mascechet Sophrim cap. xIv. Kidusin cap. III. Cuzari lib. III. commentario quem composuit R. Moses ad primum cap. Abot & Holin, ac Nahalat Abot Isaci Abravanelis; & Sadducæi Essæis eo peiores erant, eo quod immortales animas, & mortuorum resurrectionem negarent; sed hi non diu duraverunt, & post destructionem templi multum imminuti sunt, donec postea, temporibus Gueonim, Hanan, & filius ejus Saul (teste Abrabad in Sepher a-Cabala) iratus quod se non elegissent ducem ac principem captivitatis, eandem sectam renovaret, & cum discipulis nonnullis Traditiones negaret; eumque, temporibus R. Sehadia, secutus est Hivai Alcalabi, qui mille absurdorum, & novæ Legis autor fuit. Cæterum eos idem R. Sahadia ita superavit, ut paucissimi pravæ opinioni adhærerent; & hi ipsi rudes atque imperiti homines, qui nullum componere librum possent; unde & exclusi sunt communione Israelitarum, qui omnibus in

* cap. 9. & 18. & lib. II. c. 2.

locis uno consensu receperunt Legem vocalem, quam alio nomine Cabalam, aut Traditionem vocamus, quia eam Mosi Dominus ore revelavit, eoque respiciens dixit, *ore ad os loquor cum eo.* Deus sit dux noster ad veritatem.

## FINIS QVÆSTIONVM IN EXODVM.



# MENASSEH BEN ISRAEL
## QUÆSTIONES
## IN
# LEVITICVM.

# IN LEVITICVM.

Levit. I. 2. *Quisque cum offeret è vobis oblationem Domino, ex iumentis, ex bobus, & ex ovibus offertote sacrificium vestrum.*

Ies. I. II. *Quorsum mihi multitudo sacrificiorum vestrorum?* Iere. VII. 22. *Nam non sum locutus cum majoribus vestris, neque præcepi eis, quo die eduxi eos ex terra Ægypti, de rebus holocausti & sacrificii.*

SAtis magna horum locorum esse pugna videtur; quando I. Levit. Deus sacrificia imperat; Prophetæ contra negant eũ illa velle; Ieremias etiam, ne imperata quidem ait, cum ex Ægypto educerentur Israelitæ.

## CONCILIATIO.

PLerique omnes Prophetæ affirmant Deum bona tantum opera ab homine exigere: unde verba Samuelis †, *obedire est melius sacrificio*: & Michæ ‡ *Non accepta habet Deus millia arietum magis, quam ut jus exerceas, & ames benignitatem.* Ait quoque Selomo *, *Melius est audire, quam ut imperiti sacrificium offerant.* & Asaph: † *Non propter sacrificia tua arguam te, non accipiam è domo tuâ juvencum*; quæ loca manifeste demonstrant, quam parum Dominus id genus cultu oblectetur; & nihilominus idem in Levitico sacrificia disertim fieri imperat. His adductus R. Moses ‡ existimabat verba Prophetarum proprie accipienda esse; nimirum, nihil aliud Dominum velle, quam ut præceptis suis addicte pareatur. Ideoque, ut ait Ieremias, non mox ab exitu ex Ægypto tale illis præceptum dedit, multo minus tanquã rem essentialem eam decem præceptis inseruit, nec in Marà ullam ejus fecit mentionem. Postea tamen sacrificia præcepta sunt, quia Israelitæ, inter barbaram Ægyptiorum gentem nati atque educati, gentiles quoque mores hauserant, sacrificandi dæmonibus atque immundis spiritibus, & cœlestia signa tanquam Deos colendi. Quandoquidem autem consuetudo altera est natura, si Dominus ea vetuisset, fortassis nequaquam paruissent mandato; quippe penitus persuasi hunc esse verum cultum Dei; perinde ut nos, siquis iam Propheta persuadere vellet, solas cogitationes sine actu sufficere, & orationes ac jejunia nihil nisi vana & ridicula esse; haud dubie illum pro pseudopropheta ac impio homine haberemus. Ob hæc Dominus, pro infinita sapientia sua, veterem iis morem reliquit, nisi quod ad exstirpandum ex animis eorum idololatriæ nomen, jussit, quandoquidem penitus sacrificandum putarent, sanctissimo nomini suo oblationes illas fieri, non autem creaturæ alicui. Se enim esse verum illum Deum, ad quem cuncta dirigi oporteret. Vnde Levit. XVII. 7. *Nec sacrificabunt amplius sacrificia sua dæmonibus, quia post eos errant.* Et alibi *, *Homo cum offeret sacrificium Domino.*

Margin notes: li. 3. 32. — † I. lib. cap. 15. 22. — ‡ ca. 6. 7 — * Eccles. 4. 17. — † Psalm. 50. 8. — ‡ Moreh lib. 3. 32. — * Levit. I. 2.

Eodemque fine, inquit porro R. Moses, præcepta fuit tabernaculi & templi fabrica. Ergo cæremoniæ sacrificiorum non præceptæ fuerint tanquam in se excellentes; sed ut iis exstirparetur idololatria. Atque hoc pacto loca illa conciliantur. Neque est quod quisquam obiiciat, cur Dominus non penitus pravam religionem ex animis Israelitarum evulserit. Nam Deus non vult pervertere ordinem naturæ. Sic neque Israelem per terras Philistæorum ducere voluit, quia iter illud brevius erat. Aiebat enim, ne populus hic pœnitentia ducatur, ubi se oppugnari viderit, & in Ægyptum revertatur. Videmus, quamvis Dominus potuisset voluntatem eorum mutare, ut nunquam tales cogitationes animos illorum intrarent, non tamen id fecisse. Quod ipsum quoque de sacrificiis dici potest. Igitur putabat R. Moses, sacrificium non propter se à Domino imperatum; ideoque voluisse eum, ut nec sæpe, nec ubique, nec ab omnibus fieret, verùm in templo tantum à sacerdotibus.

II. Divini Theologi Cabalistæ prorsus ab hac opinione abeunt. Itaque R. Moses Gerundensis, & R. Selomoh lebet a-Levi, in opere suo dibrè Selomoh, multis argumentis sententiam Maimonidæ oppugnantes, quærunt, si cultus ille tantũ prætendebatur & aliò Deus tendebat, cur tot præcepta circa eum, tot cærimoniæ fuerint; præsertim cum & Kain, & Hebel, priusquam idololatria ulla mundũ invasisset, sacrificaverint, & postea Noachus arca digrediens, cujus sacrificii odor tam acceptus Domino fuerit, ut juraret se nunquam deinceps aquis mundũ esse perditurum. Etiam Bilhamum videmus septem aris erectis sacrificasse, non ut idololatriã exstirparet, sed quia rebatur eâ re vota sua exauditum iri. Vnde statuunt Cabalistæ, sacrificiis non modo peccatorem Deo reconciliari, verùm & cœlestes influxus attrahi, quis terreni cœlicolis coniungantur. Eadem in opinione fuit R. Iehuda Levita.† Et quamvis paullo prolixior sit, libet nihilominus utilissimum colloquium, quod super hâc re inter Haber, & Regem Cozar, apud eum legere est, hic transscribere. Rex Cozar, appellato Hazer, est, inquit, in Lege vestra res intellectu perquam difficilis; videlicet, sacrificia; de quibus dictum est, * *Sacrificium meum panem meum ad victimas meas.* Cum Deus incorporeus sit, cur ei cibum offertis? Respondit Haber, nequaquam ita sacram Scripturam loqui, sed verba ejus לחמי לאשי vertenda esse *panis meus ad ignes meos*; sacrificia consumebat ignis, reliqua vero sustentaculum vitæ sacerdotibus erant. Tum Rex, atqui, inquit, sapientes vestri ob sacrificia divinitatem inter vos consedisse volunt, & cessantibus illis etiam hujus auxilio vos orbatos. Quomodo igitur fieri potest, ut causa spiritualis vobis copuletur per animantes, quæ vestra sunt sacrificia? Sane id rationi repugnare videtur. Verum quidem est, respondit Haber, sacrificia in Templo, & terra sancta, habuisse facultatem divinitatem deorsum attrahendi. Nunc verò, ait Rex, magis me in incertum implicas; quasi verò mundi locus alter altero sanctior, & non æquales omnes sint. Quæso, quæ differentia inter sanctimoniam unius atque alterius loci esse potest? Ibi Haber, iubes me, inquit, ò Rex, sublimem ac secretissimam tractare materiam. Satisfaciam tamen desiderio tuo. Reperiuntur in Lege nonnulla quæ humanum captum excedant, neque ea nisi per Traditionem intelligere datur. Quamvis autem mysteria hæc occultissima sint, omnia tamen naturalibus rationibus comprobabo. Scis esse terras sementi & cultui præ cæteras aptas; scis etiam alias gignundo auro & argento, alias unionibus, ac metallis

† *Cuzari lib. 2. art. 2.*

* *Num. 28. 2.*

metallis producendis idoneas esse. Eadem in plantis ratio est. Etenim locorum alia odoriferis arboribus, & fructibus dulcissimis abundant; alia iisdem omnino carent. Quæ cuncta, si Physicos audimus, proficiscuntur ab astris, quæ in unoquoque loco prædominantur. Hæc si ita sunt, mirari haud convenit, Deum immensum, qui lucem suam per universam terrã extendit, magis in uno quam altero loco semet revelare; cum sol, ab eo creatus, qui radios per totum mundũ diffundit, non ubique eandem vim exserat, sed hic aurum, illic alia generet metalla. Ita & terra sancta (quemadmodum ait quoque doctus Aben Ezra *) instar cordis se habet, quod plus quã cætera membra ab anima accipit; & quemadmodum cor medium corporis; ita & terra sancta medium habitati orbis locum obtinet. Eamque ob caussam Deo præ reliquis accepta fuit. Nam cum mundus in septem climata dividatur, hoc optimum eorum est, teste Psalmographo ‡ *Pulchrum clima, gaudium totius terræ.* Ex eo desumtus Adam, in eo sepultus est. Jllius gratia Kain & Hebel * contenderunt; ex eo Kain ejectus est, ut Scriptura ait: *Exivitque Kain de conspectu Domini.* Et quia continenter in hanc terram oculi Domini defixi sunt, dicitur quoque Ionas † fugisse à conspectu Domini, & Tharses fugisse. Jllam Patriarchæ ad sepulturam sibi elegerunt. Abrahamus filiis Keturæ munera dedit, ut ex ea exeuntes liberam & quietam ejus possessionem relinquerent Isaco. Esau quoque eandem Iacobo fratri reliquit, ipseque ad montem Sehir consedit. Vnde colligitur, semper hanc terram pro sancta ab omnibus habitam. Quod si ita se habet, quid miraris, Rex, dicere me, sacrificia in templo ac terra sancta facta, posse divinitatem deorsum trahere. Iam verò ut cognoscas etiam spiritualia inferioribus copulari posse, per animalia corporea, adferam comparationem, quæ non dubito, quin satisfactura tibi sit. Anima est substantia à materia separata; aut, ut alii dixerunt, radius ipsius essentiæ divinæ, & nihilominus corpori quod terrestre atque è materia est, unitur. Fieri autẽ nõ posse videtur, ut ea copulentur quæ contraria sunt, & nullo modo inter se conveniunt, aut certe si convenientia ulla sit, ea qualis sit ignoramus. Nihilominus eadem anima per victum cum corpore unitur, & quamdiu potus ac cibus usurpantur, ea in corpore valescit, iisdem deficientibus, corpus deserit. Cum igitur spiritus ille, corpori è materia, per corporea alimenta copuletur, quamvis ipse alimentis non fruatur, quid prohibet quominus sacrificia corporea spiritum divinum attrahant, licet is nequaquam corporeis illis fruatur. Videmus id ac ipsis sensibus percipimus, ut dubitari opus non sit, quã ratione fiat. Etenim quemadmodum ægrorantem (cui medicus herbas præbet, quarum perspectas habet vires) necesse non est scire virtutes medicamentorum, sed tantum experiri, ad recipiendam valetudinem; ita & videmus sacrificiis vim esse (quod ex multis S. Scripturæ locis colligitur) divinitatem in mundum trahendi; idque ipsum in animis nostris experimur, utut ulterius non inquiramus. Recte etenim ait Aben Ezra, si infans pane careret, donec nosset rationem serendi, ac metendi tritici, haud dubie jam dudum ante tempus illud extinctus esset. Atque hoc quidem modo Haber Regi Cozar respondit. Porro ad concilianda S. Scripturæ loca ajunt Cabalistæ, nisi Adam peccavisset, semper divinitatem humano generi affuturam fuisse; quod postea & Israelitæ data Legem consecuti sunt; sed vituli profano cultu acquisitam felicitatem amiserunt,

* Par. vaerà & Pa. Terumà

‡ Psal. 48.3.

* Gen. 4. 16.

† cap. 1.

runt, & (ut humano more loquar) divinitas in cœlum redacta est*, cui rursum attrahendæ sacrificia requirebantur. Itaque verè Prophetæ uno ore aiunt, Deum non divinitas cupivisse sacrificia, quia hominibus semper affutura fuerat, si non peccassent; ut merito Proverb. XXI. 3. dictum sit: *Exercere iustitiam, & jus, gratius Deo est, quam sacrificia.* At postquam peccaverunt, sacrificia illo fine præcepta fuerunt; eaque magna in se mysteria continent, & ut Scriptura ait, omne sacrificium consecratur nomini Dei Tetragrammato, non alteri alicui. Sed videantur hàc de re Cabalistarum libri.

Eandem fere in mentem ait Aben Ezra, Israelitas, regnum sacerdotum, ac sanctum populum, sola divinorum præceptorum observatione copulari divinitati, neque sacrificiis eam ad rem indigere; quia absurdum videatur, hominem, factum ad imaginem Dei, ut ei coniungatur, opus habere animalibus rationis expertibus. Sed cum videret Deus, eum non attingere finē, cujus gratia creatus erat, ea quæ non præcepisset in egressu ex Ægypto (juxta verba Ieremiæ) postquam vitulum adorassent imperavisse; quo hac ratione peccator cœlestem gratiam reciperet, ac impetrata delicti venia, mederetur infirmitatibus
*cap. 4. 2. animæ, secundùm verba*, *Anima quando peccaverit*, &c. Itaque sacrificia tanquam remedium data; prorsus ut medicus, adtuendam valetudinem certo vivendi genere præscripto, ubi nihilominus hominem morbum contraxisse videat, omni studio reddere ei pristinam valetudinem conetur. Et quemadmodum de pio ac benigno Rege nonnulli dicant nolle eum castigare quenquam, alii contrà severum ac rigidum eundem appellent: cum nec hi, nec illi, falsi sint; quatenus Rex talis malit neminem delinquere, ut pœna abstinere possit: at ubi nihilominus peccavisse nonnullos viderit, justum in eos judicium exerceat: ita & Deum nolle ut quisquam vacillet, nedum ut cadat, ideoque non præcepisse sacrificia; sed quia à natura ad peccatum proni homines forent, commisso delicto, pro misericordià suà, sacrificia ut remedium concessisse. Autor Zaphnat Paaneah aliam fovet opinionem, quam, brevitatis caussa, omittere libet.

III. Cæterum libet hìc quoque addere, quæ mihi observata, facere videntur ad concilianda S. Scripturæ loca. Quatuor reperimus sacrificia ante datam Legem. Primum Adami, de quo quamvis nihil disertim in sacris literis memoretur, tamen communis sapientum nostrorum consensus ést, & ex loco quodam Psalmographi probatur, eum sacrificasse; alterum Hebelis; tertium Noachi; quartum Abrahami, quando Isaco immolando substitutus est aries. Quandoquidem autem omnes eæ res optime intelliguntur, quas per quatuor caussas cognoscimus; hic in sacrificiis omnes eas attendere oportet; primò, efficientem, id est, eum qui sacrificat; dein formalem, i. e. formam & modum sacrificii; tertio materialem, i. e. speciem quæ sacrificatur; quartò finem, & utilitatem ejusdem. Caussam finalem repræsentavit immolatus ab Adamo
*cap. 3. taurus; quem veteres sapientes in Gemara Holin *(non libet hìc addere quæ scribit auctor Pardes Rimonim) unum tantùm in fronte cornu habuisse volunt; quod, meo judicio, significat, finem sacrificii esse cognitionem Primæ caussæ, unicæ ac simplicis, quæ omnium creatorum curam gerit; eique tanquam supremo Domino, offerre tenemur facultates, bona acquisita, atque ipsam adeo vitam nostram; atq; hic finis sacrificii est, omnia sua dirigere ad solum Deum. Caussam materialem repræsentavit sacrificium Hebel; quia similiter ex primogenitis

genitis fuit, ex ovibus, ac vitulis; quà in re non purum modò animal, verum & optimum eligere curæ habuit: Cain contra errans, ut ait R. Selomoh, fructus terræ obtulit, multo Abelis sacrificio viliores; unde & minus grati Deo fuerunt. Itaque quantum ad caussam materialem, considerare oportet ea ad quæ attendit Hebel. causa formalis, seu species sacrificiorum, repræsentatur sacrificio Noachi, quod fuit תודה manifestationis, seu gratias agentis, pro acceptis à Deo beneficiis; idque maxime acceptum Deo est, uti & quod שלמים Selamim, seu gratiarum actionis, quod non præsupponit peccatum aliquod. Ista autem faciunt ad concilianda hæc S. Scripturæ loca. Nam Prophetæ dictitantes, Deo gratum non esse sacrificium, respiciunt ad oblata pro peccatis, quatenus præstet non delinquere; at sacrificia quæ grata esse ei aiunt, sunt manifestationis, aut gratiarum actionis; vnde Psalmographus: † *Qui sacrificat manifestationem* † Psa. 50
*honore afficit me*. & alibi: *Sacrifica Deo manifestationem*. Vnde dicunt sapien- 23.
tes nostri talia sacrificia fore temporibus Messiæ, juxta verba Prophetæ Malachiæ, **Et suave sit Domino munus Iehudæ & Ieruschalaimorum, ut diebus mun-* * 3.4.
*di, & annis antiquis*. Vbi per dies mundi, (inquit Ribi) intelliguntur dies, quis mundus perditus & instauratus est, tempora sc. Noah; per dies antiquos autem, vetustiora tempora Hebelis. Vt his verbis denotetur, temporibus Messiæ, sacrificia oblatum iri, qualia Noachus, & Hebel obtulerant. At caussam efficientem repræsentavit sacrificium, quod Isaci loco oblatum est. Etenim quemadmodum Isaco jam ad immolationē ligato, Dominus arietem eidem substituit atque ita sibi satisfieri voluit; ita & sacrificantem cogitare oportet, ipsum se peccatis adversus Deum, meruisse mortem, quâ animal afficitur. Et pro triplici peccato, operum, verborum, cogitationum, Lex hominem immolandæ pecudi manus imponere, delicta sua voce confiteri, & interiora ac renes pecudis comburere jubet; quorū prius peccata actu, alterum verbis, tertium cogitationibus commissa expiat; ita ut hominē cogitare oporteat, se meritum esse mortem quâ bestiam afficit, quæ humi sternitur, decollatur, ac comburitur, è symbolum quadruplicis mortis, quâ animadvertere in reos Senatus solebat, nimirum lapidationis, strangulationis, decollationis, & combustionis: uti notaverunt quoque R. Ishac Arama, aliique autores. Ergo causa efficiens, seu homo, quatuor illa quæ diximus reputare debet. At vero quadruplex illa quam memoravimus, causa sacrificiorum ante Legem, si recte attendas, in principio Levitici designatur, cum sacrificia præcipiens Dominus ait, *Homo cum offeret è vobis oblationem Domino, ex quadrupedibus, ex bobus, ex ovibus offeretis sacrificium vestrum*. Non dicit. איש כי יקריב *vir cum offeret*, sed אדם *homo*: denotans Adamum primum hominem, qua re significatur sacrificandum eo fine esse, quem Adamus sibi proposuit. *Quando offeret ex vobis*: verba *ex vobis* causam efficientem designant, nimirum, cogitandum homini esse, bestiam illam supplere locum ipsius offerentis. *Ex quadrupedibus, ex ovibus*, hic materialem causam habemus; scilicet, munda animalia. Formalem autem in illis, *offeretis sacrificium vestrum*; quia hominis est sua sponte sacrificare domino, non autem ob peccatum. Sed tempus est finem huic materiæ imponere, quam paullo fusius tractavimus quia curiosis hominibus utilis videbatur. Qui plura volet, adeat R. Mosem Gerundensem, R. Bahie, R. Leui ben Guerson, Isacum Abravanelem, Isacum Aramam, R. Ioel ben Sueb, R. Iehosuam ben Sueb. R. Isacum Karum, R. Mosem

* lib. I. Albeldam in gloſſis ſuis ad Pentateuchum, R. Moſem Iſral in Torat ola, * ubi
cap. I. XII. cauſas ſacrificiorum adfert, R. Mehir Gabal in Abodat a-codes, ‡ R.
‡ Heleq Abraham Salom in † Nevè Salom.
a-aboda
cap. 14.
† lib. 9.
cap 4.

---

## QVÆSTIO II.

Levit. 11. 13. *Iſta autem abominamini ex volatilibus.* Numerantur viginti ſpecies immundarum avium.

Deut. 14. 12. *Hæc autem ſunt ex quibus non comedetis.* Recenſentur ſpecies una & viginti.

## CONCILIATIO.

*Par. Semini — IN Siphre * (quem ſecutus eſt R. Selomoh) hæc verba legas: Inter Levitici ac Deuteronomii verba hoc intereſt, quod illic legitur ואת הדאה ואת האיה *Et Daha & Aià ſecundum ſpeciem ſuam:* In Deuter. verò והראה ואת האיה והדיה למינה *Et Raha, & Aia, & Daia ſecundum ſpeciem ſuam.* Hic una ſpecies additur, nempe Raha, cujus in Levitico mentio non fit. Præterea & illud diſcriminis notare licet, quod pro דאה *daà* quomodo in Levit. ſcribitur, in Deut. eſt דיה *Daia*, י pro א poſito; vnde colligere eſt ריה, & איה ac דיה. *Raia, Aia, & Daia* ejuſdem auis ſpeciem eſſe, cui varia nomina data fuerint, ob varias naturæ proprietates. Adeò ut inter hæc loca illud unum modò interſit, quod avi eidem tertium nomen detur; quà in re nulla eſt difficultas. Neque multum moveri quis debet, uno loco, דיה, altero דאה ſcribi, quando ſæpe in lingua Hebræa una litera pro altera ponitur; uti nos quoque demonſtravimus lib. I. cap. XII. Grammaticæ noſtræ, cui nomen eſt Sapha berurà.

II. Doctus Aben Ezra in gloſſa ſua ad hunc locum, & libro Ieſod a-Ieſod, ait, ראה *Raha* eſſe nomen generis ſub quo plures ſpecies contineantur, ut difficultas nulla ſit in eo quod Deut. XIV. 12. tertia ejuſdem generis ſpecies nominetur. Et exemplum Abrahami affert, qui à Domino juſſus vitulam ac
Gen. 15 arietem triennem, & turturem ac palumbem ſacrificare, dicitur in S. Scrip-
12. tura omnia hæc diſſecuiſſe excepto paſſere. Quo loco videmus צפור *Zipor*, ſive paſſerem, quod generale nomen eſt, poni pro ſpecie תור *Turturis* ac *palumbis*, quarum antea mentio facta erat.

III. R. Levi ben Gerſon ראה & דאה *Raha* & *Daha* eandem eſſe avem ſtatuit, cui ob viſum acutiſſimum, & celeritatem in volando, duplex nomen impoſitum ſit; quorum unum à ראה *Raha videre*, alterum à דאה *Daha volare* deducatur. איה *Aia* autem & דיה *Dajah* exiſtimat aliam avem eſſe, cui item vulgus duo indiderit vocabula. In Deuteronomio verò, ut res clarior ſit, utrumque nomen exprimi, non autem ullam novam ſpeciem memorari, cujus in Levitico mentio facta non eſſet.

QVÆST.

# QVÆSTIO III.

Levit. XI. 15. Dominus corvum abominatur.

1. Reg. XVII. 4. *Et corvis præcepi ut te sustentent ibi.*

CVm dominus corvos abominetur, quare eos victum Prophetæ subministrare voluit?

## CONCILIATIO.

PRroprium illud imprimis linguæ Sanctæ est, quod varios significatus eadem vocabula habeant. Vnde in Beresit Raba * R. Ioda (motus credo difficul- *cap.33.
tate quæ in his locis est) nequaquam corvos cibum Eliæ subministrasse existimabat, sed homines qui in vicinia civitatem ערבו *Orbu* habitantes עורבים *Orbim* appellarentur. Sane cum in Iudicum libro fiat mentio Horeb cap. VII. 25. ויהרגו את עורב בצור עורב *Et occiderunt Horebum in rupe Horebi.* verisimile est populum ab illa urbe appellatum fuisse, uti à Francia Francos, ab Hispania Hispanos appellari videmus.

II. Alii עורבים *Orbim* interpretantur *mercatores*, quibus Iehezquel XXVII. 27. illud nomen datur עורבי מערבך *mercantes mercaturam tuam.* Iuxta quam sententiam Dominus jusserit mercatores nonnullos Prophetæ necessaria subministrare. Imo, quod R. David Kimhi sentiebat, fieri possit, ut illi mercatores eum in occultum abdiderint. †cap.1.

III. Rabinah tamen in Guemara Holin †, & R. Nehamiah in Ber. Raba * *cap.33
revera corvos ex ædibus Regis Iosaphat, aut aliorum justorum (nam ipso Domino teste VII. millia supererant, quæ idola non adoraverant) victum Prophetæ attulisse existimant. Neque peccavisse Prophetã, victum ab immunda ave accipientẽ, quẽ ipse ei Dominus submitteret. Hanc opinionem sequitur quoque R. Levi ben Gerson, aliique. Quantum vero ad difficultatem, quam proposuimus, ait idem autor, quandoquidem Dominus voluerit Prophetam in occulto agitare ne ab hominibus reperiretur, necessarium fuisse ut corvi necessaria ei subministrarent. Quin & dicere liceat, ideo Dominum voluisse ut corvi victum subministrarent Eliæ, ne pii homines, cum viderent cibaria à mensis suis ab ave immundà diripi, ea iterum recipere tentarent.

Ingeniose verò R. Iodan, verbis R. Ioda ait, corvum, cum à Noacho arcâ egredi juberetur, interrogasse, quandoquidem tot & tam varias aves in arca haberet, cur potissimùm se ex omnibus emitteret; Noachum autem respondisse, id à se factum, quia ille immundus, nec ad victum, neque ad sacrificia utilis esset. Ait R. Berahiah nomine R. Abà ben Caanáh, tunc Noacho Dominum dixisse, recipe eum: etenim quondam utilis erit, temporibus Prophetæ Eliæ, cui victum corvi subministrabunt. Idque innuit Scriptura dicens, † *Et exivit exeundo & revertendo donet siccarentur aquæ.* His verbis, meo, quamvis tenui, ju- †Gen.8. 7.

 dicio,

dicio, indicare illi autores voluerunt, nihil in mundo tam malum esse, quin alicujus sit usus. Ideoque ajunt, quamvis corvus nulli usui esset quum à Noacho emitteretur, tamen venisse tempus quo Prophetæ operam utilem impenderet, atque illud tempus mirabiliter à S. Scriptura designari, quando dicit, corvum exivisse exeundo ac revertendo (neque interea ulla in re utilem fuisse) donec siccarentur aquæ: nimirum usque ad siccitatem cœli & maximam illam penuriam aquarum, cui caussam dederat juramentum Eliæ. Quin & ipsâ voce יבשת *Ieboset siccatæ sunt* illud designatur, quod inversum est תשבי *Tisbi*, sive Elias Tisbites.

## QVÆST. IV.

| | |
|---|---|
| Levit. XVI. 29. *Decimo mensis illius affligitote animas vestras.* Item 23. 27. Num. 29 7. | Ibid. XXIII. 32. *Et affligetis animas vestras nono mensis.* |

MAnifesta pugna videtur, quando hic decimo, illic nono Septembris die jejunium præcipit Deus.

### CONCILIATIO.

† cap. 8. IN Gemara Iomà, † ad conciliationem horum locorum, illa verba leguntur: Observandum est, cum dicitur jejunandum esse nono mensis die, vocem unam addendam, nimirum, *vesperi*. Dein subiicitur, *à vesperâ ad vesperam celebratote cessationem vestram.* Quomodo tollitur omnis difficultas. Nam jejuniũ est vesperâ diei nonæ. Ita ut nonâ quoque die jejunium sit, quatenus illud ordimur ante occasum solis. Idque ipsa Scripturæ verba ostendũt, cum ait, *nonâ vesperi*, id est, vespera decimã diẽ prægressâ. Hanc conciliationẽ omnes autores secuti sunt. Quam, teste R. Hisquia in Hisquuni, juvat accentus vocis בָּעֶרֶב *vesperi.* Habemus enim in ea זקף קטון *Zaquef Caton*, accentum distinguentem, qui ostendit ibi subsistendum esse; & cum dicitur nono, intelligi vesperam ejus diei.

## QVÆST. V.

| | |
|---|---|
| Levit. XVIII. 5. *Iudicia mea, quæ homo faciet, & vivet in illis.* | Iehezquel XX. 25. *Etiam ego dedi illis statuta non bona, & jura per quæ non viverent.* |

SCribunt R. Moses & R. Bahie, ad hunc locum, non modò per Legem nos adipisci vitam ac felicitatem spiritualem, verùm & corporalem; & quo diligentior aut remissior homo est ad eam observandam, eo majorem ejus felicitatem, aut minorem fore: ideoque dictum esse, *Iudicia mea, quæ homo faciet, & vivet in illis.* At Iehezquelis verba, quæ huic loco pugnare videntur, R. David Kimhi monuit cum præcedentibus connectenda; hoc modo, *Eo quod jura mea non facerent, ac statuta mea spernerent, & Sabbatha mea profanarent, denique stercoreos deos patrum suorum sequerentur oculi ipsorum: etiam ego dedi illis statuta non bona, & jura per quæ non viverent.* Mens est: quandoquidem adeò pravi fuerunt, ut statuta mea, tam suavia aspernarentur; ego tradam illos in manus inimicorum suorum, qui alia iis jura ponent, sub quibus vivere nequibunt; nimirum onera, tributa, aliaque id genus intoleranda.

II. Ishac Abravanel, ad hunc Prophetæ locum; videmus, inquit, in Levitico, recensitis maledictionibus, quas Dominus Legem negligentibus denuntiat, subiici tandem, † *Hæc sunt statuta, judicia, &c. quæ Dominus posuit inter se, & inter filios Israelis.* Vbi etiam maledictiones statuta nuncupantur. Ita & hic accipienda Scripturæ verba. Nam ait Propheta, quandoquidem Israëlitæ divina statuta observare noluissent, Dominum dedisse iis alia statuta, per quæ vivere nequirent: scilicet maledictiones, & pœnas. † *Levit. 26. 46.*

III. Facit ad solutionem hujus quæstionis, quòd Moses Deuter. xxxIII. 2. Legem ignem appellat; quia ea observantibus sui est vice ignis vitalem calorem conservantis, contra negligentes, noxii ignis instar, absumit. Ideoque ait R. Jehosua filius Levi, Legem bonis herbæ salutiferæ; malis, veneni loco esse. Itaque Prophetæ mens hic est, quoniam Israëlitæ non observassent statuta Dei, quorum natura & vis illa esset, ut hominum delicta castigarent, nequaquam illos per ea victuros. Idque ipsum indicat Moses dicens, † *Vitam & mortem posui ante te, benedictionem & maledictionem.* Adeo ut hanc ob caussam duplex nomen eidem rei imponat. † *Deut. 30. 19.*

IV. Quin & verisimile est, posse hunc versum cum admiratione legi; hoc modo: illi abhorruerunt à præceptis meis: *Atque etiam ego dedi illis statuta non bona, & jura per, quæ non viverent!* Ac si diceret Dominus, ergo statuta quæ illis dedi, ejusmodi erant à quibus abhorrescere jure possent; statuta non bona, per quæ vivere nequirent? Hanc sententiam sequens mox versus absolvit; *Impurabo ipsos cum donis ipsorum.*

## QVÆST. VI.

Levit. xxIII. 15. *Deinde numerabitis vobis à postero die istius cessationis, ex quo attuleritis manipulum istum agitationis: septem septimanæ integræ sunto.*

Ibid. vers. 16. *Vsque ad alterū diem septimanæ septimæ numeratote quinquaginta dies; tunc offeretis munus novum Domino.*

PRiore loco jubemur à postero die cessationis numerare septem hebdomadas, id est, dies XLIX; altero autem quinquaginta.

### CONCILIATIO.

VEteres sapientes post illa verba, *Vsque ad alterum diem septimanæ septimæ numeratote*, interpungunt: ut alter ille dies non includatur huic numero; & maneant tantùm XLIX dies, juxta priorem locum. Sequitur, *quinquaginta dies*, *& offertote munus*, i. e. quinquagesimo die, aut eo, qui claudit numerum quinquaginta dierum, munus offeretis. Favet, teste R. Bahie, accentus huic expositioni: nam vox תספרו tisperu, *numerabitis* habet. טרחא *Tarha* accentum distinguentem, quo denotatur, ab altero die septimæ hebdomadis supputandas esse septem plenas hebdomadas, seu XLIX dies, quinquagesimo autem die offerendum munus.

II. R. Selomoh, quem R. Levi ben Gerson, aliique autores secuti sunt, verba Scripturæ, *Usque ad alterum diem septimæ septimanæ numerabis quinquaginta dies*, hoc modo exponit: ab altero die septimanæ septimæ, qui sunt quinquaginta dies, numerabis. Vocabulum *numerabis*, quamvis præponatur, postponendum est. Cujus rei exempla quamplurima in S. Scriptura occurrunt, cum orationi voces aliquæ per parenthesin inserũtur, quæ interrumpere ejus seriem videantur. Ita Num. XIX. 7: *Lavabitque vestimenta sua sacerdos; & abluet carnem suam aquis, ac postmodum veniet in castra, & immundus erit sacerdos usque ad vesperam.* Manifestum est, hic præmitti, quæ postponenda erant. Prius enim sacerdos ad vesperam usque immundus erat; dein, ubi se abluisset, in castra veniebat.

III. In S. Scriptura, monente Aben Ezrah, sæpe semel tantùm ponitur vox, quæ bis ponenda erat: ut Psal. VI. 2. *Domine ne in furore tuo reprehendas me, & in excandescentia tua castiges me.* Vox *ne* repetenda est, hoc modo, ne reprehendas me, & ne castiges me. Quod hic quoque locum habere dixerim. Nam illud *usque* repetendum videtur, ut mens Scripturæ sit, usque ad alterum diem *septimanæ septimæ numerabis, usque ad quinquagesimum diem.* Quomodo si quinquagesimum istum diem excludas, supererunt tantùm XLIX.

## QVÆST. VII.

| | |
|---|---|
| Levit. XXIII. 31. *Nullum opus facitote statuto per generationes vestras.* | Ierem. III. 16. *Temporibus illis, dictum Domini, non dicent amplius arca fœderis Domini.* Item XXXI. 31. *Ecce dies venturi sunt, dictum Domini, quibus pangam, cum domo Israelis, & cum domo Iehuda, fœdus novum.* |

Statutum perpetuum æternam significat durationem, eodemque modo accipienda ea vox est cæteris S. Scripturæ locis; unde non immeritò quæri possit, quid sibi velint Ieremiæ duo loca, quæ novam legem promittere videntur.

### CONCILIATIO.

Quatuor requiruntur, ut Legem in perpetuum, & non certũ aliquod tempus, datam credamus; quorum si vel unum desit, suspicabimur, necessarium esse, eam, tanquam imperfectam, novâ Lege renovari. Ea hæc sunt: ut perfecta sit; ut, antequam daretur, præcesserit apparatus, qualem opus est; ut præparati fuerint animi eorum, qui illam accepturi essent; denique, ut is per quem data est, fuerit aptus. Primò disquirere libet, utrùm perfecta fuerit, ita ut nihil ei deesset, tam quo ad cærimonias, quàm juris, & moralia præcepta. Quantum ad cærimonias, precationem nobis imperat: nam † *servietis*, inquit, *Domino Deo vestro, & benedicet pani tuo & aquis tuis.* Quo loco per servitium intelligi precationem constat, quæ & disertim præcipitur Deut. VIII. 10. *Quum comederis, & saturatus fueris, benedices Domino Deo tuo.* Etiam in sacrificiorum cæremoniis sensibus ipsis probatur, cultum fuisse Deo acceptissimum; per quem inferiores

† Exod. 23. 25.

inferiores cœlitibus copulabantur, & divinitas suo modo deorsum trahebatur. Quæ singulari providentia in Tabernaculum à Mose extructum quasi descendit. Testantur id satis verba ista: * *Et facient mihi sanctuarium, & ego habitabo inter eos.* Cujus rei ingens argumentum est, quòd cœlestis ignis aræ imposita absumsit: & descendit in tentorium conventus; Salomonis tempore in Templum; Davidis tempore in aram Araunæ Iebusæi; apud Eliam in montem Carmel. Indeque à Domino ipso ea appellabantur * *odor suavitatis.* Alterum ejusdem rei documentum est, quòd Sacerdotes ex Vrim & Tummim futura prædicebant. Quæ cuncta ipsis sensibus percipiebantur; at in aliarum gentium cultu nunquam vel minimo indicio approbatum est, eum Deo gratum fuisse. Adeò ut in cæremoniis Lex Mosis perfectissima sit. Idem & de præceptis juris statuendum; quippe jubemur abstinere dolo, & omni re illicitâ; proximo idem optare, quod nobis fieri volumus; postremò & in ea statuitur, ut quis ob furtum non capite, sed bonis multetur; & si his destituitur, ut ipse vendatur, ac serviat: quod ut rationi congruum, ita diversum à reliquorum populorum institutis est, quis capite fere tales plectuntur. Præterea in hæreditatibus, mortuo parente, jubetur ex asse hæres esse filius, in quo nomen familiæ servatur; quod si nullus sit melioris sexus, filia succedit; quòd itidem non congruit cum moribus reliquarum nationum. Ideoque meritò Psalmographus ait, † *Denuntiat verba sua Iacobo, statuta & judicia sua Israeli. Non fecit ita ulli genti; & jura illis non indicavit.* Idem ipse Dominus testificatur Deut. IV. 8. *Quæ gens*, inquit, *est, quæ habeat talia statuta & jura, qualia vos?* At verò de moralibus præceptis quicquid dixero, nunquam modum excessero. Etenim jubet Lex puro hominē corde esse: *Proximū amari tanquā seipsum: Odia cum fratre non exerceri: vindictâ abstineri: iram non recondi: proximi uxorem, aut bona, nequaquàm concupisci: circumcidi præputium.* Quæ omnia incitant hominem ad innocentiam, & puritatem animi, cùm in morum, tum in œconomicâ ac civili scientiâ. Etiam egregia docet de rebus naturalibus. Vt in ipso exordio, mundum aliquando cœpisse; quod magnus ille Aristoteles intelligere nequivit. Vt non immeritò dixerit Anquelos a-Ger imperatori avunculo suo, se Judæum factum esse, quia ipsi quoque pueri in scholis eorum scirent, quid unoquoque sex dierum creationis Deus creaverit. Illa nobis revelavit divina nomina, & ineffabile Tetragrammaton. Quin & Plato ipse (si fides est R. ben Palquira in More a-Moreh) scribit, se cum Propheta ex Israële locutum, primo exiguæ eum doctrinæ hominem judicasse; at postquam paulò altiùs verba ejus inspexisset, summopere admiratum, operam dedisse, ut mentem ejus intelligeret. Ille autem Propheta judicio ejus Ieremias fuerit. Narrat etiam Marcilius Ficinus, Platonem in Ægypto cum Prophetis & Sacerdotibus Israëlis locutū; & sunt quibus cum Ieremia collocutus videatur, aut aliquo discipulorū ejus, qui secreta Cabalistica, & mysteria divinorum nominum, aliaque id genus revelavit. Etenim, ut rectè observavit Ioannes Picus Mirandulanus, multa docet veræ ac certissimæ Cabalistarum doctrinæ congrua. Sed de nomine Prophetæ non contendam, cùm inter Jeremiam, & Platonem, annorum ducentorum, & amplius sit intervallum. Quare alius potiùs fuerit è doctoribus Hebræis. Igitur cùm in omnibus his adeò Lex perfecta sit, sequitur haud dubiè eam æternam esse. Eodem argumento quoque usus R. Moses ad probandam ejus æternitatem, ait, vetat Dominus

quidquam

*Exod. 25. 8.

*Gen. 8. 5.

†Psal. 147. 19

Lev. 19 17. Exod. 20. 17. Deut. 10. 16.

quidquam Legi addi, aut demi; quia in eo quod perfectum est, neque abundat quidquam, nec deest; juxta verba Psalmographi, *Lex Domini perfecta.* Quod si verum, nihil opus est eam novâ Lege mutari. Vidimus primam perfectionis partem habere Legem per Mosem datam. Jam ad secundam veniamus; quæ in eo consistit, ut, cùm dabatur, concurrerint cuncta, quæ huc necessaria erant. Ac primò quidem ut tempore idoneo id fieret, oportebat coram maximâ multitudine palam, non autem privatis aliquibus eam dari. Hæc omnia affuisse dubium non est; quippe in exitu ex Ægypto sexcenta hominum millia, exceptis mulieribus ac parvulis, eam accepere. Dicunt autem sapientes nostri, Deum non minùs, quàm in duabus myriadibus ac duobus millibus Israëlis conquiescere, moti illo Numer. x. 36. *Quietem da Domine myriadibus, millibus Israelis.* Nam, ut

‡ Prov. 14. 28. dicitur; ‡ *In multitudine populi est decor regis.* Eam ob caussam non Adamo, aut Noacho, vel Patriarchis, data Lex est, quia ingens numerus requirebatur. Nec modò tempus, verùm & locus aptus fuit. Quippe data Lex est in deserto, loco omnibus communi; quo significatur, posse, quicumque vellent, per eam salutem suam obtinere, tametsi præcipuè Israëlitis data foret. Accedit, quòd deserta pura sunt ab omni cæde, raptu, latrociniis, adulteriis, aliisque id genus vitiis, quæ, ut rectè notat Philo Iudæus, regnare in urbibus solent. Sinai autem mons potissimùm delectus est, quia ille locus accommodatissimus est divino auxilio; undè *mons Dei* vocatus est, & à Davide, ‡ *Mons, quem Dominus ad ha-*

‡ Psal. 68. 17. *bitationem sibi delegit.* Iam autem, quid de portentis, ac miraculis Dei dicendum, quo tempore omnes Prophetici spiritus capaces fuere (constat id ex his sapientis verbis in Cantico, *Anima mea exivit in sermone meo.*) & in exstasin abrepti sunt, cùm viderent vocem ex igne erumpentem. Ob hæc ostenta eâ animi integritate, illo desiderio Legem exceperunt, ut nunquam eam aliâ mu-

† Exod. 19. 9. tare velint. Unde Dominus ipse: † *Audiet populus me tecum loquentem, & in te credet æternum.* Quo argumento fretus R. Moses, ‡ neque aliam fuisse Legem,

‡ Moreh lib. 2. cap. 39. nec futuram, affirmavit.

Quod ad tertiam perfectionis partem attinet, manifestissimum est, Israëlitas, per id tempus, ad accipiendam Legem idoneos fuisse. Nam triduo sese ad sanctimoniam præparaverant, à mulieribus & congressu abstinentes. Dicunt enim sapientes, malum quod per Hevam mundo inductum est, crevisse, donec Lex daretur; & quia per illam expelleretur, זעמת הנחש *venenum serpentis,* magnâ puritate opus fuisse: eamque ob caussam ablutæ vestes sunt; quo signifi-

* Eccles. 9. 5. catur purificatio à peccatis; uti verba sapientis, * *Omni tempore vestes tuæ albæ sint*, allegoricè accipimus de munditia animi. Sed præterea hîc quoque considerare oportet, quàm pulchro ordine in tres classes, Sacerdotum, Levitarum, ac Israëlitarum distinctus tunc populus fuerit; ad similitudinem triplicis mundi, angelici, sphærici, & terrestris. Hinc Bilham, quamvis gentilis exclamat:

* Num. 24. 6. * *Quàm sunt bona tentoria tua, ô Iaacob, habitationes tuæ Israel.*

‡ Lib. 2. de vita Mosis. Restat quarta, eaque ultima, perfectionis pars, de quâ nunquam satis dixero. Rectè certè ex Platone Philo Iudæus ‡, omnium consensu, inquit, ea felix est Respublica, ubi aut Philosophi regunt, aut Reges Philosophantur; at Mosi præter hanc dignitatem triplex alia à Deo data est, Regis, Legislatoris, Prophetæ, ac summi Pontificis; cujus vita omni laude dignissima, adeò extra culpam fuit; cujus gesta in Ægypto, in itinere, mari rubro ac deserto, nulla satis

eloquentia

eloquentia expresserit; in quo relucebat quicquid optimum Legislatorem decet, caritas proximi, justitia, virtutum amor, odium vitiorum, quæ in nullo unquam alio Legumlatore reperta sunt. Ideoque credere oportet, cæteras quidem Leges perire, at Mosaicam perinde durabilem esse, ac si naturæ characteribus consignata fuisset. Et certè manebit illa perpetuò, ut Solis, Lunæque dies in mundo. Ingens profectò testimonium est, quod de Prophetia Mosis in S. Scriptura ipse Deus dedit: † *Non sic servus meus Moses, qui in omni domo mea fidelis est, ore ad os alloquor eum.* Et sub finem Deuter. *Non surrexit, sicut Moses, Propheta amplius.* Quo loco illud *amplius*, denotat, nullo unquam tempore Prophetam Mosi parem fore. Nam, ut observat R. Joseph Albus in Icarim †, dicente Mose, *ita separabimur ego, & populus tuus:* respondit Dominus, *etiam id, quod locutus es, faciam.* Itaque, quemadmodum Israël, separatus à reliquis mundi gentibus, solus excelluit; sic & Moses cæteros Prophetas omnes post se reliquit. Vita verò ejus quid aliud, quàm omnium virtutum exemplar fuit? Unde S. Scriptura ait, *Vir autem ille Mosche humilis erat valde, præ omnibus hominibus, qui erant in superficie terræ.* Nimirum humilitas regina & fons omnium virtutum est. Quin & corpus ejus dissimile reliquorum hominum corporibus fuit, & facies ejus divino splendore renidebat. Ætatem autem cxx annorum ita attigit, ut nec de vigore, nec de visus acumine quicquam amiserit. Et centum ac viginti anni congruebant cum totidem diebus, quis in monte sine cibo ac potu, solo spiritu ac splendore divino sustentatus agitaverat. Hæc omnia cùm in eo concurrerint, sequitur, non alium perinde idoneum fuisse, per quem Lex traderetur: quæ quia omnes, quas dixi, perfectionis partes habet, meo quidem judicio æterna est, & erit per omnia sæcula.

† Num. 12 7.

† Lib. 3. cap. 20.

Num. 12. 3.

Superest nunc, postquam ratione id satis probavimus, ut etiam autoritatem proferamus; qua nihil Scripturæ Sacræ præcellit: quippe quæ errare nullo modo possit. Ait autem ea de agno Paschali Exod. XII. 17. *Statutum perpetuum tibi ac filiis tuis, usque in æternum.* De circumcisione dixit Dominus Abrahamo, * *tibi & semini tuo post te, omnis mas per vestras generationes.* Sabbathum præcipiens ait, † *Et servabunt filii Israelis Sabbathum,* &c. *per generationes suas fœdere perpetuo.* Ideoque mandatum de Sabbatho colendo decem præceptis insertum est, quæ perpetua atque æterna sunt. Ex his tribus mandatis satis liquet, nunquam eorum observationem perituram; & profectò nullus adhuc sese Prophetam esse jactavit, qui quidquam contra illa præciperet. Idem & de tota Lege statuendum esse docent verba Deuter. *Nobis & filiis nostris in perpetuum, ut faciamus omnia verba Legis hujus.* Et alibi, † *Et testificabitur canticum hoc in faciem ejus, loco testis; neque enim oblivioni tradendum est ex ore seminis ejus.* Rursum in benedictione tribuum, † *Legem præcepit nobis Mosche, hæreditariam congregationi Iacobi.* Quemadmodum hæreditas, nunquam interruptâ serie, à parentibus ad liberos transmittitur, ita & Legem transmissum iri ait. Sed omnibus his multò clariora sunt verba Deuter. XXIX. 14. *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum hoc, cum adjuratione hac; sed cum eo, qui adstat hic nobiscum hodie, coram Domino Deo nostro; & cum eo, qui non est hic nobiscum hodie.* Manifestè videmus, non modò cum præsentibus tunc Israëlitis, verùm & posteris eorum hoc fœdus percussum. Quà de caussà veterum sapientum illi, qui credebant, omnes simul animas principio mundi creatas esse, dicunt in eo

* Gen. 17. 9.

† Exod. 31. 16.

† Ibid. 31 21.

† Ibid. 33. 4.

pacto præsentes fuisse omnes animas Israëlis, quæ in mundum unquam venturæ essent. Idem quoque ex Prophetis colligere est. David ait Psalm. XIX. 10. *Timor Domini mundus, consistens in sempiternum.* Item Psalm. CXIX. 152. *Pridem novi de præceptis tuis, te in perpetuum fundasse ea.* Asaph Psalm. LXXIIX. 5. *Nam statuit testimonium in Iacobo, & legem posuit in Israele, quam præcepit majoribus nostris, ut sciret generatio postrema.* Ergo ad ultimam usque generationem observanda est Lex. Iesaias inquit LIX. 21. *Et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui, ab hoc tempore usque in perpetuum.* Idem (teste R. Mose in Directore, & Gaon R. Seadiah in Emunot) colligere est ex Jesaiæ ‡, ac Jeremiæ † locis, quis dicitur, si statuta cœli & terræ cessent, etiam Israëlem cessaturum esse populum in conspectu Domini omnibus diebus suis. Quod mirum non est, quando cœlum & terra durant per Legem, quam Israëlitæ colunt, & observant. Adeò ut ex his locis clarissimè animadvertamus, Legem non ad tempus aliquod, sed in perpetuum datam. Ait quidem R. Josephus Albus in Jcarim †, ex locis suprà allegatis, quibus vox עולם *olam semper*, legitur, non posse certo evinci Legis æternitatem; quatenus illud vocabulum etiam de certo tempore usurpetur; ut Exod. XXI. 6. ועבדו לעולם, *& serviet ei in perpetuum:* ubi *perpetuum* denotat tempus ad jubileum usque, & Sem. 1. 22. ubi ait Hana de filio suo Semuele, sese velle eum adducere in conspectum Domini, ut ibi permaneret in perpetuum, i. e. quinquaginta annos, quo spatio serviebant Levitæ; idque etiam hic dici posse existimat, sed nequaquam eâ, quâ par erat, reverentiâ, hanc materiem tractavit. Quamvis enim duobus his, quæ citat, locis, aliisque horum similibus, עולם *olam* non denotet æternam durationem, notare oportet, id solùm dici posse, quando non subiicitur vox aliqua, æternitatem & secuturam durationem significans; at minimè hoc locum habet, ubi tale quid subditur, in generationes vestras; in mille generationes; usque ad ultimam generationem; tibi, ac semini tuo, post te; aut, nobis, ac filiis nostris in perpetuum: cujusmodi phrasis iis, quæ allegavimus, Scripturæ locis usurpatur. Eam certè nullus negare potest, designare temporis seriem, à Patribus ad filios, ab his ad nepotes, & denique (ut Asaph ait) usque ad ultimam generationem. Quod si non ita se res habet, ut dixi, nescio cur Moses, ac reliqui Prophetæ, talibus verbis usi sint: nisi forte eorum, ac Dei, consilium fuerit, ponere offendiculum hominibus. Quanto satius fuisset clarè eos dicere, venturum aliquando tempus, quo Lex non observaretur? Nam in re tanti momenti multò præstitisset clarè atque apertè loqui, quàm verba proferre quæ contrarium habere sensum viderentur. Et si illud verum, profectò non multum illi culpandi sunt, qui ipsis S. Scripturæ verbis adhærent. Certè cum Legem Domini illustrare oculos, non autem tenebras offundere intellectui ipse David dicat, nostro quoq; judicio hàc in re clarè illa locuta videtur, & non modò voce *olam* æternitatem ejus denotasse, verùm & quos dixi loquendi modos adjecisse, ut omnes scirent obligari se ad observandam Legem. Neque Decalogus aliam ob caussam tabulis è lapide inscriptus fuit, quàm ut ostenderetur, Legem, lapidis instar, æternùm mansuram. Atque inde est quòd cæteri Prophetæ semper Mosis Lege nituntur. Nam, ut rectè annotavit R. Josephus de Trana in bet Eloim ‡, ab omnibus citatæ fuerunt Mosaicæ Prophetiæ; & Prophetarum ultimus † his verbis vaticinia sua clausit: *Recordamini*

‡ cap. 45 10.
† cap. 31. 36.
† lib. 3. cap. 16.
‡ cap. 54
† Malc. 3. 22.

*mini Legis Mosis, servi mei, cui præcepi in Chorebo, ad totum Israelem, statuta & jura.* Quo loco de judicio extremo agens, suadet Israëlitis, ut Legem Mosis observent, donec ille dies veniat; sed prius venturum Eliam, qui corda Patrum in filios, filiorum in Patres convertat, ut omnes perfecto corde ad Dominum revertantur. Atque hinc probatur, Legem æternam esse. Augustinus † quoque confitetur, Legum quæcunque ab hominibus sanctæ ac utiles latæ sint, ex Mosaicâ desumtas esse, ideâ, ac velut exemplo omnium. Quod si huic soli omnes innituntur, sequitur perfectam esse, omniaque continere, & quia data à Domino est ad consummandam hominum perfectionem, etiam sempiternam.

† *De vera relig. cap.* 31.

Jam ad conciliationem locorum, quæ suprà posuimus, veniendum est. Quandoquidem autem optimè is conciliat, qui præmissa & sequentia considerat, libet hic totum textum adscribere: *Et dabo vobis pastores ex sententia animi mei, qui pascent vos scientiâ & intelligentiâ. Eritque quum augescetis, & fœtificabitis in hâc terra temporibus illis, dictum Domini, ut non dicant amplius, arca fœderis Domini, neque veniat in animum: neque recordabuntur ejus, neque recensebunt, nec fiet amplius. Tempore illo vocabunt Ierusalaim solium Domini, & recta confluent eò omnes gentes ad nomen Domini Ieruschalaima: neque sequentur amplius sententiam animi sui mali.* Ita ad verbum Hebraica veritas habet; sensus autem, juxta divinum Ionathan ben Vziel, quem R. David Kimhi, aliique autores, secuti sunt, hic est. Temporibus Messiæ Dominum Israëli daturum bonos & fideles pastores, alios quàm antea habuisset; quia Reges Iehudæ & Israëlis sine prudentia regnassent, at eos, quos tum daturus sit, cum multa scientia atque intelligentia regnaturos. Subiicitur dein, quando multiplicati fuerint in terrâ, illis temporibus futurum ut non dicant amplius, *arca fœderis Domini*: quibus verbis promittit Dominus, quamvis Israel crescat atque augeatur, non tamen reliquarum gentium invidiam ei metuendam, neque enim illas bellum moturas, ita ut egredi atque arcam fœderis assumere opus habeant; uti temporibus Eliæ, & quotiescumque bellum ingruisset, facere adsueverant. Nequaquam, inquit, hoc opus erit, *neque recensebunt amplius eam*, nam *haud amplius fiet*, bellum ulterius non erit, sed alta pax, & tranquillitas. Denique cùm ait Propheta, temporibus illis Hierosolyma appellatum iri solium Domini, & conventuras huc omnes gentes, vult, adeò nullum bellum fore, ut etiam nationes mundi Hierosolyma appellent solium Domini, & illuc confluant non ad arma inferenda, sed colendum Dominum, & deponendam malam animi sui sententiam. Itaque manifestum est, hic non fieri mentionem novæ Legis. sed & aliter hunc exponere locum liceat. Nam si attendamus in Tabernaculo, aut Templo, locum in quo divinitas considebat, fuisse arcam, (unde Exod. xxv. 22. *Et loquar tecum è superiori parte operculi, è medio Cherubinorum.*) comperiemus hic dicere Dominum, antea quidem arcam receptaculum divinitatis fuisse; at temporibus Messiæ non unum aliquem templi locum fore divinitate repletum, sed hanc gloriam toti urbi Hierosolymis datum iri, ut, quicumque in ea sint, Propheticum spiritum habeant. Quod clarè ostendunt verba, *Eritque quum augescetis in terra illis temporibus, dictum Domini, Non dicent amplius arca fœderis Domini, sed vocabunt Ieruschalaima solium Dei.* Et sanè illo sensu optimè versus præcedens alteri connectitur. Non nominabunt amplius arcam: quid ergo? nominabunt civitatem Hierosolyma solium Domini. Faciunt pro hac expositione

Prophetarum testimonia: quæ inter hoc est: *Implebitur terra cognitione Domini, & vaticinabuntur filij tui, & filiæ tuæ* Si Propheta id voluisset, temporibus Messiæ novam Legem, aut fœdus novum fore, dicendum ei erat, non dicent amplius arca Domini, sed nova Lex erit. At nequaquam ita ait, mirabili connexione subiiciens, *sed vocabunt Hierosolyma solium Domini*: quæ verba veritatem allatæ expositionis evincunt. Quid quod decem præcepta, arcæ olim inclusa, omnes hodieque nationes æterna habent, & colunt.

Sequitur alter Ieremiæ locus, qui ad verbum ita Hebraicè sonat: *Ecce dies venient, dictum Domini, quis percutiam cum domo Israel, & cum domo Iehuda fœdus novum. Non secundùm illud fœdus, quod pepigeram cum majoribus eorum, quo die prehendi manus eorum, ut educerem eos ex terra Ægypti. Nam illi irritum fecerunt fœdus meum, & ego conjugio junctus mansissem illis; dictum Domini. Nam hoc illud est fœdus, quod pangam cum domo Israelis, post dies hos, dictum Domini; indam Legem meam menti eorum, & cordibus eorum inscribam eam, & ero ipsis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Non autem docebunt amplius quisque amicum suum, & quisque fratrem suum, dicendo, cognoscite Dominum. Nam quotquot erunt cognoscent me, à minimo eorum, usque ad maximum eorum, dictum Domini; imo condonare iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordari amplius*. R. David Kimhi, & autorum alii, ajunt, nequaquam hic Dominum promittere novum fœdus, aut Legem novam; sed illud velle, temporibus Messiæ, eos non amplius irritam facturos Legem. Eamque mentem esse verborum, *Illis diebus percutiam cum domo Israelis, & cum domo Iehuda* (futurum est id quando ex universali captivitate XII simul tribus colligentur, quod adhuc non accidit) *fœdus novum*. Nec necessariò ex mentione fœderis novi sequi, novam Legem Dominum daturum; sed priorem in animis eorum renovaturum. Nam quicquid in principio non satis manifestum est, cum declaratur in S. Scriptura novũ dicitur. Ita Semuel *ad Saul: *Agite eamus Gilgalem, ut ibi renovemus regnum hoc*. Non tunc dedit ei regnum, sed tantum confirmavit. Sic quoque novum fœdus hic denotat religiosam Legis observationem. Idque satis ostendunt sequentia, *Non quemadmodum illud fœdus, quod percussi cum patribus eorum, quando eduxi eos ex Ægypto: nam illi irritum fecerunt fœdus meum*. Quibus designat, Israëlitas non ita irritum facturos fœdus, quemadmodum patres eorum fecerant: & ideo subiicit: *Nam hoc illud fœdus, quod pangam cum domo Israelis, indam Legem meam menti eorum, & cordibus illorum inscribam eam, eroque ipsis Deus, & ipsi erunt populus meus*, &c. Sed & aliâ ratione hæc loca conciliare possis. Nam vox ברית, *fœdus*, non modò Legem, sed & sæpe in S. Scriptura reciprocum pactum, & societatem à duobus initam denotat. De Abrahamo, & Abimelecho, ait S. Scriptura, ויכרתו שניהם ברית *& percusserunt ambo illi fœdus*: eademque phrasis invenitur, ubi de Isaco & Abimelecho, Davide ac Ionathane sermo est. Idem & hic locum habere dixerim; nam egredientibus ex Ægypto Israëlitis, Dominus (ut legere est Exod. XXIV.) sanguine super populum disperso, fœdus iniit; quo illi promiserunt, sese facturos & audituros omnia præcepta ejus. Sed ruperunt pactum illud. Quamobrem ait Deus, nequaquam eos pactum, quod initurus esset, irritum facturos; quippe se inscripturum esse cordibus eorum Legem, & spiritum suum omnibus creaturis inditurum, ut universi eodem se cultu venerentur. Hinc & Iesaias, de eodem pacto loquens, ait Dominum

*1. Sam. 11. 14.

Dominum percussurum esse fœdus firmum, quod nunquam irritum fiat: & Iehezquel: Deum initurum pactum pacis, & fœdus perpetuum. Sed satis jam probatum est, non loqui Prophetam de nova Lege; & eam, quam tot miraculis in monte Sinai confirmavit, æternam fore.

---

## QVÆST. VIII.

Levit. xxv. 3. *Sex annis seminabis agrum tuum, &c. Anno verò septimo sabbathum cessationis esto ipsi terræ.*

Deuter. 15. 1. *A fine septem annorum facito intermissionem.*

SI semita, seu intermissio, ut in Levitico dicitur, exacto sexennio quo terra colebatur, cum anno septimo incipiebat, quare in Deuteronomio à fine septem annorum jubemur facere intermissionem?

## CONCILIATIO.

IN præcepto semitæ, sive intermissionis duo consideranda sunt, intermissio agriculturæ, & intermissio debitorum, aut pecuniarum quæ proximo erant mutuò datæ. De priori in Levitico, de altero in Deuteronomio agitur. Intermissionem agriculturæ principio anni cœpisse existimabant nostri sapientes: uti colligere est ex verbis, *Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & colliges proventum illius. Anno verò septimo sabbathum cessationis esto ipsi terræ, sabbathum Domini; ne seminato agrum tuum.* At semita debitorum, nuncupata שמיטת כספים *intermissio argenti*, fine anni septimi incipiebat: quod constat ex illis, *A fine septem annorum facito intermissionem:* & mox declaratur quæ intermissio intelligatur, his verbis: *Hoc autem esto jus intermissionis: intermittito omnis creditor, jus habens vindicandi manu sua, id quod vindicaturus esset à proximo suo; ne exigito à proximo suo, &c.*

II. R. Abraham Aben Ezra vult vocabulum קץ *kes* tam caput, quàm finem denotare, ut מן הקצה אל הקצה *ab extremo, ad extremum*: ideoque hoc loco exponit, *à principio septem annorum.*

III. R. Moses Gerundensis, juxta interpretationem Anquelos a-ger vocem קץ *kes*, סוף, i.e. *finem* significare putat. Et quemadmodum cunctà principium & finem habent, ac proinde & numeri, (uti denarii principium unitas, decem finis est) ita in septem semitæ annis, principium hujus numeri est primus, finis autem septimus, quo absolvitur prædictum spatium. Itaque palam hinc est, finem septem annorum esse ipsum annum septimum: Quo pacto difficultatem non habent illa, *à fine septem annorum*. Perinde enim est, ac si dixisset, à fine numeri septenarii, i.e. ipso septimo anno.

## QVÆSTIO IX.

Levit. XXVII. 26. *Verumtamen primogenitum, quod primum gignitur Domino ex bestiis, nequis sanctificato illud.*

Deut. XV. 19. *Omne primogenitum, quod nascetur in armento tuo, & in grege tuo, quod mas erit, sanctificabis.*

## CONCILIATIO.

IN Gemara Arachin cap. VIII. Thorat Coanim, & Siphrè, R. Ismael priore loco velle Scripturam ait, ne primogenitum alterius sacrificii, aut victimæ loco offeratur, quia illud, simulatque natum est, Domini jam sit; ita ut nequeat eo uti homo ad sacrificia cujusmodi ei libuerit: altero autem loco, ut ei sancti nomen ob primogeniturã detur, quo jam sanctificatum est, ut omnes scientes pro tali illud habendum, observent, quæ de eo præcipiuntur; quemadmodum ait R. Levi ben Gerson.

II. R. Moses Gerundensis, ideo primogeniti sanctificationem prohibitam existimat, quia supervacua sit, quando illud ab ipsa nativitate Domino consecratum est, ut testentur verba *si vos, si agnus Domini est*, &c. Rursum in Deuteronomio sanctificationem ejus præcipi, ut eo tanquam re sancta utamur, eamque ob caussam subiici verba: *Ne utitor primogenito bovis tui, neque tondeto primogenitum gregis tui, coram Domino Deo tuo comedes illud.* Atque hic finem Levitici quæstionibus imponimus. *Sit nomen Domini benedictum ab hoc tempore in perpetuum.* (*Psal. 103. 2.)

## FINIS QVÆSTIONVM IN LEVITICVM.



# MENASSEH BEN ISRAEL
## QUÆSTIONES
## IN
# NVMEROS.

# QVÆSTIONES IN NVMEROS.

## QVÆST. I.

Num. I. 49. *Verumtamen tribum Levi ne numerato, & capita eorum ne recenseto inter filios Israel.*

Deuter. x. 6. *Ubi mortuus est Aaron, &c. tempore illo separavit Dominus tribum Leviticam.*

SI tribus Levi, mox ab exitu Israëlitarum ex Ægypto anno secundo, seorsim censeri cœpit, cur in Deuteronomio post mortem Aaronis id demum fecisse Dominus dicitur?

### CONCILIATIO.

IUxta R. Selomonem, verba hæc, *tempore illo separavit Dominus*, non ad postrema Israëlitarum itinera referri oportet, sed ad ea quæ paulo ante S. Scriptura retulerat, de vitulo; cujus caussa Moses ait se tabulas confregisse. Quoniam autem soli Levitæ, non modo culpâ tam fœdi criminis vacaverant, sed & tanto fervore nefas ulti erant, mox in locum primogenitorum delecti fuere ad servitium tabernaculi.

## QVÆST. II.

Num. II. 17. *Et proficiscatur tentorium conventus, castra Levitarum in medio castrorum.*

Ibid. x. 33. *Profecti itaque sunt à monte Domini itinere tridui, & arca fœderis Domini profecta est ante eos, itinere tridui.*

CLarè satis hæc pugnare videntur: nam si arca erat in tentorio conventus, aut tabernaculo, quod (ut priore loco legas) inter reliqua castra proficiscebatur, quid sibi vult, quod illa ante castra profecta dicitur tridui itinere?

### CONCILIATIO.

IN Siphre lego, arcam, quæ ante castra procedebat, fuisse aliam, nimirum eam, quâ continerentur fractæ tabulæ. Quod ut intelligatur, sciendum, R. Ioda ben Laquis, in Thalmude Hierosolymitano sensisse, Israëlitas in deserto duplicem habuisse arcam, unam Mosis, paratam prius quam illa Besalhelis esset, cui includerentur fragmenta tabularum; alteram à Besalhele, post extructum Tabernaculum, fabricatam, cui lex includeretur. Ex his eam quam Mo-

ses fecerat tridui itinere ante castra profectam vult; eandemque si pugnandum esset, comitari Israëlitas solitam, ac temporibus Eli à Philisthæis captam fuisse. At Besalhelis arcam, claustrum Legis, semper in medio castrorum incessisse. Hæc sane plurimum faciunt ad concilianda S. Scripturæ verba. Quamvis autem eodem loco Rabanan unam tantum arcam fuisse statuant, quam temporibus Eli ceperint Philisthæi, eamque opinionem nonnulli sequantur; R. David Kimhi tamen ad Semuelem, & R. Selomoh opinionem R. Iodæ, tanquam magis probabilem sequuntur. Etiam R. Semuel Iaphè in Iephè Marhè ‡ duas fuisse arcas, sed nihilominus Besalhelis arcam ad explorandum iter præcessisse castra existimat, quia majoris sanctimoniæ esset; quam rem discutere non arbitror hujus loci.

‡ fol. 141.

II. R. Moses Gerundensis vult primis castris, nimirum tantùm tridui illius spatio arcam castra præcessisse. Quam sententiam juvare videntur verba Deuteron. quis id factum dicitur cùm à monte Domini, seu Sinai, discederent. At exacto triduo cum nubes substitisset, erexerunt tabernaculum, & arcam ei intulerunt; à quo tempore cum tentorio conventus in medio castrorum profecta est. Hanc opinionem amplexus est Ishac Abravanel ad hunc locum, & commentarijs in Semuelem.

## QVÆST. III.

Num. III. 39. *Omnes numerati Levitarum, quos numeravit Mosche & Aharon ex præstituto Domini, per familias ipsorum omnes mares à nato uno mense, & deinceps vicies & bis mille.*

Ibid. Si supputaris numerum in S. Scriptura traditum, reperies viginti duo millia, & trecentos.

DVo & viginti millia Levitarum fuisse dicuntur, cum tamen accurate numerato inveniantur trecenti ultra eum numerum, nam à Gerson sunt VII millia quingenti, à Keat VIII millia sexcenti, à Merari VI millia ducenti.

### CONCILIATIO.

* cap. 1.

IN Gemara Bechorot * quæstio hæc movetur, & talibus verbis solvitur. Scimus ex XIII. cap. Exod. Dominum Deum postquam decimoquinto die mensis Nisan, seu Martii, percusserat omnes primogenitos Ægypti, mox Israëlitarum primogenitos sanctificasse, qui Sacerdotum instar semper res sanctas administrarunt. Vnde cum aram in monte Sinai Moses exstruxisset, sacrificasse pueri dicuntur; quos pueros fuisse Sacerdotes ex paraphrasi Chaldaica discimus. Is mos obtinuit, donec vituli cultu, ut cæteri Israëlitæ, ita & primogeniti inquinati, amiserunt egregium munus quod hactenus administraverant: in quo successores illis dati sunt Levitæ, ob zelum in vindicando piaculo. Tunc autem instituit Deus Benedictus, ut eodem modo quo Levitæ numerati fuerant ab iis qui mensem à nativitate implevissent, ita & primogeniti Israëlis numerarentur, eorumque loco forent Levitæ. Itaque censu inito reperti sunt primogeniti viginti duo millia ducenti & septuaginta tres, quorũ in locum successerunt vicies & bis mille Levitæ. Sed quia primogeniti ducẽti & LXXIII plures erant

quam

quam Levitæ, jussit Dominus unumquemque horum quinque siclis se redimere. Et nequis ob onus hoc indignaretur, aut querelas moveret, volunt sapientes sortibus electum esse numerum, & pynidi injectas bis mille schedulas, quis inscriptum foret, לוי בן *filius Levi*, & præterea ducentas septuaginta tres schedulas, cum inscriptione ה' שקלים *quinque sicli*. Tum primogenitos accessisse, & sortem duxisse: qui schedulam sumserat inscriptam *filius Levi*, jam redemtus erat; qui alteram cum inscriptione *quinque sicli*, ea pecunia se redimebat. Objiciunt sapientes, quandoquidem accuratè supputato reperiantur bis & vicies mille ac trecenti Levitæ, primogeniti autē non plures quam viginti duo millia ducenti & LXX. tres, non opus fuisse quenquam primogenitorū redimi, quippe cum Levitæ viginti septem plures quam primogeniti forent. Cui objectioni respondent, trecentos ex Levitis fuisse primogenitos, qui pro alijs Israëlitis primogenitis solvere nequirent, quia pro se ipsis solvere debebant.

## QVÆST. IV.

| | |
|---|---|
| Num. IV. 3. & 30. *Recenseto filios Levi à nato triginta annos, & deinceps usque ad quinquaginta.* | Ibid. VIII. 24. *Hoc est quod ad Levitas, à nato* XXV. *annos & deinceps.* |

CLare uno loco dicitur Levitas ab anno ætatis vigesimo quinto ad ministerium tabernaculi accessuros; altero autem XXX annorum mentio fit.

## CONCILIATIO.

SApientes nostri in Gemara Holin ‡ & Siphre ajunt Levitas anno ætatis vigesimoquinto intrasse tabernaculum, non ad ministrandum, sed discenda ea quæ ministraturis necessaria erant; nimirum Musicam, aliaque id genus, quis ad tricesimum usque annum occuparentur. Neque miretur quisquam tantum temporis tam facili arti impensum: nam ut R. Abraham a-Rophè, in ingenioso opere suo Siltè a-Gibborim * probat, Levitæ ex arte cantabant. Quod mihi valde fit verisimile. Etenim Musicæ ea in animum hominis vis est, ut sæpe dæmonium, & malos spiritus expellere potuerit. Ita Semuel lib. I. cap. XVI. 13. Saulis animum à malo spiritu vexatum, David citharæ pulsu refecisse legitur. Qua de caussa Nauclerus Mathematicos firmare ajebat, dæmones musicæ auditum non tolerare. Nec tantum huic malo, verum cujusque modi morbis sublevandis eam utilem esse plurimi autores probavere, Homerus ‡, Seneca †, Plinius lib. XXVIII. Hist. natur. cap. 2. Plutarchus *, Ælianus ‡, Gellius †, Galenus *, Censorinus lib. de die natali, Marcellus Burdegalensis c. X. Medicam. Alexander Trallianus lib. IX. cap. 4. Cælius Aurelianus lib. I. Chron. cap. 5. Marcianus Capella lib. IX. Vindicianus, Avicenna ‡, Raphael Volaterranus lib. XXXI. & Marcilius Ficinus †. Etiam Aristoteles VIII. Politic. cap. VII. furorem in vatibus musicâ gigni. Et II. Reg. III. 15. Elisa Propheta vaticinaturus citharam sumsit. I. Chron. XXV. 2. Asaph, Heman, & Iditun ad sonum instrumentorum futura prædixisse legimus. Ex his cum constet plurimum ad virtutem sectandam Musicam juvare, (quod & Plato lib. IV. de Rep. docet) & maximam

‡ cap. 1.
* cap. 4.
‡ 9. iliad
† lib. 3. de ira.
* lib. de music.
‡ lib. 14. var. hist.
† lib. 4. cap. 13.
* lib. 1 de sanitate tuend. c. 11.
‡ lib. 1. Fen. 4. cap. 30.
† De vita cœlitus compar. c. 21.

ximam ejus excellentiam esse, mirari non debemus, quinquennium ei Levitas incubuisse. R. Semuel bar Nahman in Beres. Raba ait Mosi multa diligentia adlaborandum fuisse, ut Levitas in Musica erudiret; scilicet, quia ex arte exactè eam discebant, ut ostendit R. Semuel Iaphe in Iephè toar. Hanc conciliationem videor mihi ex ipsis S. Scripturæ verbis elicere posse. Nam ubi tricesimo ætatis anno venire Levitæ jussi, subiiciuntur verba, *ad ministrandum ministerium*: at de viginti quinque annos natis Scriptura ait, *ad militandum militiam in ministerio tentorii conventus*; videmus non dici ad ministrandum.

II. R. Abraham Aben Ezra, Levitas, ab anno vicesimoquinto usque ad trigesimum, levioribus ministeriis occupatos fuisse existimabat; nempe, ut exteros templo arcerent, & si qua id genus plura. At tricesimum jam natos annum, gravioribus assuevisse, ut scilicet tabernaculum humeris tollerent, ut Num. IV. 21. legimus, *ad ministrandum, & onus ferendum.*

III. R. Moses Gerundensis statuit Levitas à Mosche & Aharone numeratos (quorum unicuique munus suum impositum sit) fuisse annorum xxx. nihilominus tamen voluisse eum ut viginti quinque annos nati apti haberentur ad ministerium, ac liberum iis esset accedere ad juvandos fratres suos Levitas: at non ita ut propria tales munera haberent, quorum suprema cura penes eos esset. Etenim hoc solum fuisse eorum qui trigesimum ætatis annum superassent. Quin & videmus postea Davidem, quia opus futurum erat Levitis quando templum extrueretur, divino permissu statuisse, ut xx. annos nati eò intrarent.

## QVÆST. V.

| | |
|---|---|
| Num. IV. 15. *Postmodum accedunto filii Keat, ad deportandum ea, sed ne attingunto rem ullam sanctam.* | Deuter. XXXI. 25. *Præcepitque Moses Levitis &c. Accipientes librū hunc Legis, ponite eum à latere arcæ fœderis Domini Dei vestri.* |

IUbet Lex, postquam ab Aharone & filiis ejus omnes sanctæ res tectæ fuissent, accedere Levitas filios Kehat, ut vectibus arcam sublevarent, disertim addito, morituros si ipsam tangerent: postea rursum jubet eosdem librum Legis ponere ad latus arcæ; quod videntur facere nequivisse nisi eam tangerent.

### CONCILIATIO.

SAcerdotes in S. Scriptura Levitas vocari constat ex verbis, † *Et sacerdotes Levitæ, filii Zadok*: nimirum quia descendebant ex tribu Levi. Quare & hic per Levitas intelligendi sunt sacerdotes.

† *Iehezq.* 44. 15.

II. Dicere quoque liceat, librum Legis non intra arcam, sed in pluteo, qui eidem affixus esset, depositum fuisse, quod sensisse sapientum unum legimus in Gemara Baba Batrà †. Ideoque jussit Dominus poni eum ad latus arcæ, ut sub finem quæstionum ad Deuter. demonstrabimus. Atque hac ratione non opus erat arcam à Levitis tangi. Præcepit autem Dominus librum Legis poni à latere arcæ, nequis unquam eum depravaret, sed semper incorruptum ejus exemplar haberetur. Quâ re factum est ut nec prosperis, nec adversis Israelitarum rebus unquam in Lege quicquam depravaretur, uti egregie probat doctissimus

† *cap.* I.

Petrus

Petrus Cunæus libro de Rep. Hebræorum; contra Latinæ & Græca versiones adeo discrepant, ut vix duos codices reperire sit, qui ubique congruant. Etiam Augustinus libro de civitate Dei profitetur, non credere se Hebraicam Scripturam unquã à Judæis vitiatã fuisse: & nonnulla in hanc rem argumẽta adducit.

## QVÆST. VI.

Nu.VIII.25. *Ex quo verò natus fuerit quinquaginta annos, revertetur à militia hujus ministerii, ut non ministret amplius.*

Ibid. vers. 26. *Et serviet cum fratribus suis in tentorio conventus, ad observandam observationem.*

SEquentia hic verba præmissis adversari videntur: nam primò quinquaginta annos natus à servitio liber fore, tũ rursus cũ fratribus suis serviturus dicitur.

### CONCILIATIO.

IN Tabernaculo (quemadmodum in Siphrè † dicitur) ministeria alia aliis graviora erant: & Levitæ usque ad quinquagesimum ætatis annum arcam humeris suis portabant. Deinceps autem, quia vires decrescebant, levioribus ministeriis fungebantur, templi foribus claudendis, exonerando plaustro filiorum Gerschonis, ac cortinis tapetibus deportandis occupati. Quare cum quinquagenarii non ultra ministraturi dicuntur, intelligimus loqui Scripturam de ministerio portandi arcam, nam in reliquis cum fratribus suis serviebant. Sequuntur hanc sententiam R. Selomo, & Ishacus Abravanel.

† Par Beaalotha.

II. In Gemara Holin * verba Scripturæ tam de gravioribus ministeriis, quam levioribus accipiuntur, atque adeo de ipsa quoque forium cura, & musica, atque aliis, quæ supra memoravimus. Quod autem dicitur tales cum fratribus suis ministraturos, illud referendum ad custodiam tabernaculi, quo & sequentia respiciunt: *Et serviet cum fratribus suis in tentorio conventus ad observandam observationem, & ministerium non ministrabit amplius.* Ea expositio mihi omnino ex mente Scripturæ esse videtur; in qua ideo crediderim diversam priore & posteriore loco phrasin usurpari. Nam illic legas, ולא יעבד עוד *iaabed, non serviet amplius*: hic ושרת עם אחיו *Veseret*, quod vocabulum levioribus tantum muniis datur, quibus non convenit nomen עבודה, *Abodà servitii.*

* cap. I.

## QVÆST. VII.

Num. XI. 20. *Vsque ad mensem dierum, usque dum exeat è naso vestro.*

Ibid. vers. 33. *Caro adhuc erat inter dentes eorũ, nondum exesa erat, quum ira Domini accensa est in populum.* Item Psal. LXXVIII. 30.

QUandoquidem Dominus promiserat mensem integrum Israelitas coturnices comesturos, quid sibi vult, quod Scriptura ait cum adhuc esset caro inter dentes eorum, Dominum eos percussisse tam gravi plaga?

### CONCILIATIO.

IN Siphrè tali distinctione huic quæstioni occurritur. Desiderium hoc, & impudens querela, primùm cœpit ab advenis, quos postea secuti sunt Israëlitæ; unde Scriptura: ‡ *Et convenæ qui inter eos erant concupiverunt concupiscentiam, quare rursus etiam fleverunt filii Israelis.* ‡ Num. II. 7.

 Hi igi-

Hi igitur qui primi conquesti erant, simulatque carnes intra dentes habuerunt, mortui sunt. At Israëlitæ, qui itidem plorarant, cum mensis spatio coturnicibus victitassent, in lectulis suis morbis oppressi sunt. Sequuntur hanc expositionem Moses Gerundensis, & Ishacus Abravanel.

II. Contra in Mehilta, quia mors repentina longis morbis, & exitium nihilominus allaturis, suavior est, statuitur Israelitas, cum adhuc caro intra dentes illorum esset, exstinctos; convenas autem gravibus morbis per mensem integrum divexatos, tandem periisse. Vtramque hanc expositionem in glossis suis memorat R. Selomoh.

III. R. Moses Albelda ait, Dominum promisisse quidem integro mense Israelitas coturnicibus victuros, sed cum videret eos nihilominus pravam cupidinem retinere, simulatque vesci illis cœpissent, morte eos affecisse. Neque illa opinio rejicienda est, quatenus omnia Dei promissa conditionalia sunt.

IV. Quin & dicere possimus, quamvis legatur in Scriptura percussos Israelitas dum adhuc intra dentes eorum carnes essent, inde sequi primo die, quo vesci coturnicibus cœperant, iram Domini sæviisse. Etenim potuit hoc demum sub finem mensis evenire; ut mens Scripturæ sit, adhuc eodem loco carnes intra dentes eorum erant, cum Dominus gravi eos plaga afflixit.

## QVÆSTIO VIII.

Num. XII. 6. *Per somnium loquor cum eo.*

Zechar. X. 2. *Somnia vanitatem loquuntur.*

Ait Dominus, ad extollendam Mosis prophetiam, se per somnium cum reliquis Prophetis loqui; quare ergo Zacharias somnia vanitatem loqui ait?

## CONCILIATIO.

Necessarium arbitror, cùm ad concilianda hæc loca, tum quia utilis materies est, de somniis fusius aliquanto disserere, ea, meo quidem judicio, duplicia sunt, vera, & fabulosa. Fabulosorum variæ reperiuntur caussæ: primùm natura & compositio corporis humani, in quo hoc vel illud prædominatur. Ita, quibus nimium caloris naturalis aut externi est, somniant sese vel foco adesse, vel in balneo agere, vel si qua id genus alia calorem spectant. Contra qui frigore abundant, nives, pluvias, similiaque somniant. Ideoque Razis, secundo libri Almanzor, ex somniis se judicare ait, quis humorum in ægri corpore vitiosus sit. Hinc & Jesaias XXIX. 8. famelicum de cibis, sitientem de potu somniare affirmat. Altera fabulosi somnii caussa sunt variæ hominis cogitationes. Et quemadmodum interdiu animus iis immersus est, ita cum exteriores sensus quiescunt, & somno opprimuntur, tanto acrius illæ cogitationes augentur, quia animo expedito & aliis curis soluto vacuum est totum sese iis tradere. Hinc fit ut phantasia, receptas species mille modis variet, &, pro naturâ
*cap. 9. suâ, alia aliis misceat, unde mille fabulis origo est. Eam ob caussam in Guema-
† cap. 2. ra Berahot * ajebat Raba אין מראין לאדם אלא מהרהורי לבו *Non ostendunt homini*
29. *quicquam præter cogitationes cordis ejus.* Et Daniel † ad Regem Nebucadnetzarem,

zarem, *Tibi, ô Rex, cogitationes tuæ supra cubile adscenderunt.* Eodem in tractatu traditur, Persarum Regem quendam, petiisse à R. Semuele, quandoquidem adeo se sapientes crederent Iudæi, ut indicaret sibi, quid secutura nocte somniaturus esset; illum autem audacter respondisse, somniaturum sese capi à Romanis, & molæ auri intrusum ad molendos dactylos adigi: quod cum tota die secum revolveret Rex, etiam noctu in somniis ei oblatum est. Simile quid alteri Regi prædixerat R. Ieosua. Ut certum sit interdiu cogitata noctu sæpe hominem somniare. Eamque ob caussam ajebant veteres sapientes, neminem somniaturum, se videre elephantum per foramen acus transeuntem, quia id nunquam per sensus exteriores in hominis mentem veniret. Hinc etiam sapiens,* *Venit somnium,* inquit, *cum multitudine rerum:* significans, somnia provenire ex variis animi occupationibus, & cogitationibus. Unde eos qui cogitabundi plerumque sunt, perpetuo somniare videas. Idcirco & Aristoteles primo Ethicorum in ipso somno hominem malum aut bonum vocari posse ait, quia pro malis aut bonis cogitationibus, etiam somnia prava aut bona sunt. Tertia denique id genus somniorum caussa, est infirmitas judicii in quibusdam hominibus parum exercitati. Qui quamvis bene temperatum corpus habeant, quale requiritur ad perfectionem actionum humanarum, sine alteratione humoris, aut externa aliqua causa, eoque à multis cogitationibus liberi sint, (nam hæc duo somniis talibus originem præbere supra demonstravimus) nihilominus, ob debilitatem judicii, ne vigilantes quidem possint depellere formas animo se inserentes, quanto minus dormientes. De his Sapiens ait, † *Vox stolidi in multitudine rerum.* Talibus sæpe per somnium offeruntur, quorum jampridem obliti erant. Etenim quemadmodum homo sensus ab externis rebus abstrahens, sæpe vetera, & multo ante à se, aut aliis, acta contemplatur; ita & phantasia, ab exteriorum sensuum occupatione libera, multa revocat, quæ oblivioni tempus transmiserat.

* Eccl. 5.2.

† Ibid.

Quia de fabulosis egimus, sequuntur somnia certa ac vera: quorum variæ itidem sunt caussæ. Prima est subtile ingenium, & judicii vis. Etenim ut homines iis præditi vigilantes contemplantur rerum caussas, sive illæ naturales, humanæ, aut cœlestes sint; & si in hujusmodi sese exercuerint, de eventu ejus verè judicant; ita & animo ab externorum sensuum occupationibus libero, multo quietius ac perfectius in somnis rerum eventus contemplantur: eaque somnia vera sunt, tametsi identidē permista phantasmatibus. Quippe ut ait R. Johanan † אין חלום בלא דברים בטלים, *Nullum somnium vacat verbis aut rebus vanis:* utut enim acre judicium sit, subinde participat phantasmata. Talibus somniis exponendis in Guemara Berahot cap. IX. legimus, viginti quatuor homines fuisse, summæ experientiæ, qui ex natura cujusque de somni significatu conjectarent, & sæpe si duo idem somniassent, diversam tamen expositionem afferrent. Hujus generis fuit somnium principis pincernarum & pistoris, de quibus Gen. XL. 5. agitur: & alterum quod Iud. VII. 13. Gideon in castris Midianitarum audivisse dicitur: quorum eventum rectâ æstimatione, Ioseph & Gideon conjectarunt. Talia autem somnia non prophetica, sed certa ac vera sunt.

† cap. 9.

Altera species hujusmodi somniorum, sunt ea quibus accedit aliqua inspiratio Dei, tametsi eam non promereatur is qui somniat. Accidit id occultis de caussis, aut, quod per somniantem Deus quidpiam exsequi velit. Propheticum

verò

verò somnium nequaquam illud dici potest, quia permistum est aliis quæ ab hominis phantasia proficiscuntur. Hujus generis fuit somnium Abimelechi, ad honorandum Abrahamum; Labani, ne male faceret Jacobo; Parhonis, ut Iosephum ad dignitates eveheret, ac Israëlitæ Ægyptũ intrarent. Talia somnia inde dignoscũtur, quod somnianti non involuta imaginibus res offertur, ut in cæteris fieri diximus, sed nuda, & quomodo eam exsequi Deus vult. Sic Abimelecho dictũ est †, restitue uxorẽ Prophetæ: Labano *, ne loquere cũ Iacobo à bono usq; ad malũ. Parhaoni, oblatæ sunt septẽ vaccæ pingues, & totidem macilentæ; quæ aperte repræsentabant famẽ, & saturitatẽ. Et tamen nullus è sapientibus exponere tam manifestã visionem potuit; nimirum, quia somniũ hoc, reliquorũ instar esse, & nunquam quidquam ita aperte in somnis offerri, sed semper sub formis oblatis aliam rem tegi arbitrabantur. Itaque exposuere septem filias eum geniturum, & totidem sepulchro illaturum, aliasque id genus nugas oggerebant, donec Joseph dixit, *Quod facturus est Deus denuntiat Parhoni:* significans, divinâ providentia illud ei somnium oblatum, & rem ipsam clarè revelatam, cum sapientes Ægyptii, sub hac imagine aliud occultari crederent.

† Gen. 20.7. * Ibid. 31.27.

Tertia atque ultima somniorum verorum species sunt prophetica, quis nihil vani immiscetur; sed figuris claris, & veritati proximis, res ipsa cernitur. Hæc tribus à fabulosis somniis distinguuntur. Primùm, quod nihil vani iis immiscetur; dein quod non revelantur nisi hominibus bene meritis, & undique perfectis, nimirum sapientibus, fortibus, divitibus, &c. qui digni sint spiritu prophetico, & in omnibus felices sunt: tertio, quod is, cui gratia fit somnii prophetici, mox alacritatem, & spiritum erectum sentit. Nam, ut rectè ait R. Moses ‡, ipsa prophetia Prophetæ semet cognoscendam dat, eumque luce tanta implet, ut sentire illico possit cujus doni possessor sit. Per hujusmodi somnia cæteris Prophetis Deus revelavit; at solus Moses vidit per speculum clarum.

‡ Morè lib. 2. cap. 45.

Jam facile quivis intelligat Dominum Aaroni & Miriam loquentem ad prophetica hæc somnia respexisse: eodemque referenda verba Iobi * dicentis in somnis sese Deum revelare; & Saulis †, cum ait Samueli, nihil sibi Deum in somnis revelasse; & Ioelis ‡, quando senes somnia somniaturos ait. At Zacharias somnia vanitatem loqui asserens, respexit ad fabulosa, aut ea quæ, quamvis vera, multum tamen falsi admistum habent. Quamobrem Raba † hanc quæstionem solvens; *Hic per angelum*, inquit, *illic per dæmonium:* per angelum (ut R. Ioseph Albus in Icarim observat †) potentiam rationalem; per dæmonium imaginativam intelligit, & mens ejus erat, quando prævalet ratio; Deum cum homine in somnis loqui, i.e. vera eum & certa videre: at ubi prævalet imaginativa; vana esse, falsa, quæ homini in somnis sese offerant. Atque hæc ad concilianda S. Scripturæ loca sufficere mihi videntur.

* cap. 33 15. † 1 Sem. 28. 15. ‡ cap. 3. 1. † Berahot cap. 9. † lib. 3. cap. 10.

## QVÆST. IX.

Num. XIV. 20. *Dixitque Dominus, condonavi secundum verbum tuum.*

Ibid. vers. 21. *Vivo ego, &c. si videbunt terram quam juravi patribus eorum.*

QUi condonat pœnam, negligit; hic Dominus ignoscere se dicens, mox tamen pœnam pronuntiat.

CONCI-

CONCILIATIO.

ABen Ezra & R.Bahie volunt verbum סלחתי quod vulgo vertimus *condonavi*, significare dilationem iræ & supplicii: & Mosem cum videret peccatum majus esse, quam ut condonari omnino posset, petiisse ut saltem Dominus morà leniret pœnam, quia & hoc misericordis sit. Etenim ut debitor, qui mox in solidum solvere coactus perit, si per partes & longiori tempore solvat minus oneris persentit; ita & Israëli in dilatione ingens lenimentum erat.

II. R. Ishac Abravanel statuit, cum Moses peteret ut Deus populo condonaret novissimum delictum, quemadmodum ab exitu ex Ægypto ad illud usque tempus ignovisset: respondisse Dominum, se ignovisse quidem juxta verba Mosis priora peccata, at quam verè viveret, nunquam sese hoc delictũ remissurum esse, ac proin neminem ex Israëlitis hisce conspecturum terram sanctam.

QVÆST. X.

Num.xvi.32. *Aperuitque terra os suum, & absorbuit eos, & domos eorum, omnesque homines qui erant Korahi.*

Ibid.xxvi.11. *Filii autem Korahi non sunt mortui.*

PRiore loco quicquid Korahi fuerat absumtum; altero filii ejus superfuisse dicuntur.

CONCILIATIO.

IN Guemara Sanhedrin cap.xi. traditur cætera Korahi absumta, sed filios ejus mox pœnitentià ductos, atque in altum locum abreptos esse, indeque egressos hymnum Domino cecinisse. Ab his descendisse Semuelem, ac filios ejus, qui cantores in templo fuerint; quorum mentio passim in Psalterio Davidis fiat: uti & Num.xxvi.58. *stirps Korhi*, &c. Placuit id quoque R.Selomoni & R.Bahie, qui volunt absorptos quidem à terra filios Korahi, sed mox vivos emissos. Quin & ipsa Scripturæ verba id quodammodo indicare videntur. Nam Korahũ absorptũ ait; quod si filii ejus absorpti nõ fuissẽt, id clarè expressisset; sed cũ tãtũ dicat eos nõ extinctos, sequi videtur ut devorati à terra vitã retinuerint.

II. R.Moses Gerundensis vult filios Korahi, qui jam justam ætatẽ attigissent, ob merita propria à terra absorptos non fuisse. Quod & ipsum è Scripturæ verbis colligere licet. Quando ait illa, Dathan & Abiram, cum uxoribus, & familià suà, ad fores ædium suarum substitisse; familiæ hic mentionem fieri videmus, quod non fit ubi de Koraho sermo est; nam verba sunt, *Absorbuitque eos & domos eorum, & omnem hominem qui erat Korahi.* Homines Korahi sunt domestici ejus, nimirum famuli, & ministeria, quos ut homo potens & dives, habere poterat; vel intelligere per homines possis omnes eos, qui vocem Korahi secuti erant, quod sensit Isacus Abravanel.

QVÆST. XI.

Num.xx.18. *Cui respondit Edomæus, ne transito per regionem meã, ut non prodeam cũ gladio obviã tibi.* Deut.23.3. *Ne venito Ammonita & Moabita*, &c. *Propterea quod non occurrerunt vobis cum pane & aquà.*

Deut.11.28. *Sine me comparare cibum pecunià ut comedam* &c. *Quemadmodum fecerunt mihi filii Hesau inhabitantes Sehirem, aut Mohabitæ inhabitantes Harem.*

DIfficilis hæc quæstio videtur. Etenim dicitur in Deut. Israëlitas missis ad Sihonem legatis petiisse, ut transitum sibi, & victũ pro pecunià daret, quemadmodum filii Esau, id est Edomæi, & Moabitæ fecissent; cum tamen & hi victum, & illi transitum negasse Jsraelitis in Levitico dicantur.

CONCILIATIO.

R Selomoh, ad concilianda hæc loca, duo petiisse Israëlitas ait, transitum, victus, atq; aquæ venditionem, quemadmodū fecissent sibi filii Esau, & Moabitæ. Vbi quod de Esavi filiis, & Moabitis dicatur, de postrema tantum petitione intelligendum esse. Quia (ut ex primo discimus loco) utraque illarum gentium cum armis Israëli occurrerit: eoque Israëlitas tantum id dixisse, ab ipsis Esavi filiis, ac Moabitis, victum sibi venditum esse. Neque repugnare, quod alibi Moabitæ congregatione Domini arceantur, quia Israëlitis non obviam iverint cum victu. Etenim non dici illic eos vendere noluisse, sed tantum, non obviam tulisse cibos, ut gratis eos acciperent Israëlitæ. Ea sententia faventem habet R. Obadiam Sphornum.

II. Doctus Aben Ezra, neque Esavi filios, aut Moabitas vendidisse, vel obtulisse victum Israëlitis putat, neque Edomæum per terram suam transire eos passum; eoque mentē Scripturæ in Deuteronomio esse, quamvis filii Esau, sive Edumæi, & Moabitæ per mediam terram suam Israëlitas transire passi non fuissent, nihilominus eos iter per extremos fines suos, nimirum per montem Sehir, & Har, concessisse. Quare, juxta eum, cum ait Scriptura, *Transeam nunc per terram tuam, per viam, per viam ibo, &c. uti mihi fecerunt filii Esau*: verba illa *per viam*, denotant viam extra civitatem; quamvis non daretur iter per medium, & penitiora regionis.

III. Sapiens R. Moses Gerundensis ait, Dominum fratres duos, Ammonem & Moab, à congregatione suà separasse, quia usque adeò obstricti Abrahamo, qui patrem eorum Lothum primum manibus hostium, dein excidio Sedomæ eripuerat, ingratissimo animo, pro viribus uterque suis damna Israëlitis intulissent. Nam Ammonita non occurrit iis cum cibo, quod fecerant filii Esau; qui gnari Dominum vetuisse, ne secum pugnarent Israëlitæ, quamvis per medias terras suas transire eos haud permiserant, tamen iter per extremos fines concessere. Idque etiam passi Moabitæ, testante Scriptura, *quemadmodum fecerunt mihi filii Esau & Moabitæ*. Sed hi, quamvis hac parte humani, peccarunt nihilominus conducto Bilhamo, ad maledicendum Israëlitis. His intellectis, non arduum erit conciliare verba Scripturæ. Nam verba Deuteronom. sunt: *Ne venito Ammonita, & Moabita in congregationem Domini; quia non occurrerunt vobis cum pane & aqua in itinere, cum egrederemini ex Ægypto. Et quia conduxit contra te Bilhamum filium Behor*. Vetat hic Dominus, & Ammonitas, & Moabitas admitti in congregationem suam; quemque propriam ob caussam. Ammonitas, quia non occurrerāt Israëlitis, cum pane, & aquà in itinere; Moabitas quia conduxerant Bilhamum, ad maledicendum iisdem. Hoc modo non rectè tantum, sed & necessario exponendū hunc locum putabat Gerundensis. Quippe, inquit, ut posteriora verba, *quia conduxit contra te Bilhamum*, ad solos Moabitas referenda sunt; ita & priora, *quia non occurrerunt tibi*, ad Ammonitas. Nam cum duæ nationes congregatione arceātur, addit Scriptura separatā utriusq; caussā.

IV. R. Levi ben Guerson negat hæc, *quemadmodū mihi fecerunt filii Esau, &c.* verba legatorum Israëlis esse: tantum dixisse illos: *Transibo per terram tuam, per viam, per viam ibo, non deflectam in dextram aut sinistram. Cibum pro pecunià mihi vendes, ut comedam, & aquam pro pecunia dabis, ut bibam, solum transibo pedibus meis*. Huc usque verba legatorum, subiicere dein Scripturam, *Quemadmodum*

*admodum fecerunt mihi filii Esau &c.* ut demõstret exitum rei: scilicet ut Esaui filii ac Mohabitæ, ita & Sihonem transitum negavisse. Ita ut hic versus cum sequentibus connexus, faciat sensum plenum. *Quemadmodum fecerunt mihi filii Esau, habitantes in Sehir, & Moabitæ, habitantes in Har: Et noluit Sihon rex Hesbon pati ut transiremus.* Movere non debet quod hic in illis *& noluit*, litera ו conjunctiva non videatur; nam, ut notat doctus Aben Ezra ad XXII. cap. Genes. sæpe ו superfluum in S. Scriptura reperias. Hæc ad horum locorum conciliationem sufficere judicaverim. Adferunt Ishacus Abravanel, & Isacus Arama, alias solutiones, sed eas prætermitto.

## QVÆSTIO XII.

Num. XXII. 20. *Si ad te accersendum venerint viri, ito cum illis.* | Ibid. vers. 22. *Accensa est ira Dei quod ipse abiret.*

QUærere hic possit quispiam, cur Bilhamo abeunti infensus fuerit Deus, qui antea eum ire ipse jusserat?

### CONCILIATIO.

VEteres sapientes, in Gemara Maccot ‡, ex hoc loco colligunt, Deum dedisse homini liberum arbitrium. Quia primum interroganti Bilhamo responderat, *Ne ito cum illis.* Postea autem secundo à Balahi nunciis vocatum, ire jussit, addito, nequid loqueretur, nisi quod ipse ei edixisset: idque non alio fine, quàm ut cognosceret, utrum ipse cum illis ire paratus esset. Quemadmodum autem viâ, quâ velit, eundi, ita & quicquid cupierit faciendi, arbitrium homini dedit. Unde ajunt doctus Aben Ezra, & R. Bahie, idem hic evenisse, quod acciderat cum exploratores ab Israële emitterentur. Etenim dixerat Dominus, se Israelitas, in terram lacte & melle fluentem, tuto deducturum, ita ut nullis armis opus esset; sed illi increduli, petiverũt à Mose, ut exploratores emitteret; qui, animadversâ eorum pertinaciâ, Dominum cõsuluit, & responsum accepit, ut postulata faceret; morem nimirũ gerente Deo voluntati Israëlitarum, tametsi male hoc cessurum prævideret. Sic quoque Bilhamo voluntatem suam jam revelaverat Deus, ne videlicet, sese itineri daret. Ille tamen, perinde ac si mutabilis esset divina sententia, iterato consuluit: donec Deus, qui hominum propositum impedire non solet, concederet ei abire. Sed enim quia eum ire noluerat, idque jam ante indicaverat, ideo, cum profectum vidit iratus est. Nam quoniam dedit homini liberum arbitrium, cum dixit, iret cum illis Bilhamus, ostendit tantùm, sese permittere malũ, quod in animo haberet. Sequuntur hanc sententiã R. Selomoh, R. Isacus Arama, & R. Obadias Sphornus in glossis suis.

‡ cap. 2.

II. Nec malè R. Moses Gerundensis, legati, inquit, arcessiverant Bilhamum ut Israelitis malediceret. Quod cum prohibitum à Domino foret, debuerat ille prioribus hanc Dei mentem aperire. Nam nequaquam eum assumturi secum erant, ubi scirent inutilem sibi adventum ejus esse, quando nequiret postulatis eorum morem gerere. Atque iccirco Dei ira adversus eum accensa est, quia si legatis voluntatem divinã revelasset, facile excusationẽ ejus accepturi fuerant.

III. Deus, qui primo ire Bilhamum prohibuerat, secundo consultus respondit, *Si ad te vocandum venerint viri illi, surge, ito cum illis, & quod ego tibi edixero, illud fac.* Quibus verbis manifestè iter interdixisse mihi videtur. Nam mens est, si tantum ad te vocandum venerint, abi cum illis: ergo si alio quoque con-

filio eum secum ducere vellent, prohibebatur. Ideoque subiiciuntur verba ista, *certe rem eam, quam tibi edixero, facies.* Itaque iram Dei Bilhamus provocavit, quod contra voluntatem ejus proficisceretur ad maledicendum Israëli.

Neque immerito caussam inquiramus, cur noluerit Deus Bilhamum maledicere Israëlitis, quando parum referre videatur, utrum homo quispiam execretur eum, cui Deus benedixit. Aben Ezra factum putabat, quia Dominus prævidens Israëlitarum peccatum cum Moabitis in Sittim, ac proin immittendæ iis pestilentiæ certus, nollet nationes mundi existimare, id mali iis à maledictione Bilhami profectum. Quin & dicere cum Isaco Abravanele possimus, obstitisse Deum ob ipsius Bilhami autoritatem, quæ tanta erat, ut diceret Balak*, *scio eum cui benedixeris benedictum, & cui maledixeris maledictum fore.* Proin, si Bilhamus aliquid in Israëlem auderet, haud dubiè, exemplo ejus, aliæ quoque gentes arma movissent: at ne illo quidem quidquam auso, cæteri etiam reverituri Israelitas erant.

*Num. 22.12.

## QVÆST. XIII.

Num. xxvi. 54. *Multo multiplicabis possessionem suam, pauco pauciorem assignabis hæreditatem suam.*

Ibid. vers. 55. *Profectò sorte dividetur terra.*

PRiore loco jubet Dominus cuique terram pro multitudine familiæ suæ dari; altero autem sortem jaci; quod contrarium priori videtur.

### CONCILIATIO.

VAlde se multi autores torserunt in divisione terræ sanctæ. Etenim existimare duodecim tribubus totidem æquales partes attributas, non considerato numerosiores hi, pauciores illi essent, præterquam quod iniquum sit, etiam Scripturæ verbis repugnat, quæ multis majorem, paucis minorē agrum assignari jubent. Eamque ob caussam filii Iosephi * apud Ieosuā conquesti sunt, quòd, multi numero, exiguam tantùm terræ partem accepissent; quod si æqualis omnibus portio assignata fuisset, conquerendi locus non erat: potuissetque id Ieosua iis obiicere. Rursum si ad difficultatem hanc vitandam dicamus, terram pro capitum numero distributam, quid singulare habebat ista benedictio Iacobi, cum Iosepho diceret †, *Ephraim & Menasseh, tanquam Reuben & Simon, sunto mei: Progenies autem tua, si quos genueris post eos, tui sunto: de nomine fratrum suorum vocantor in possessionem ipsorum.* Etenim si multi necessariò majorem, pauci minorem habituri partem erant, nihil hoc illis proderat, pro duabus, an una tribu haberentur. Præterquam quod non is modo, quem supra citavi, locus repugnat, quo sorte dividi terra jubetur; sed & alter Num. xxxiv. 13. his verbis: *Hæc est terra, cujus possessionem adibitis per sortem; quam præcepit Dominus dari novem tribubus ac dimidiæ tribui*: quæ ostendunt æqualiter terram fuisse divisam. Et tametsi hæc ita se habuissent, nihilominus querelarum caussa Josephi filiis non erat, quando pro numero suo partem accepissent. Adeo ut & hoc, & illo modo relinquatur difficultas: de qua triplicem apud autores nostros opinionem invenio.

* Ieos. 17.14.

† Gen. 48.5.

R. Selomoh terram sanctam in duodecim partes, at non æquales divisam, habitamque rationem multitudinis in quaque tribu statuit. Iehosuam autem facta divisione, nequa inter tribus contentio oriretur, quam unaquæque partem

occu-

occuparet, sive ut intelligerent omnia divinâ providentia regi, sortes jecisse hoc modo. Strabat, inquit, Eleazar Pontifex ac Sacerdos magnus, indutus Urim & Thumim, adstante Ieosua ac universo Israele; qui ante se habebat pyxides duas; una continebantur schedulæ nomina tribuum inscripta habentes: altera terminos cujusque. Eleazar vero divino spiritu inquiebat, si tribus Zebulun hàc schedulà contineatur, altera continebitur terminus Achò. Hoc pronuntiato princeps manum utrique pyxidi immittebat, eandem quam Pontifex prædixerat schedulam extrahens, nimirum Zebulun tribum, & terminum Achò. Progrediebatur dein sacerdos, si, inquiebat, prodeat tribus Naphthali, mox quoque prodibit terminus Guinosar: tum princeps immissâ in pyxidem manu tribum Naphthali, & terminum Guinosar educebat. Eadem in cæteris ratio erat. Secundùm hanc opinionem facilè est conciliare verba Scripturæ; nam Ieosua quidem divisit terram sanctam in XII partes habitâ ratione numeri qui in quaque tribu esset; sed postea super possessione illarum partium sortes jactæ sunt, ad evitandas contentiones. Nam, ut Sapiens inquit †, *Contentiones tollit* †*Prov.*
*sors*. Et alibi ‡, *à Domino autem est tota ratio ejus*. Atque ita sortibus futurum 18. 18.
erat, ut quæque tribus parte sua contenta esset, quando à Domino totum hoc ‡*Ibid.*
negotium dirigi cogitaret. Iacobi autem benedictio hoc emolumenti Menassi 16. 33.
& Ephraim attulit, quod quamvis unius tribus stirps geminam portionem habituri essent. Iam verò filii Iosephi conquesti sunt, quia terra sancta divisa erat pro numero qui in secundo censu repertus erat, nimirum sexcentis millibus, & mille septingentis ac triginta; tot enim terram sanctam intraverant. Et quemadmodum Num. XXVI. 53. dicitur post istam recensionem, *Hisce dividetur terra in hæreditatem*: quibus verbis denotatur, partitionem faciendam pro numero illo, qui vicesimum annum ætatis, postremo censu implevissent, non habitâ ratione eorum, qui postea eam attigissent ætatem. Adeo ut Ieosua in partitione terræ sanctæ secundum censum secutus sit; hæc autem tribus, ut in Guemarà Batrà * traditur, majorem numerum sola habebat eorum, qui vigesimum ætatis *cap. 8.
annum non attigissent, quam reliquæ tribus simul omnes. Idque vel inde colligas, quod tribus Menasseh primo censu triginta duo millia & ducentos, secundo quinquaginta duo millia & septingentos habuit. Ita ut interjecto tempore plusquam viginti millium incrementum ei accesserit. Itaque quia tanta multitude eorum qui vicesimum annum nondum attigissent, in illa tribu erat, conqueri de angustiis agri cœperunt.

II. R. Moses Gerundensis terram in duodecim partes æquales divisam, & deinde jactam sortem existimat, quam quæque tribus portionem possideret. Eo autem peracto, quia in unaquaque tribu complures familiæ forent, pro multitudine aut paucitate attributam cuique majorem, vel minorem partem in agro tribus suæ. Ex. gr. in Simeone quinque familiæ erant, Nemuel, Iamin, Iahin, Zerah, & Saul. Hæ postquam jam sortes ductæ essent quam portionem terræ sanctæ possiderent, denuo inter se sortem jaciebant, i. e. divisâ suâ regione in quinque partes, ita ut pro multis major ager, pro paucis minor descriptus esset, sortes inter se ducebant, quam portionem unusquisque pro se haberet, quia locus alter altero fœcundior erat. Iuxta hanc quoque expositionem, non malè verba Scripturæ concilies.

Nam cum ait sorte dividendam terram, vult, sortem jaci, quam partem singulæ tribus haberent. Idque etiam ostendunt verba Num.xxxIII.54. *Tunc adibitis possessionem illius terræ sorte, per familias vestras: ei qui multus est, multiplicatote possessionem ejus: ei verò qui paucus est, minorem assignato possessionem ejus, in quemcunque locum exierit cuique sors sua, is illius esto.* Videmus hic sortem adhibitam, ut cuique locus suus obveniret: quo peracto, divisio fiebat pro multitudine aut paucitate cujusque familiæ. Filii autem Joseph conquesti sunt, quia cum unicuique tribui æqualis pars data esset, & tantum familiæ in quaque tribu majorem aut minorem reliquis ejusdem tribus familiis partem possiderent; illi partem, quæ toti tribui obvenerat ob multitudinem suam, nimis exiguā esse rebantur. Ideoq; respondit Ieosua, posse eos terram Pharisæi occupare.

III. Isacus Abravanel, in partitione terræ sanctæ, duo notanda ait: quam provinciam unaquaque tribus haberet; & quanta multitudo in quaque tribu esset. Quantum ad primum, quandoquidem alia regio fœcunditate alii præstat, sortes jactæ sunt, ad vitandas contentiones, quam provinciam possideret tribus Ruben. Eo cognito, priusquam alterius tribus sors educeretur, Jeosuam, Eleazarum, & XII. Principes Israelis recensuisse numerum ejus tribus, & cuique familiæ pro numero, aut paucitate, latos vel angustos terminos præscripsisse. Ne hæc quidem expositio difficultatis quidquā relinquit. Nam primo sortes jactæ sunt, dein supputatio inita, quantam multitudinem unaquæque tribus contineret. Quod verò ad Jacobi benedictionē attinet, voluit ille, filios Iosephi ita auctum iri, ut Reubeni, & Simeoni pares essent. Quod & accidit, nam numerus Menassis & Ephraim æquavit Reuben, & Simeonem. Etiam querelarum filiorum Josephi, secundum hanc expositionem, facile est rationem reddere. Etenim illi, postquam eam, quæ obvenerat, provinciam cognovissent, & Jeosua cæterique dividere illam inter familias cœperunt, caussam conquerendi habuere, quod angusti sibi fines obvenissent pro multitudine hominum. Unusquisque ex tribus, quos allegavi, autoribus, opinionem suam fulcit autoritate veterum sapientum, quam in Gemara Batra cap. VIII. & Siphre legere est*. Nos ad sequentia properamus.

*Siphre Par. Pin.*

## QVÆST. XIV.

Num. xxxIII. 3. *Profectique sunt Rahmeseso mense primo, decimo quinto die mensis ipsius primi; postero die Paschatis egressi sunt Israelitæ manu sublatā.*

Deut. XVI. I. *Quia mense Abib te eduxit Dominus Deus tuus ex Ægypto noctu.*

SAtis hæc pugnare inter se videntur: nam priore loco die, altero noctu ex Ægypto educti Israelitæ dicuntur.

### CONCILIATIO.

R. Selomoh, R. Levi ben Guerson, & R. Bahie, in glossis suis uno ore dicunt, Israelitas interdiu ex Ægypto egressos, uti, super locum supra allegatum, etiam hic ostendit*: *Vos autem ne exitote ullus è porta domus vestræ ad matutinum usque:* & alibi †: *Ipso illo die egressi sunt omnes exercitus Domini, &c.* Itaque in Deuteronomio putant nocte eos egressos dici, quia nox erat quando potestatem abeundi iis faceret Parho. * *Surrexitque Parho noctu, ille & omnes servi*

*Exod. 12. 22. †ibid. 12. 41. *ibid. 12. 31.

*ſervi ejus &c. Vocavitque Moſem atque Aaronem noctu, & dixit, ſurgite, exite è medio populi mei.* Adeo ut tempus acceptæ poteſtatis abeundi, ſumatur pro tempore exitus. Divinus Anquelos a-Ger, nequis ex hoc loco putaret noctu egreſſos Iſraelitas, ita tranſtulit: *Quia menſe Abib eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto, fecitque tibi mirabilia noctu*, indicans, meo judicio, Iſraelitas cenſeri noctu egreſſos, quia miraculis nocturnis compulſus Parho, noctu poteſtatem abeundi iis feciſſet.

II. Doctus Aben Ezra, meritò ſanè, inquit, ſentiamus, nocte ea, quæ decimumquintum diem menſis Niſan excepit, Moſem cum Iſraelitis non fuiſſe Rahameſeſi, ſed Miſraimi cum Parhone, à quibus media nocte advocati, poteſtatem acceperunt abeundi ad colendum Deum. Quo conceſſo, mox Moſes, aſſumtis aliquot miniſtris Parhonis, Rahameſeſum ivit ad liberandos Iſraelitas. Conſtat autem à Miſraim antiquâ, (ubi hodieque cernuntur promptuaria, ſeu cellæ Joſephi) uſque ad Rahameſeſum, ſex leucarum iter eſſe; quod noctu Moſes confecit. Cum autem columna elevaretur mane (i.e. nocte adhuc durante, ſeu horâ & tertiâ ejus parte ante lucem ſolis, nam inde Legis diem ordimur) cœperunt nonnulli exire, qui ſtatim nuntium acceperunt. Sed quia à principio finium Rahameſeſi, uſque ad extremum eorum, pluſquam octo leucæ ſunt, poſtremi, qui longius diſtabant, nuntii ejus ignari, de die movere cœperunt.

III. Jſhacus Abravanel, itidem interdiu egreſſos Jſraelitas ſtatuens, verba Scripturæ, parentheſi inſertâ, aliam prorſus in mentem accipit; nimirum hoc modo, *Et facies Paſcha Domino Deo tuo (quia menſe Abib eduxit te Dominus Deus tuus) noctu*: ut illud noctu ad Paſcha, ſive agnum Paſchalem, noctu comedendum referatur.

---

## QVÆST. XV.

Num. XXXIII. 30. *Deinde profecti Moſerothis, caſtrametati ſunt apud filios Iahakanis.* Item XXXIII. 38. *Aſcenditque Aaron ſacerdos Horem montem ex præſtituto Domini, & mortuus eſt ibi.*

Deut. X. 6. *Et filii Iſraelis moverunt à Beerot filiorum Iahacanis Moſerà, ubi mortuus eſt Aaron.*

DUplex hic pugna eſſe videtur: nam illic Moſerothis ad filios Iahacanis, hic à filiis Iahacanis Moſerotha profecti dicuntur Iſraelitæ. Dein & Aaron priore loco in monte Or mortuus, altero, Moſerothis extinctus traditur.

### CONCILIATIO.

AD conciliationem horum locorum ſcire oportet, quemadmodum Manna, ob meritum Moſis, puteū, Mirjami cauſſâ, Jſraelitis gratificatus eſt, Deus; ita & nubem gloriæ quæ eos comitata eſt; ac circumdedit, Aaronis gratia datam (uti declarat paraphraſis Chaldæa divini Ionathanis ben Vziel, & Hieroſolymitana XXI. cap. Numer.) cujus obtentu Iſraelitæ non diutius tecti fuere, quam donec melioris vitæ particeps Aaron, hanc deſeruiſſet. Quo cognito, Harad Rex tantum fiduciæ ſumſit, ut aciem contra Iſraelitas auderet; ratus jam deeſſe illis præſidium, quo hactenus freti fuiſſent. Jd ex ipſa S. Scriptura colligere licet: quæ & Num. XXI. 1. ait: *Audivit Cananæus Rex Harad venire*

*Iſraelem*

*Iſraelem viâ exploratorum, pugnavitque cum Iſraele, & captivâ de iis fecit captivorum multitudinem.* Proxime hæc verba ſubiiciuntur illis, quæ de morte Aaronis tractant; Scripturâ innuente, fiduciā ei ortam inde, quod crederet Iſraëlitas auxilio nubis nudatos. Secundùm hæc, populus, morte Aaronis ſe orbatū videns nube gloriæ, animo ſe demittere cœpit, ac deſperare de ingreſſu in terram ſanctam: ideoque retro iter Ægyptum verſus legit; ita ut qui antea Moſerothis ad Bene Iahacanis, hinc Guidgadum, inde Iotbatam, Iotbata Habronem, inde autem Eſion Gaberem, hinc Cades, atque ad montē Or pervenerat, ubi mortuus eſt Aaron; ab Or repeteret Cades, & hinc cætera quæ memoravi loca, donec octavis caſtris, iterum Moſerotha attingeret, unde profectus erat. Atque ob hoc peccatum eos ibi invadi & vinci ab Harade Rege paſſus eſt Deus: quemadmodū ex ipſis S. Scripturæ verbis colligere eſt. Ait enim illa, *Audivitque Cananæus Iſraelem venire via exploratorum, pugnavitque cum Iſraele*, &c. i. e. audivit Iſraelitas eodem itinere, quo exploratores, perrexiſſe, & feciſſe id quod illi fecerant. Quemadmodum enim Iſraelitæ, falſo exploratorum nuncio conſternati, conſpiraverant ad repetendam Ægyptum; unde verba illa, †*ponamus nobis caput, & revertamur in Ægyptum*: ita & hi eandem rem conati ſunt. Quæ res fiduciam Haradi dedit eos invadendi, & facultatem vincendi. Addunt veteres noſtri ſapientes, tribum Levi, ſancto zelo, arma contra Iſraelitas arripuiſſe, ac coegiſſe, ut itineri porro inſiſterent; ibiq; eos culpā agnoviſſe, & temerarii propoſiti pœnitentia ductos. Et quoniam mors Aaronis tantis malis originem præbuiſſet, eos in Moſera acriter adeo eum deploraſſe, ac ſi iſthic ſepultus fuiſſet. His facile conciliantur Scripturæ loca. Nam primo Moſerā ad montem Or caſtra tranſtulerunt; dein iterum, à monte Or reverſi, Moſerā, & Aaron, qui mortuus in monte Or, Moſeræ defunctus dicitur, quia ejus mortem hoc loco populus deploravit, perinde ac ſi veſtigio illo temporis ac loci defunctus fuiſſet. Sequuntur hanc expoſitionem R. Selomoh & R. Bahie.

† Num. 14. 4.

*III.* R. Moſes Gerundenſis exiſtimat montem hunc Or valde longū eſſe, indeque per excellentiam nuncupatum *Or a-har*, i. e. *Or montem*: quippe qui inciperet ab Haſmona, & defineret ad terminum terræ Edom. In ejus planitie autem fuiſſe ſeptem illa loca à Moſerà uſq; ad Cades. Quod ſi ita eſt, Iſrael (ut in Num. dicitur) à Moſerot profectus caſtra poſuerit in mōte Or, id eſt, in loco humili ad ima montis poſito: ubi Moſes cum Aarone fratre aſcendere faſtigium montis juſſus eſt. Et ut omnia illa loca valde propinquo ſitu inter ſe erant, in illo tractu montis Or, qui Moſerot proximus erat, Aarō mortuus eſt ac ſepultus. Hoc modo priori iſti difficultati occurritur. Nam revera in monte Or mortuus eſt Aaron, & eo quidem loco, cui ſubjecta erāt Moſerot. Potuitq; ipſa illa pars montis in adſiti loci nomen conceſſiſſe. Quod verò ad Beerot Bene Iaacan attinet, arbitratur R. Moſes, illum non eſſe locum, qui alibi appelletur Benè Jaacan; ſed fuiſſe puteos quos in Haſmona fodiſſent Benè Iaacan ad uſum armentorū ſuorum; etenim vox בארות *Beerot* puteos denotat. Itaq; Jſraelitas, Haſmonā egreſſos, conſediſſe illic, deinde Moſera, poſtea Moſerot, denique Benè Jahacan petiviſſe exiſtimat; quartā videlicet profectione. At in Deuterono. ubi accuratius hæc memorentur, duo præterea loca addi quìs caſtrametati ſint Iſraelitæ; videlicet, Beerot Benè Iaacan, & Moſera; ſed mox inde Iotbatam profectos, ibidem ſubſtitiſſe, quia loca aquis ſcaterent.

*Finis Quæſtionum in Numeros.*

# MENASSEH BEN ISRAEL
## QUÆSTIONES
## IN
# DEVTERONOMIVM.

# QVÆSTIONES IN DEVTERONOMIVM.

## QVÆST. I.

Deut. IV. 7. *Nam quæ gens maxima futura est, cui est Deus propinquus, sicut Dominus Deus noster, quotiescumque eum invocamus.*

Iesai. lv. 5. *Requirite Dominum cum inveniri potest, invocate eum cum est propinquus.*

QUandoquidem juxta Mosis verba, semper Dominus promtus est audire invocantes, quare Iesaias jubet requiri Dominum cum præsto est, unde sequi videatur, esse aliquod tempus quo reperiri nequeat.

## CONCILIATIO.

INter cætera quæ Prophetæ Iesaiæ impius Rex Manasses objecit, etiam hoc fuit, quod testimonio Mosis Prophetarum maximi adversarentur verba ejus; quippe cum scriptum ab Mose esset, omni tempore audire Deum invocantium preces, illum, nequaquam comparandum vatem, dicere ausum, Dominum requirendum dum inveniri posset. Itaque & non exspectato Prophetæ responso, eum ob hæc, aliaque id genus, interfecit: quemadmodũ traditur in Gemara Iebamot cap. IV. Veteres nostri sapientes in eodem tractatu Iebamot, & Ros a-Sana, ac Ialcut †, tali distinctione huic difficultati occurrerunt. *Hoc est*, inquiunt, *in uno solo, illud in congregatione*. Volunt orationes communes Deo gratiores esse, quam unius alicujus suo tantum nomine orantis, ut recte probatur in Gemara Beṛahot †. Congregationem autem appellant decem hominum cœtum teste Gemara Megilah cap. III. quia tota sanctitas in tali numero requiescit. Quam ob caussam Abrahamus, veniam Sodomitis petens, non infra denarium descendit. Cabalistæ quoque hunc numerum iccirco pro perfectissimo habent: & eosdem secutus Avicenna ult. cap. Metaphys. & Thomas Aquinas *; Augustinus ‡ quoque impossibile esse ait, ut multorum preces non audiantur. Itaque omnes orationes, quas veteres sapientes, & viri Synagogæ magnæ instituerunt, plurium, non autem singulari numero concipiuntur, ut *Reduc nos Pater noster ad Legem tuam, medere nobis, responde nobis*, &c. eademque ratio in cæteris. Doctrina hæc eo niti mihi videtur, quod Plato †, Aristoteles *, ac Scotus ‡ asserunt, totum, quod ex partibus suis componitur, diversum esse à partibus illis simul junctis: sive, ut loquuntur Metaphysici, mixtum esse tertiam speciem respectu simplicium ex quibus coaluit. Ex gr. homo ex anima & corpore componitur; & tamen illa naturalis substantia, quam hominem vocamus, non est idem quod anima & corpus conjunctim, sed aliud quidpiam reapse ab iis diversum.

† *Lib. I. art.* 324
† *cap. I.*
* 22. *q.* 83. *art.* 7.
‡ *Serm.* 44. *ad fratres in Eremo.*
† *In Theæteto.*
* 5. *Metaph. text.* 19
‡ *li.* 3. *d.* 2. *q.* 2.

ſum. Secundùm hæc Scripturæ loca ita conciliantur. Dominus, à cœtu decem hominũ invocatus ſemper audit, juxta Moſem: at idem, cũ Jeſaia, quãdo præſto eſt, requirendus eſt ab illis, qui ſoli orant: nam tales aliquando audit, aliquando non; pro meritis orantis.

* cap. 5. II. In Thalmude Hieroſolymitano in Berahot* R. Iirmiah verbis R. Abhu ait: *Requirite Dominum cum invenitur, & ubi Dominus invenitur? in Synagogis, in Vniverſitatibus, & Academiis.* Nimirũ hic literam ב verbi בהמצאו, quod vertimus *in invenire eum*, ſtatuit eſſe בית המקום *Bet loci*, uti apud Grammaticos appellatur. Mens autem ſapientis hujus eſt, orationẽ, quæ Dominum ſemper promtum & propinquũ inveniat, eſſe eam, quæ fit in Synagogis & Academiis, non autem in privato aliquo loco. Etiam hoc nititur fundamento ſuo. Nam orationes ſacrificiis ſucceſſerunt. Et quemadmodum hæc non niſi in Templo à Sacerdotibus fiebant; ita & orationes peragendæ ſunt in Synagogis, & parvis quæ hodie habemus templis. Quod præter Philonem † etiam Plato* ſenſit, eoque permittendum haud exiſtimabat, ut quis domi ſuæ privatim haberet locum peragendis ſacrificiis. Iuxta hanc expoſitionem dicat Moſes, Deum ſemper audire paratum eſſe, videlicet cum communibus precibus invocatur. Nec Ieſaias adverſatur; quin imo docens nec ubique Deum, nec ſemper reperiri aut propinquum eſſe, jubet quæri eum locis illis quibus invenitur.

*Lib. 2. de Monarchia. ‡ l. 10. de Leg.

III. In Gemara Ros a-Sana †, & Ialcut ‡ hæc verba legas: *Requirite Dominum cum invenitur: hi ſunt decem dies, qui à Ros a-Sana ſunt uſque ad diem Kipur expiationis peccatorum.* Quæ ita intelligenda ſunt. Mundus creatus eſt primo die תשרי Tiſri, ſeu Septembris, uti probavimus XI. quæſt. Exod. & quia is principium anni eſt, incipiunt tunc planetæ curſum ſuum. Quemadmodum autem in nativitate hominis quicquid ei ſuperventurum eſt ſignificãt, ſic illo die, quo motum ſuum ordiuntur, indicant quicquid mundo elementali eventurum ſit; tam univerſalia, uti famem, peſtilentiam, ubertatem, ſalutem, mortem, vitam, bella, pacem &c. quam communia unius alicujus provinciæ, & multo magis ea quæ uni alicui homini ſuperventura ſunt, vitam, mortem, lucrũ, aut damnum, ſimiliaque. Vnde Hebræi diem hunc יום הדין *diem judicii* nuncupant, quia illo per conſtellationes cœleſtes omnia dijudicantur. Sed hæc judicia non ſunt providentiæ particularis, verum univerſalis, &, ut dixi, à ſphæris pendent. Populus autem Iſraeliticus non gubernatur à cœleſtibus corporibus, neque protegitur à moventibus ſeſe, nedũ ab aliquo cœleſti principe, ſed peculiariter ipſius Dei providentia, uti clare innuunt illa Deut. IV. 19. *Ne attollas oculos tuos verſus cœlũ, & aſpicias Solem, Lunã, cæteraſque ſtellas, & te incurves iis; nam illas impertitus eſt Deus omnibus populis. At vos ſumſit Deus, &c.* Cæteræ gentes planetis ac cœleſtibus potentiis ſubjectæ ſunt, at non Iſraelitæ. Sed quia privilegio eo non gaudent, niſi Legem obſervent, ac divina eos gratia complectatur, jubet Dominus primum diẽ Tiſri ſibi ab iis conſecrari, & Sophar ſeu tubã cani; ſignificans bellũ inferendum eſſe pravis cupidinibus, & carnem ſub rationis imperium redigendam; & agendam cuique pœnitentiam peccatorum, cum propoſito, nunquam deinceps delinquendi, quæ vera eſt pœnitentia. Eam ob cauſam decem dierum ſpatium, quæ periodus perfecta eſt, deinde diem כפור *Kipur* dedit, quo peccata condonantur ei, qui decem anteactis diebus ſeipſum mundavit: ita ut ab eo tempore planetis non obnoxius, peculiariter & particulari Dei providentiã regatur. At

† cap. 1. ‡ Lib. 1. art. 825

is, qui

is, qui decem illis diebus nequaquam sese mundavit, nec præparavit ad obtinendam veniam peccatorum, obnoxius manet iis quæ planetarum constitutio prænuntiavit. Hac observatione sine difficultate conciliantur loca Scripturæ. Quamvis enim verè Moses dixerit, semper audire Deum quoties invocatur, nihilominus vere etiam Jesaias propriè magis & peculiari modo illis diebus reperiri Dominum ait. Diversum circa hanc rem sensit R. Moses Almosninus in * Serm.
Meames coah *, adeat eum qui volet. 19.

Mihi rectè hæc verba Psalmographus conciliasse videtur, dum inquit *: *Pro-* * Psal.
*pinquus est Dominus omnibus sese invocantibus, omnibus qui eum invocant verè.* 145.18.
Non satis ei erat dicere: *Omnibus sese invocantibus*; nisi subiiceret, *omnibus qui eum invocant verè*. Quia non quisque, sed qui ex animo supplicat, auditur; nimirum, si justa petat. Sæpe enim homo noxia petit, sæpe ea quæ nunquam meritus est; ut mirandum haud sit, tales à Deo non audiri.

## QVÆST. II.

Deut IV.19. *Ne sublatis oculis tuis versus cælum, quum aspexeris Solem, aut Lunam, aut stellas, aut ullam rem exercitus cælestis, tũ impellaris, & incurvãs te iis colas ea, quæ impertitus est Dominus Deus tuus omnibus populis.*

Psal. v.5. *Nam nequaquam Deus tu malitiam probas.* Nationes mundi credere oportet in primam caussam; neque iis concessa fuit idololatria.

## CONCILIATIO.

Septem præcepta, ut traditur in Gemara Sanhedrin *, omnes gentes obser- * cap.7.
vare tenentur, quæ icciroco vocata sunt, שבע מצות בני נח *septem præcepta filio-* ‡Gen.9.
*rum Noachi*. Ex his (quemadmodum in Seder Olam cap.v. & apud R.Mo- 7.
sem in Jad a-Hazaqua legimus) sena Adamo data sunt: nimirum ut abstineret * Sepher
I.ab idololatria: II. maledictione nominis divini: III. cæde: IV. adulterio: Melachi
V.furto: VI.ut judices institueret quorum esset curare ut illa præcepta observa- cap.8.
rentur. Super hæc Noacho septimum additum fuit, ne membrum vivo animali ‡Sanhe.
amputatum comederet: his verbis ‡: *Carnem cum anima & sanguine suo ne co-* cap. 11.
*medas*. Hæc sunt præcepta, ob quorum violationem ut ex S.Scriptura ibidem in * Com-
Sanhedrin probatur, etiam gentes mundi à Deo punitas constat. Eum verò, qui ment.
illa observat, vocarunt, גר תושב *peregrinum habitantem*, quia in Israële morari ad Mis-
poterat. Illi autem, qui ea nõ colit quia natura sic suadere videtur, sed quoniam naiot.
Lege præcipiuntur, & Moses tradidit ore Noachi filiis tradita, illi inquam, si R. *Hil-
Mosem * audimus, sors erit in futuro sæculo. Vnde & veterũ sapientum exstat chot Te-
dictum hujusmodi, ‡ חסידי אומות העולם יש להם חלק לעולם הבא *Piis ex nationibus mun-* suba c. 3
*di, pars est in mundo altero*. Idem quoque R.Moses * colligit ex Misna, cujus Isure
exordium est: *Quatuor idiotæ non habent partem in altero mundo*: quos inter Bilha
reponitur Bilham gentilis; idque ne haberetur unus è piis gentium, quibus sors cap.14.
erit in futuro sæculo. Etiam variis locis magni & egregii operis Misnè Hedut.
Torà *, & in Directore lib. III. cap. XVII. ait, nullum bonum opus cap. 11.
mercede apud Deum carere, juxta dictum * אין הק"בה מקפח שכר כל בריה *Deus* * Pesahi
*benedictus nulli creaturæ præmium suum denegat*. Hinc in Semot Raba * le- cap. 10.
gas Deum jussisse cani cadaver obiici quia adversum Israelitas non latrasset: * c. 31.

† Cuzari lib. 1. art. 111 * Par. Picudè. * Meguila c. 1. Hierosol. ib. Vaiicra Ra. Par. Semini. Mehiita Par. Bò el Parhò.

alia ejuſdem generis exempla prætermitto. Etiam R. Iehuda Levita † ait, Hebræos dicere nulli è gentibus mercedem negari operum ſuorum; quamvis non æquent peregrinum ſibi ipſis, eo quod Propheta evadere nequeat. In ſacro quoque libro Zoar * traditur, Regibus, omnibusque adeo magiſtratibus, qui juſta exercent imperia, & Hebræos in ditione ſua habent, certum in Paradiſo gradum eſſe aſſignatum; quemadmodum eoſdem, ſi malè Hebræos habeant, pœna certa manet. His probatis, ſupereſt oſtendamus quomodo hæc Scripturæ loca conciliari queant. Septuaginta duo interpretes, qui poſtulato Ptolemæi Philadelphi (ut variis locis in Thalmude * memoratur) Legem tranſtulerunt, animadverſa, quæ hinc oriri poſſet, difficultate, verbis Deuteronomii, *quæ impertitus eſt Dominus Deus tuus omnibus populis*, addiderunt vocabulum להאיר *ad lumen præbendum:* quo ſignificabant, cæteras quidem gentes Planetarum viribus obnoxias, at Iſraelem in ſolius Dei tutela eſſe. Ideoque mox ipſa Scriptura ſubiicit, *At vos ſumſit Dominus*, &c. Nam, ut inquit Aben Ezra, experimenta approbarunt, unicuiq; populo, imo & urbi, ſuum planetam eſſe; ſed Iſraelem Planetarum nulli ſubjectum, ſuo tantum regimini ſubeſſe voluit Deus. Neque aliam ob cauſam Iirmias x.2. monet Iſraëlitas, ne timeant ſibi à cœleſtibus ſignis, quæ aliis mundi gentibus metuenda ſint: quia iis data ſunt à Deo, ad illuminandas illas benevolo, aut maligno adſpectu. Hæc mens verborũ Scripturæ eſt.

## QVÆST. III.

Deuter. VI. 16. *Ne tentetis Dominum Deum veſtrum.* | Malha. III. 11. *Probate me nunc hac in re ait Dominus.*

TEntamus aliquem ad introſpiciendam ejus ſcientiam & potentiam, aut bonitatem ac voluntatem; idque fieri ſolet ab ignaris, aut dubitantibus de iiſdem. Lex autem vetat tentari Deum, quia ingens peccatum ſit dubitare de divina perfectione: unde non immerito quæri poteſt, quare Malhachi jubeat tentari Deum in oblatione decimarum.

### CONCILIATIO.

* cap. 1.

ROſaià in Gemara Tahanit * ad concilianda hæc verba, en, ait, ipſo hoc loco inquit Scriptura, *Afferte omnes decimas in theſaurum, ut ſit cibus in domo mea, & probate me nunc in hoc, ait Deus exercituum; ſi non aperuero vobis catarractas cœlorum, & proferam vobis benedictionem.* Hoc loco vox בזאת *in hoc*, excludit tentationem Dei in aliis rebus, (quæ iccirco & altero illo loco prohibetur) præterquam in ſolis decimis. Etenim quia is, qui daret, cogitare poterat, quantò plus offerret, eò minus ſibi reliquum eſſe, Propheta ait contra ſeſe rem habere, & poſſe in hoc probari Deum. Quippe illi qui decimas in ædem Domini attulerit, tantopere bona ſua auctum iri, ut ipſe acquieſcat. Idem quoque R. Iohanan colligit ex verbis hiſce Deuter. *Decimando decimabis omne germen agri tui.* Non opus erat, inquit, repetere decimandi vocem: ſed mens Scripturæ eſt, ſi decimaveris, decimabis; i. ſi decimas obtuleris bonorum tuorum, Deus ita illa augebit, ut ſemper habeas unde decimare poſſis.

II. Mihi non abſurde dictum videtur, ad dandas decimas præcepti neceſſitate obligatos fuiſſe Iſraëlitas, ut eſſet cibus in æde Domini. Itaque non tentabant

bant Deum, juſſis ejus obedientes. Quod autem Malachi jubet eum in hoc probari, non cauſaliter intelligendum eſt, ſed conſecutive; nimirum, decimis oblatis reipſa experturos Iſraëlitas benignitatem & munificentiam Domini. Advertendum autem eſt, quando prohibet Lex Dominum tentari, uti eam verbo תנסו *tentabitis*, quod ſemper in malam partem accipitur, de iis ſcilicet, qui increduli potentiam, bonitatem, aut voluntatem Dei explorare volunt: unde Num. XIV. 21. וינסו אתי *Et tentarunt me*, inquit Dominus, jam decies. At apud Malhachi eſt verbum ובחנוני *& probate me*, quod etiam in bonam partem accipi poteſt. Fateor quidem Achazum quia dixerat ‡, Non petam, nec tentabo Dominum, his verbis à Ieſaia reprehenſum: *Audite domus Davidis, an parva res eſt præ vobis fatigare homines, quod etiam fatigatis Deum meum?* Sed ratio diverſa eſt. Nam ſignum quod dedit Deus ad omnes pertinebat, quia indicio eo certiores fiebant, civitatem à regibus deſertum iri: ita ut illic tentatione opus fuerit. Quin & cum R. David Kimhi dicere poſſis, Achazum non ob fidem, quam Deo haberet, ſignum petere abnuiſſe, ſed quia incredulus eſſet, & perinde ipſi foret utrum ſignum Deus daret, an non: Abraham verò cum diceret; † *Vnde ſciam me hæreditate aditurum*, divino inſtinctu ſignum popoſcit, quamvis ſint, qui eum in hoc peccati arguant. Gedeon certe † incredulum ſeſe oſtendit, cum ſignis ita de rei exitu certior reddi voluit.

‡ *Ieſai.* 8. 12. 13

† *Gen.* 15. 8.

† *Iud.* 6. 30.

## QVÆST. IV.

Deuter. XIII. 2. *Cum ſurgens in medio tui Propheta, aut ſomnians ſomnium, ediderit tibi ſignum aut prodigiũ. Quamvis eveniat ſignum illud, aut prodigium quod prædixerat tibi, dicendo, ſequamur Deos alienos quos non noveras, & colamus eos: Non auſcultato verbis Prophetæ iſtius.*

Ibid. XVIII. 21. *Quod ſi dicas cum animo tuo, quomodo cognoſcemus rem illam quam non elocutus fuerit Dominus? Quod fuerit locutus ille Propheta in nomine Domini, ſi non erit illa res, neque evenerit, hæc eſt illa res quam non elocutus eſt Deus.*

PRiore loco jubet Deus Prophetam, qui idololatriam ſuaſerit, occidi, tametſi ſigna ac prodigia edat. Altero præcipit eum, qui arroganter auſus fuerit dicere quidpiam in nomine Dei, aut idolorum, quod ei præceptum non ſit, itidem occidi: & addit, ad dignoſcendum utrum ea, quæ locutus fuerit Propheta, divino revelatu acceperit, attendendum eſſe an edat miracula. An ergo, ſi ea ediderit, quamvis idolorum nomine prophetans, pro vero habendus eſt vate? Certè pugnat id cum ſententia prioris loci.

## CONCILIATIO.

IUxta omnes autores duo ſunt, qui cũ vaticinantur prophetiæ ſuæ veritatem adſtruere, aut ſignis, aut aliis rebus, non teneantur. Is qui nomine Dei populum arguit, ac incitat ad illum colendum ex toto corde; cujuſmodi Jeſaias, Ieremias, ac reliqui Prophetæ fuerunt: à quibus nulla hanc ob cauſſam miracula edita ſunt: deinde, qui in nomine idolorum vaticinatur, aut demere vel addere Legi præceptum aliquod vult. Talis enim mox occiditur, juxta verba illa:

Cum

*Cum surgens in medio tui Propheta, aut somnians somnium, &c.* Quamvis enim futura prædicat, credi potest, id per Astrologiam, aut Necromantiam resciviffe. Sed is veritatem Prophetiæ ostendere tenetur, qui præceptum aliquod Legis ad tempus mutat, ita ut in æternum non abolere illud velit. Sic etiam cum duo Prophetæ existunt, quorum hic Dei nomine hæc atque illa, alter contraria vaticinetur, uti inter Ieremiam & Hananiam ben Hazur accidit, tum miracula aut prodigia requiruntur; & qui edere ea potuerit pro vero vate habendus est. Quod ex secundo Deuter. loco colligitur, quo hæc verba leguntur: *Prophetam suscitabo eis è medio fratrum ipsorum, sicut tu es, & indam verba mea ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præcepero ei. Erit autem ut quisquis non auscultaverit verbis meis quæ locuturus est in nomine meo; ego reposcam ab eo.* Mens est, Prophetam, Mosis instar pro pio & honesto viro habitum, non obstringi ad probandam multis veritatem prophetiæ suæ, sed mox ei homines auscultaturos. Sequitur in S. Scriptura: *Verumtamen Propheta, qui arrogaverit sibi eloqui in nomine meo, quod ei non præcepi, & is qui locutus fuerit in nomine deorum alienorum, morietur Propheta iste.* Quibus verbis non præcepta in nomine Dei, aut alienorum Deorum nomine loquens, morte affici jubetur. Subiicitur mox: *Quod si dicas cum animo tuo, quomodo cognoscemus rem illam quam non elocutus fuerit Dominus.* Hic demonstratur, moriturum eum, qui loquitur in nomine Deorum alienorum, uti & qui à Deo non præcepta profert. Ille facile agnoscitur, sed qui à Deo non præcepta loquitur, non item. Ideoque ad explorandam veritatem ait Scriptura, *Quod fuerit locutus Propheta ille in nomine Dei, si non erit illa res, neque evenerit, hæc est illa res, quam non elocutus est Deus.* Hoc est: Si evenerint quæ Propheta iste prædixit, pro vero habendū; cujus rei exemplum in Ieremia habemus: at si non acciderint, pro falso; qualis fuit Hananias. Itaque, ut ait R. Mose *, talem oportet nunc in hoc, nunc illo experiri; quod si omnia certa ac veritati congrua reperiantur, sequitur eum verum Prophetam esse æstimandum. Atque hac ratione Scripturæ loca rectè conciliantur.

* *Iesodè Torà cap.* 10.

## QVÆST. V.

| | |
|---|---|
| Deut. XV. 4. *Certe inter te non erit egens.* | Ibid. vers. 11. *Quia non desinet esse egens in terra.* |

## CONCILIATIO.

IN Ialcut † hæc verba leguntur: Israëlitis, si boni essent, promittit Dominus, egentem inter eos non fore, sed tantum inter nationes mundi; unde ista, *Profectò si auscultando auscultaveris voci Domini Dei tui*: contra si mali essent, inter illos, egentes fore, at in gentibus mundi non item. Quibus Scripturæ loca rectè conciliantur: uti visum quoque R. Selomoni, & R. Bahie.

† *Lib.* 1. *art.* 897

II. R. Selomo ben Aderet †, in Quæstionibus suis, ait, verè Deum promisisse inter Israëlitas nullos egentes fore; quippe tametsi sint, satis divitum munificentia eos sustentatum iri, ita ut egestatem non sentiant; ideoque subiicitur mox à S. Scriptura, *Aperiendo aperies manum tuam.*

† *Arisba quæst.* 109.

III. R. Moses Gerundensis, promisit quidem Dominus, inquit, nullos in Israële egentes fore, si præceptis suis parerent; sed prævidens simul nunquam eos

innocenter

innocenter adeo acturos, quin aliqua præceptorum transgrederentur, denuntiat, semper egentes in terra eorum futuros. Quare cum necessario egentes inter illos sint, præcipit eos beneficentia & eleemosynis sublevari: idque eo ordine, ut prima propinquorum, dein civium, ultima conterraneorum ratio habeatur; nam præferendus est is, cui arctiori vinculo adstringimur; quod & Lex indicat, quando ait; *Si fuerit apud te egens quispiam è fratribus tuis, intra aliquam è portis tuis, in terra tua, ne occludito manum tuam.*

IV. Ishacus Abravanel existimat revera inter Israelitas egentes nullos fore; verba autem versus undecimi referenda ad nationes mundi: etenim non dici illic, *Nō desinet esse egens apud te*; sed *nō desinet esse egens in terra*. i. mundo.

V. Ego dixerim de duplici hominum genere hic S. Scripturam loqui, pauperibus, & egentibus. Quorum hos Dominus promittit in Israële nequaquam fore; ut hodieque in captivitate nullos habemus mendicos, qui stipem postulent; sed omnes ii aut Synagogarum proventibus, aut divitum liberalitate sustentantur, ita ut necessaria iis nunquam desint.

## QVÆST. VI.

Deut. XVII. 14. *Et dices, statuam super me regē, sicut omnes gentes, quæ sunt circa me. Statuendo statues super te Regem quem elegerit Dominus Deus tuus.*

I. Sem. VIII. 4. *Præpone nobis Regem &c. Dixitque Dominus Schemueli, ausculta voci populi hujus, in omnibus quæ indicunt tibi: nō enim te spreverunt, &c.* Et XII. 17. *Itaque agnoscite & videte malum vestrum, quod fecistis, magnum esse.*

TRia Israëlitis præcepta fuere, quemadmodum traditur in Gemara Sanhedrin *: ut terram sanctam ingressi statuerent sibi Regem, delerent memoriam Amaleq, & templum ædificarent. Itaque & R. Moses ex veteri Traditione, inter sexcenta & tredecim præcepta, numerat illud de creando Rege; sumtum ex verbis Scripturæ, *Statuendo statues super te Regem:* quod etiam fecit R. Simson mi-cossi in Samag. Ob hæc non immerito quæritur, quare tam graviter Deus offensus sit, cum Regem populus postulabat, ut sese spretum diceret: quare item Semuel firmarit ingens eos malum fecisse.

* *cap. 2.*

### CONCILIATIO.

CIrcumspectè satis & veteres, & recentes sapientes hanc quæstionem tractavere. Quorum illi in Siphrè † ajunt, Præceptum Israëlitis fuisse ut Regem crearent; & nihilominus illos reprehensos, quod cum à Semuele non alio fine postulassent, quam ut ducem haberent ad colendos externos Deos. Qui in opinione quoque fuit R. Neorai, uti in Ialcut ‡ legimus. Colligunt id ex verbis ipsius petitionis; *Statue nobis Regem, qui nos judicet, ut cæteræ istæ gentes:* Et postea: *Vt simus nos quoque sicut omnes istæ gentes.* Quibus verbis occulte venenum animi sui tegebant, gentibus assimilari idolorum cultu cupientes. Unde Deus ipse ad Samuelem, non te, inquit, sed me spreverunt. Sed quid hoc novi eos illud facere, cum ab exitu ex Ægypto huc usque me dereliquerint, & diis externis servierint? Adeo vehementer Deus indignatur sese desertum esse ab iis: ut dubitandum non sit reprehensos Israëlitas,

† *Par. Soptim.*

‡ *Lib. 2. art. 105*

quia Regem petiverant ad defendenda vitia sua,& in quo ducem atque exemplum ad mala quæque haberent;quemadmodum postea in Israële evenit,Deus tamen,quamvis Regem iis concesserit, non qualem ipsi desiderabant, dedit,sed Saulum,justum,& pium: qui nunquam eos à veritate abduxit. Quo faciunt verba illa ad Samuelem: *Nunc autem ausculta voci ejus, sed contestando contestare adversum eos.* i. e. contestare cœlum & terram, perituros eos, si malum consilium suum sequantur.

II. Fuere etiam inter veteres sapientes, qui (ut in Tosaptà Sanhedrin traditur) dicerent, nequaquam in Regis petitione peccavisse Israëlitas, sed in modo petitionis. Etenim graviter eos peccasse,cum peterent regem à quo ad modum reliquarum nationum regerentur; cum se populum à Deo separatum esse scirent. Quod si dixissent:quandoquidem tu senescis,& filii tui recedunt à via Domini, da nobis Regem qui recte nos judicet, & ducat in observanda Lege; aut da nobis Regem, quemadmodum Lex præcipit; haud dubiè reprehensi non fuissent. Itaque crimen fuerit in verbis,*instar reliquarum gentium*: cujus tamen non omnem populum, sed solam multitudinem turbidam, & rerum novarum cupidam, ream fuisse volunt. Idque prævidens Dominus dixerat,in Deuteron. *Vbi veneris in terram,&c.& dices, statuam super me Regem,quemadmodum cæteræ gentes.* Simul addiderat exacte, quo modo, quibus verbis petendus Rex esset;inter cætera præcepto, ut ille foret ex fratribus, ne errarent in electione. Huic sententiæ adhæret R. David Kimhi.

*Sanhed. cap. 2.*

III. R. Nissim in sermonibus † peccatum in his verbis fuisse existimat, *Præpone nobis Regem ad judicandum nos*; nam juxta Legem,juris civilis cura judicibus,bellorum administratio Regi incumbebat. Ita ut crimine fuerint vacaturi, si dixissent,da Regem nobis ad gerenda bella nostra,aut,da nobis Regem. Videtur pro hàc sententia esse,quod Israëlitæ caussam petitionis addiderunt senectutem Semuelis. Nam illa justa caussa non erat Regem poscendi, quatenus nullus unquam ob senectutem imperio dimovetur. Cæterum ad jus dicendum ingens Semueli onus erat senectus. Ipsa Scripturæ verba id quodammodo indicant; sunt enim, *Et malum visum hoc est in oculis Semuelis, quod dicerent,da nobis Regem ad judicandum nos.* Ultra nihil additur, quod indicio est, Samuelem improbasse, quod populus jura, à Iudicibus reddi solita, ad Regem traheret.

*† Par Soptim.*

IV. R. Moses in libro Judicum ‡ peccasse Israëlitas statuit, quod turbidis vocibus, & cum querelis Regem poposcissent, non studio implendi præcepti divini,sed tædio Semuelis Prophetæ. Idque etiam visum est R. Mosi Gerundensi in commentariis ad Genesin, quo loco de sceptro Iehudæ agitur. Ait enim crimen in eo fuisse, quod superstite Semuele Regem postulassent, non habita ratione quam juste, quam innocenter regimen exercuisset. Itaque ingratissimos fuisse,qui eum hac ignominia afficerent,quasi non satis bene imperium direxisset. Hæc opinio mihi Scripturæ verbis congrua videtur. Primo enim ait malum hoc visum in oculis Semuelis,quod Regem petiissent ad se judicandum, quia illum vilipendere hàc re videbantur. Deinde Dominus præcipiens ut populi vocem audiret, inquit, *non enim te spreverunt,sed me spreverunt, ne regnem super ipsos.* Consolans eum his verbis,& injuriam illi factam ut suam accipiens: quatenus non levis injuria erat, quod Deũ Regem habentes, poscerent nihilominus

*‡ Hala-chot Mela-chim cap. 1.*

mi nus

minus hominem à quo regerentur. Denique etiam tertius S.Scripturæ locus huc facit, quo Semuel populum Israeliticum testari jubet, † *cujus bovem aut asinum accepisset, quem fraudavisset, aut cui damnum intulisset.* Quod sui purgandi caussa fecit, ne ob iniqua imperia desertus ab illis videretur. Etiam, ne populus offensum illum crederet, promisit, se nihilominus pro Israële orare, & rectam ei viam ostendere velle. Ita ut ex omnibus his constet peccasse Israëlitas, quod regem petierint superstite Semuele, judice tam justo, pio, ac clementi.

† 1. Sem. 12. 3.
*Ibid.* 12. 23.

V. Fuerunt etiam inter veteres sapientes, qui crederent, crimen in eo fuisse, quod Regem absolute petiissent, his verbis, *Pone nobis Regem*, cum dicendum fuerit, Pete nobis, o Semuel, Regem à Deo Benedicto. Ideoque addi displicuisse Semueli quod dixissent, *Pone nobis Regem*, quasi immobiles sententiæ, nec considerato, rem tanti momenti solius Dei nutu dirigendam fuisse.

*Ibid.* 10. 9.

VI. R. Levi ben Gerson, quem fortassis Paulus Burgensis secutus est, hunc in modum disserit. Duplices Reges creantur; alii legi, perinde ac subditi, obnoxii, qui eam ob caussam, in omni regimine præceptis ejus sese subiicere coguntur; alii liberæ atque infinitæ potestatis, qui Leges pro arbitrio suo ferunt; cujusmodi gentium Reges antiquissimi fuere, pro lubitu suo leges ferentes, aut abrogantes. Sed prius genus decentius est, & huc respiciens Dominus dixit, *Statuendo statues tibi Regem*; unde & Regem hunc, suâ manu Legem describere, & in ejus lectione assiduum esse jubet, ne, elatus fastigio negligat præcepta illius. At maximè noxium est alterum genus Regum; quippe tanta donati potestate, justitiam sæpe aspernantur, & tantum quæ bona ipsis videntur faciunt. Talem Regem petierunt Israëlitæ, dicentes, *Statue nobis Regem ad judicandum nos, quemadmodum cæteras gentes.* Nimirum eadem cum illis jura, easdem Leges volebant; ut ostendunt ista; *erimusque etiam nos ut cæteræ gentes, judicabitque nos Rex noster.* Hoc illud est quod Semueli displicuit, quapropter & Dominus dixit, se spretum esse; neque velle eos amplius sua præcepta, sed Regem cujus lubido ipsis Lex sit. Itaque ut ostendat, quam malam rem peterent, demonstrat illis Regum ejusmodi mores; quippe filios ac filias eorum sumturum illum, & Legis obedientiæ exemtum, ad tyrannidem cuncta, non commune bonum, esse directurum: cæterum cum obstinati Israëlitæ, se reliquarum gentium instar Regem omnibus modis velle dicerent; Samueli en vobis, inquit, Regem, quem elegistis: sed moneo vos & hortor, ut divina præcepta observetis; ut quamvis Regem è secundo genere petiveritis, ille tamen convertatur ad prius genus, ac Legem divinaq; statuta colat. Quod siquis quærat (verba Pauli Burgensis sunt) cur postea Israëlitæ, Semuele rogato ut pro se oraret, quia petitione Regis novum veteribus peccatis cumulum adjecissent, cur, inquam, non reapse pœnitentiam ostenderint, & à petitione destiterint: respondendum est, jam tum Saulem à Semuele unctum, & regem electum fuisse, ut sine atroci injuriâ imperio eum orbare nequiverint, præcipue bello, in Iabes Guilhad feliciter gesto, iniquum erat merita ejus ingrato adeo facto pensare, maxime cum jam Guilgale iterato ei confirmatum esset regnum. Ergo juxta illos peccaverunt Israelitæ, quod secundi generis Regem petivisset.

*Ibid.* 8. 13.

VII. Ishacus Abravanel statum aristocraticum, i.e. paucorum imperium, monarchico præferens, & Romanorum sub Consulibus, Venetorumque, ac Genuensium Respublicas summis evehens laudibus, existimat Deum non jussisse ut

Iſraelitæ Regem crearent; quatenus Regum imperia, non aliis modò locis, ſed apud ipſos Iſraelitas noxia fuiſſe experimentis approbatum eſt, quippe qui & ipſi peccatores, & aliis ad peccata exemplo fuerint. Contra Iudices omnes viros pios ac Dei timentes fuiſſe. Itaque Deum nequaquam id voluiſſe ut Regem crearent, cum ipſe eorum Rex eſſet: ſed tantum, cum prævideret eos ſimulatque terram ſanctam occupaſſent malo propoſito Regem ſibi poſtulaturos, præcepiſſe, ut quando Regem omnino vellent, eum è fratribus ſuis deligerẽt. Quoniam autem peccarent id poſtulantes, à Semuele graviter reprehenſos fuiſſe. Hæc opinio quamvis ſatis congrua verbis S. Scripturæ, à multis tamen accepta non eſt, quia adverſatur ſententiæ ac traditioni antiquorum.

VIII. Divini Theologi Cabaliſtæ peccaſſe Iſraëlitas volunt, quod intempeſtivè Regem petiverint, etenim Deum ajunt certum tempus deſtinaviſſe, quo regnum Davidis, ab Iehuda deſcendentis, inciperet; ſed nihilominus illum, cum videret eos præproperè Regem poſcere, in eorum ſententiam deſcendiſſe, ac è tribu Benjamin ad tempus Regem conceſſiſſe, aut potius commodaſſe. Nimirum Saulem שאול, quod nomen *commodatum* ſignificet, & ad breve tempus permanentem. Unde Oſeam ‡ dixiſſe, *Ipſi conſtituunt Reges, ſed non ex me*: & alibi †: *Do tibi Regem in ira mea, & recipio furore meo:* nimirum quia non erat Rex ex tribu Iuda. Igitur non deliquiſſe eos quod Regem peterent, nam traditione ad id obligatos fuiſſe, ſed quia intempeſtivè.

‡ *cap.* 8. 4.
† *cap.* 13 11.

IX. Ego quoq; dixerim non in alio peccatũ ab Iſraëlitis quàm quod Regem petierint; quamvis enim juſſi eſſent creare eum ubi terrã ſanctam occupaſſent; nihilominus non ipſi poſcere, ſed rem totam Samuelis curæ relinquere debuerant: qui, quippe Propheta, juſtum tempus ſciebat. Nunc autem oſtenderunt, ſuſpectum ſe hàc in re Samuelem habere, quaſi proprii faſtigii cauſa ipſis Regem dare nollet. Itaque cum dicerent Samueli da nobis Regem, id volebant, illum in cauſa eſſe, quominus impleretur præceptum de eligendo Rege. At ſeſe velle Regẽ, non ut dux modo in bello eſſet, ſed ipſius Samuelis officio fungeretur, ac judicia redderet. Quibus verbis faſtiditũ ſibi illũ teſtabãtur, & quaſi eum incuſabant, quod illius ob cauſſam Rege carerent. Hinc ait Scriptura, ac viſum fuit malum in oculis Semuelis quod dixiſſent, da nobis Regem ad judicandum nos. Quoniam autem non ſolent Prophetæ malum malo compenſare, demonſtravit poſtea Samuel, non ideo ſe illis infenſum eſſe, ſed preces ad Deum pro felicitate eorum ſuſcepturum. Atque hæc ad expediendam hanc quæſtionem ſufficere videantur; quiſque quam volet opinionem per me eligat licet.

---

## QVÆST. VII.

Deut. XVIII. 22. *Quod fuerit locutus ille Propheta in nomine Domini, ſi non erit illa res, neque evenerit, hæc eſt illa res quam non locutus eſt Dominus.*

Ierem. XVIII. 7. *Momento eloquar contra gentem & contra regnum, me convulſurum, & demoliturum, &c. Si convertatur gens illa à malo ſuo, pœnitebit me, &c.*

Promiſſa

PRomissa Dei conditionalia sunt. Nam, teste Jeremia, minatur aliquando destructionem regni, sed si gens pœnitentia peccatorum ducatur, itidem Deum subit pœnitentia minarum; ut Ninives exemplo constat. Alias autem prospera omnia pollicitus, si populus ad impietatem deflexerit, similiter promissorum pœnitentia ducitur. Unde gravis quæstio oritur: quippe cum omnia ejus promissa sint conditionalia, quare Moses ait eum pro pseudopropheta habendum, cujus verbis eventus non respondet?

## CONCILIATIO.

R. Moses in glossis ad Misnaiot, & præfatione, deinde & in magno opere Iad a-Hazaqua ‡ ait, ad Prophetam probandum non requiri miracula contra naturam, sed prædictionem rei alicujus futuræ, non malæ, quia talium pœnitere Deum possit, ut Ninivitis acciderit, sed bonæ. Etenim quando vel homini, vel civitati alicui boni quidpiam annunciari Deus per Prophetam jubeat, nunquam illius pœnitentia eum duci, neque talem promissionem conditionalem esse; at si bonum ejusmodi non per Prophetam, sed ipse voce sua denuntiaverit, posse eum pœnitentia duci. Atque hanc ob caussam, inquit, Iacobus, quamvis acceptis divinæ tutelæ in itinere promissis, nihilominus timuit, quia promissio ista non per Prophetam, aut alium quempiam facta erat; nam si per alterum fidem suam Deus obstrinxisset, utique nec timuisset Patriarcha. Confirmat hæc R. Moses verbis Ieremiæ ad Hananiam benAzur pseudoprophetam†: *Propheta ille qui prophetat pacem, quum evenerit verbum ipsius Prophetæ, cognoscitur ille Propheta esse quem misit Dominus.* Unde colligit ad cognoscendum utrum Propheta verus sit, requiri ut boni quidpiam prænuntiet, non mali. Boni quippe promissa, per Prophetam facta, nunquam esse conditionalia.

‡ *Iesodè Torá cap.* 10.

*Gen.* 32 7.

† *Ierem.* 28.9.

II. R. Hasdai † experimentum Prophetæ, non ex mali minus quam boni prædictione capi statuit: etenim si ad ostendendam prophetiæ suæ veritatem quidpiam vaticinatus fuerit, non passurum Deum ut illud non eveniat, quando inde dependeat ejus existimatio. At vaticinia illorum, quorum autoritatem prophetiæ satis stabiliverint, subinde eventu prædicto carere; uti Ionæ acciderit. De talibus autem loqui Ieremiam.

† *Or a-Sem. Hicar anebuá.*

III. Mihi maximè rationi & Scripturæ verbis congrua disseruisse videtur Ishac Abravanel: cujus in Miphalot Eloim ‡, & commentario ad Legem hæc verba sunt. Opera & portenta cujusque Prophetæ trifariam dividi possunt. Aut enim prædicit quidpiam cum neminis damno aut commodo conjunctum; aut contra prosperum vel detrimentosum alicui regno, nationi, vel homini; aut miraculis naturæ ordinem invertit. Ex his prima & tertia tantum species apta est ad cognoscendum verusne quis Propheta sit: nimirum annunciatio boni vel mali, cum neminis damno vel utilitate conjuncti; & miracula, cujusmodi Moses edidit ad probandam prophetiam, virgà in serpentem mutatà, manu leprà infectà, aliisque id genus, quæ homines in admirationem rapiunt. At non item prædictiones universo populo, aut uni alicui bonum, vel malum portendentes; etenim illæ semper cōditionales sunt, &à cujusq; actionibus bonis ac malis pendent. Itaq; Moses quidē, cū verba Prophetæ ait ex eventu judicanda, loquitur de miraculis quæ præter naturæ ordinē eduntur, aut annuntiatione rerū in neminis damnum, vel utilitatem redundantiū. Ieremias contra de prosperis & adversis,

‡ *L.* 10. *c.* 12.

uti incrementis & destructionibus regnorum, aut gentium verba facit, quæ semper conditionalia esse ostendimus. Hanc ob caussam & Iacob timebat, & Ionas, quamvis maneret Ninive, pro vero Propheta haberi non desiit. At verba Ieremiæ ad Hananiam, quæ innuere videntur semper bona eventum suum sortiri, quod huic opinioni adversum est, accuratius expendere oportet. Ait enim: *Propheta ille qui prophetat pacem, cum evenerit verbum ipsius Prophetæ, cognoscitur ille Propheta esse quem misit Dominus.* Mens hæc est: En Hanania, quamvis à natura hominibus insitum sit, amare eos, qui bona annunciant; odisse infausta prædicentes; tamen licet Prophetis, qui ante me famem, pestilentiam, bella, annuntiavere, essent qui obloquerētur, & bona, ut tu nunc, prædicerent, non eo illi mox veri habiti sunt, sed exspectatum est, donec evenirent ea quæ vaticinabantur. Quare nec tibi prospera prædicenti gloriādum est, priusquam impleantur verba quæ prolocutus es.

Alia in his conciliatio fuit R. Levi ben Gerson, quam tamen, quia non ab omnibus perinde accepta est, omittere libet.

## QVÆST. VIII.

Deut. xx. 16. *Sed è civitatibus populorum istorum, quas Dominus Deus tuus dat tibi in possessionem, ne sinito vivere ullam animam.*

Ibid. xxi. 10. *Quum egressus fueris in prælium contra hostes tuos, si dederit eos Dominus Deus tuus in manum tuam, & captivam feceris ex eis captivorum multitudinem.*

SI nihil in vivis relinquendum erat, quomodo poterant aliqui captivi esse?

### CONCILIATIO.

PRior Scripturæ locus, quo vetat quidquam vivum relinqui, agit de bello septem nationum; alter de alia quavis gente. Et notare oportet, quotiescumque bellum Israelitæ intulerunt uni ex septem nationibus, aut alteri alicui populo, semper eos (uti probat R. Moses in Iad a-Hazaqua †, & R. Simson mi-cosi in Samag *) pacem primo tentavisse: nam præceptum Dei, quo Israelitæ cum civitatem quampiam obsiderent, primo pacem eidem offerre jubebantur, generatim quodvis bellum spectabat. Qui autem accipiebant conditionem tributarii Israelitis fiebant, juxta verba, *& servient tibi*; simul ii adigebantur ad suscipienda septem præcepta Noacho data, etenim illa rejicientibus inter Israëlitas habitare non dabatur, propter verba Dei, * *Ne agant in terrâ tuâ, ne te faciant peccare.* Quod si pacem abnuerent, in bellis quidem voluntariis, quæ Israelitæ suscipiebant adversum reliquas nationes, omnes gladio perimebantur, exceptis mulieribus & parvulis; at in iis quæ gerebantur cum septem nationibus, etiam hi occidebantur. At oblatam etiam ipsis septem nationibus pacem fuisse, constat ex Ieosua *, *Nulla fuit civitas, quæ pacem fecerit cum Israelitis, præter Chiuvæos habitatores Gibhonis: omnia ista ceperunt bello.* Unde sequitur nisi pacem abnuissent, bellum iis non illaturum fuisse Israelem. Atque hinc in Siphrè Legas, Ieosuam priusquam intraret Terram Sanctam, triplices epistolas dimisisse; quarum una contineretur, quicumque pacem nobiscum cupiet,

† *Hilchot Meláchim cap. 6.*
* *Ibid.*
* *Deut. 20. 11.*
* *cap. 11 19.*

piet, veniat, accipiemus eũ. Alterius sensum fuisse; quicumque excedere his locis, & nobis possessionem atque aditum liberum relinquere voluerit, maturè abeat: hanc conditionem Girgasæos accepisse volunt, & Africam petiisse; ideoque Scripturam cum nationes illas exstirpari jubet, nulla Girgasæi mentione, nominatim sex reliquas recensuisse. Tertiæ mentem hanc fuisse: Quicumque belligerare nobiscum in animo habuerit, obviam procedat. Indeque in Thalmud Hierosolymitano † dicitur Gibeonitas pacem fecisse, Girgaseos fugisse, reliquos XXXI reges bellum gessisse.

*Deut. 20.17.*

*† Sebihit c.6.*

## QVÆST. IX.

Deut. XXVII. 12. *Hi stanto ad benedicendum populo, Scimhon, & Levi, & Iehuda.*

Ieosua VIII. 32. *Cumque totus Israel, & Seniores ejus, moderatoresque & judices ejus adstarent arcæ utrimque.*

QVi rectè consideraverit quomodo Dominus benedictionem ac maledictionem in montibus Hebal & Gerizim peragi jusserit, & quâ ratione peracta in Iehosua dicatur, triplicem discrepantiam reperiet. Dicit enim Moses tribus in montibus constitutas, *supra montes Gerizim*, &c. Ieosua *è regione montis Gerizim*, &c. Moses ait Levitas populo benedicturos, & maledicturos, in Ieosua nulla maledictionis mentio fit. Denique apud Mosem Levitæ benedictionem & maledictionem proferre jubentur, in Jeosuæ libro traditur ipsum Ieosuam eas prælegisse.

### CONCILIATIO.

AD solvendas hasce quæstiones tria examinare oportet. Primò utrum benedictio quæ populo prælecta est, fuerint undecim præcepta quorum initium est, *Maledictus vir qui fecerit sculptile*, &c. an alia. Dein Levitæ, an Israelitæ benedictionẽ effati sint. Tertio utrũ supra montes an è regione illorũ benedictio prolata sit. Quæ benedictio aut maledictio fuerit non convenit inter autores. R. Selomo secutus Gemaram Sota ‡ fuisse vult undecim quæ dixi præcepta, incipientia à voce *Maledictus*. Et Levitas obversâ in montem Guerizim facie, dixisse, Benedictus vir qui non fecerit sculptile &c. mox autem prolata benedictione ora vertisse ad montem Hebal, dixisseque, Maledictus vir qui fecerit sculptile, &c. atque ita deinceps, donec undecim illa præcepta recitassent. Sed doctus Aben Ezra non illic sed XXIIX capite Deuteronomii benedictionem ab illis verbis incipere existimat: *Eritque si audiendo audiveris vocem Domini Dei tui, ut serves ac facias, &c.* quo loco ingentia bona promittuntur Legem custodientibus: maledictionem autem eodem cap. ordiri à verbis: *Eritque si non audieris vocem Domini Dei tui:* ubi innumera mala denuntiantur Legem negligentibus. R. Levi ben Gerson mediam inter hos viam insistens, & undecim præcepta, cum R. Selomone, prælecta arbitratur, &, cum R. Aben Ezra, caput vicesimum octavũ. Quantum ad secundum, quod considerandum supra diximus, veteres nostri sapientes (quos secuti sunt R. Selomoh, & R. Levi ben Gerson) statuunt, Levitas benedictionem ac maledictionem prolocutos esse. De tertio duplex opinio in Gemara Sota memoratur. Prima est, sex tribus in

*‡ cap.7.*

bus in monte Gerizim, & totidem in monte Hebal ſtetiſſe, Levitas autem medio inter utraſque loco. Et quia ſex tribubus in hoc & illo monte conſiſtentibus, quæſtio oritur, quomodo Levitica tribus, una ex duodenis, medio loco ſteterit, reſpondetur, ſeniores Sacerdotum ac Levitarum in valle, reliquos in cacumine montis conſtitiſſe. Aut, quemadmodum ait R. Ioſaia, quicumque apti ad ſervitium erant, nimirum à trigeſimo ad quinquageſimum ætatis annum, cum arca in valle conſiſtebant, cæteri in monte. Altera opinio eſt Ribi, qui omnes Levitas medio inter utrumq; montem ſpatio ſtetiſſe exiſtimabat, uti oſtendunt verba Ieoſuæ: *Et omnis Iſrael ac ſeniores ejus, moderatoreſque, & judices ejus adſtabant arcæ utrimque:* ea autem quæ ſequuntur, *ad benedicendum ſupra montem Gerizim*, ille vertit, *juxta montem Gerizim*, quia adverbium על *al* ſæpe eo ſignificatu uſurpatur, ut † ועליו מטה מנשה *Et juxta eum tribus Menaſſe*;
† Nu. 2. 20. idem alibi etiam fit; unde colligit R. Levi ben Gerſon Levitas juxta montem, non in eo conſtitiſſe. Nunc ad conciliationem motarum ſupra quæſtionum venio. Et quantum quidem ad primam attinet, quæ oritur ex eo quod illic ſupra montem, hic infra conſtitiſſe dicuntur, ſentiendum eſt, ſupra montem Gerizim ſex tribus ſtetiſſe, videlicet ſtirpem Rahelis & Leæ; ſupra montem Hebal totidem tribus, ſervarum poſteritatem, cum duabus Leæ, primogenito ſcilicet Reuben, & minimo Zebulun, idque quia multos illa liberos habuerat; Levitæ autem medio loco conſtiterunt. Cum verò Ieoſua ait omnes inferius ſtetiſſe, juxta Iſhacum Abravanelem, non loquitur de benedictione ac maledictione, ſed tantum vult, populum ob multitudinem, per montes & inferiora diſperſum fuiſſe. Aut, juxta R. Semuelem Lannadum in Keli Iacar, & R. Aaron ben Haiim in Leb Aaron, non adverſatur, quod dicuntur è regione montium conſtitiſſe, nam qui montibus Gerizim inſtiterant è regione montis Hebal ſtabant, contra qui in Hebal è regione Gerizim. Quin & quamvis dicamus omnes infra conſtitiſſe, nulla relinquetur difficultas, quia adverbium על *Hal* transferre licet *juxta*, pro *ſupra*. Venio ad ſecundam quæſtionem, cur in Ieoſua maledictionis mentio non fiat: ad cujus ſolutionem dicere poſſumus, quia finis tantum erat populo benedicere, eo ſolùm dictum eſſe, *ad benedicendum populo Iſraelis primùm*. Et ut ſciamus maledictionem quoque prolatam, dicitur Ieoſua feciſſe *quemadmodum præceperat Moſes ſervus Domini*. Quid quod ex ipſis verbis, *ad benedicendum populo Iſraelis primùm* colligere poſſis primo benedictionem, dein maledictionem prolatam? Tertia quæſtio erat, Ieoſua an Levitæ benedictionem ac maledictionem prælegerint: ſed poſterius verum eſt, & colligi poteſt ex verbis: *Cumque totus Iſrael, & ſeniores ejus, moderatoreſque, & judices ejus adſtarent arcæ utrimque, coram ſacerdotibus Leviticis portantibus arcam fœderis Domini, peregrinus æquè ac indigena, dimidium ejus è regione montis Gerizzim, & dimidium ejus è regione montis Hebal, quemadmodum præceperat Moſes ſervus Domini ad benedicendum populo Iſraelis primò.* Nam verba *ad benedicendum* referuntur ad Levitas poſtremo loco nominatos. Eæ autem, quas Ieoſua legiſſe dicitur, aliæ benedictiones ac maledictiones fuerunt, nimirum quæ cap. XXIX. & XXX. Deuteron. memorantur, uti & reliqua præcepta Legis, quod teſtantur verba, *Non fuit quidquam ex omnibus quæ præcepit Moſes, quod non legerit Ieoſua, &c.* Atque ita rectè hæc loca conciliantur. Quæ ut facilius unuſquiſque intelligat, libet clarius paullo rem omnem exponere. Sex tribus Simhon, Levi,
Iehuda,

Jehuda, Isachar, Ioseph, & Binjamin in monte Gerizim stabant: sex reliquæ, Reuben, Gad, Aser, Zebulun, Dan, & Nephthali in monte Hebal: Levitarum autē nonnulli, quis ætas XXX annis major, L minor erat, apti ad ministeria, cum arca medii inter utrosq;. Hi ita cōsistētes & verso ad montē Gerizim ore exorsi sunt, Benedictus vir qui non fecerit sculptile, &c. atque ita porrò XI præcepta incipientia à vocabulo *Maledictus*, addita tantum negatione & Benedicti voce effati sunt. Primo autem præcepto hac ratione prolato, & facie ad montem Hebal conversà, dixerunt, Maledictus vir qui fecerit sculptile &c. atque sic deinceps reliquas quidem benedictiones protulerunt conversa in montem Guerizim facie, maledictiones oculis in Hebal obversis. His peractis orsi sunt benedictionem quæ cap. XXVIII. *Eritque si audiendo audieris vocem Domini*, & postea maledictionem, *eritque si non audieris*, *&c.* atque illa fuere, quæ Moses præscripserat. At Ieosua præter hæc etiam reliquas benedictiones, maledictiones, & præcepta legit, ut stimulos populo adderet ad colendum Deum.

## QVÆST. X.

Deuter. XXXI. 21. *Vt testetur canticum hoc in faciem ejus loco testis: non enim oblivioni tradendum est ex ore seminis ejus.*

2. Reg. XXII. 18. *Tum dixit Chilkia Sacerdos summus Scaphani scribæ, librum Legis inveni in domo Domini.* Item 2. Chron. XXXIV. 15.

PRomittit Dominus Legem nunquam oblivioni tradendam ab Israële, & tamen in Regum ac Chronicorum libris traditur Hilquiam inventum Legis librum ad Regem Iosiam attulisse, qui cohorruerit, & cum Scaphanem in eo legentem audivisset, vestimēta sua laceraverit, velut qui novam prorsus rem audiret. Ita quoque in Nehemia legas adeo populum Legis oblitum fuisse, ut & ipso Sabbathi die mercaturam exerceret; & cognito tabernaculorum festo, intellectoque Ammonitas & Moabitas congregatione Dei prohiberi, magnopere admiraretur, & contremisceret; quæ oblivionis certissima argumenta sunt.

## CONCILIATIO.

PRomissum Domini fuit Legem æternum ab Israëlitis observatum iri, ac nullo non tempore in ore eorum fore. Ait enim Iesaias‡, *De me autem, hoc fœdus meum cum istis ait Dominus, spiritus meus qui est super te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, aut ex ore seminis seminis tui, ait Dominus, ex hoc tempore usque in sæculum.* Probari potest non adversari his verbis ea quæ in Regum libro leguntur: primo enim scimus Hizquiam tam justum & pium fuisse Regem, ut multos viros principes cum literis exhortatoriis per Israëlem dimiserit, quis jubebat eos ad Deum patrum suorum redire. Ab eo autem usque ad tempus quo Hilkiah invenit librum Legis, anni septuaginta, nec plures, sunt; ut verisimile haud sit tam parvo spatio usque adeo Legis oblivisci Israëlitas potuisse, ut novum esset reperire aliquem librum Legis; cum temporibus Hizquiahu tam perfectum Israëlem fuisse prodant sapientes, ut à Dan ad Beersaba usque etiam omnes pueri in gravissimis Legis quæstionibus essent exercitati. Quamobremcum hoc rationi adversetur,

‡ cap. 59 21.

 cum

cum priscis sapientibus dicere oportet, Iosiæ novum non fuisse videre librum
Legis, multo minus eum contremuisse auditis quæ eo continerentur, quippe
† cap. 7 cui omnia nota essent. Sed (ut in Gemara Sanhedrin traditur †) Manasses Rex
impius, per totam S. Scripturam cultro eraserat Tetragrammaton Dei nomen,
rescripto in locum ejus idoli vocabulo. Id cum (teste Isaco Abravanel) adver-
tisset Sacerdotum quispiam, vir religiosus, Sepher, seu librum Legis, Mosis ma-
nu scriptum, accepit, & ne reliquorum instar violaretur, etiam inter tigna tem-
‡ Lib. 2 pli abdidit. Vnde in Chronicorum ‡ libro scriptum est: *Cumque proferrent pecu-*
cap. 34. *niam illam illatam in domum Dei, invenit Chilkia Sacerdos librum Legis per ma-*
14. *num Mosis.* i.e. manu ipsius Mosis consignatum. Quoniam autem exiguam aut
nullam spem habebat Iosias reperiendi exemplar quod intercidisse arbitraba-
tur, ideo simulatque inventus fuit velut ad rem novam & inexspectatam dixit
Chilkia את ספר התורה מצאתי *Librum Legis inveni*; quo loco voci תורה *Torà* He
demonstrativum præfigitur, ad ostendendum, repertũ esse librum Mosis, quem
periisse unusquisque putaret. At caussam laceratarum ab Iosia vestium in Thal-
mude Hierosolymitano tradi reperio, quod Sepher, seu codex Legis, qui uno
volumine à fine ad principium involvendus est, hic duplici volumine convolu-
tus erat, ita ut eum aperientibus primo se offerrent maledictiones quæ XXVIII
cap. Deut. habentur; ac prima verba quæ Rex legit, forent: *Auferet Dominus te*
*& Regem tuum, quem tibi imposuisti, ad gentem quam non novisti.* Quod cum
pius ac justus Rex animadverteret, non fortuito aut casu evenisse putavit, sed
pro finistro omine accipiens, præ tristitia vestimentum dilaceravit: & mox di-
missis qui super hac re Prophetissam Huldam consulerent, verum rei significa-
tum intellexit, nimirum, à Deo impendere civitati mala ea quæ in Legis libro
legisset. Quam ob caussam jussit mox arcam fœderis abscondi, ne inimicorum
* cap. 1. manibus profanaretur, ut scriptum est in Gemara Sotà * & Iomà †. Unde & in
† cap. 5. Chronicis * legas: *Dixitque Levitis, &c. ponite arcam sanctitatis in domo quam*
Hieroso. *ædificavit Selomoh filius Davidis.* Videmus hinc, neque Israëlem, nec Regem
Secalim oblitum Legis fuisse, quod salvis Deuter. verbis fieri nequibat; sed novum iis
cap. 6. erat reperire codicem manu ipsius Mosis exaratum, & apertum eo loco, qui
* 2 Chro. ingentem iis terrorẽ incuteret; uti recte observavit R. Joseph Albus in Icarim ‡,
35. 3. & R. Ieosua ben Sueb * in suis sermonibus. Ipsum illud quod in Nehemia pro-
‡ lib. 3 ditur nonnullos Sabbatho emisse ac vendidisse, nõ tam oblivionem Legis, quam
c. 22. extremam quorundam pravitatem ostendit. Unde & Ieremiæ ac Iehezquelis
temporibus querebatur Dominus Israëlitas Sabbathum profanare. Etenim ut
nunquam pravi homines & Legis perversores, ita nec sapientes ac pii viri de-
fuere, qui Legis doctrinam scirent ac propagarent. Quod autem in Nehemia
traditum est, cum audirent Ezram de festo Tabernaculorum legentem, confe-
stim illa exstruere eos cœpisse, deinde & de Ammonita ac Moabita à congre-
gatione Domini arcendis, solum vulgus spectat, quod rude, & omnium rerum
esse ignarum solet; cæteris enim omnia illa constabant. Denique ut ait Haber
† Par. ad Regem Cozar †, scriptor divinarum literarum, prætermissis rerum occul-
Haiè tioribus solas manifestiores consignavit. Itaque neque de scientia quam Deus
Sarà. Mosi, Moses Ieosuæ tradidit, quidquam scriptum reliquit; sed tantum quomo-
do stiterit Iordanis ac solis cursum, circumciderit universum Israëlem; quia non
agit nisi de illis quæ etiam vulgo aperta sunt. Ita & in historia Selomonis nihil
præter

præter opes & luxum ejus memoratur, sapientiæ verò ejus unũ tantùm exemplum exponit, judicium inter duas meretrices, quamvis ingens se & sublimior materies panderet in ænigmatibus quæ Sabæ regina ei proposuerat. Sic quoque de Hezræ ac Nehemiæ rebus nihil memoratur præter festum tabernaculorum, & separationem gentilium mulierum, ac velut inaudita res prædicatur, hanc gentem amorem conjugum & liberorum oblitam esse amore Dei. Hic, ut dixi, error fuit, in quem vulgus delapsum est, sed excellentiores viri, non modo hæc præcepta semper noverant, sed & ea quæ divini operis scriptores paucorum scientiæ reservanda judicarant. Sic nihil clari de altero mundo in Lege proditum reperias, nihil de angelis, & aliis mirandis rebus, quæ tractari potuissent; idque ut ait Aben Ezra, quia Lex doctis & imperitis data, ac proinde omnium captui adaptata est. Vnde factũ est ut rerum profundarum scientia, quam pauci habebant, paullatim periret; satis habente Deo, essentiam sanctissimæ Legis conservare, ut nunquam ea recederet ab ore populi ejus, quippe per quam æternitatem acciperet, *Si amovebuntur statuta ista à conspectu meo, dictum Domini, etiam semen Israëlis cessabunt esse gens in conspectu meo omnibus diebus.*

## QVÆST. XI.

Deuter. XXXIV. 10. *Sed non surrexit præterea Propheta in Israele par Moschi', &c. Tum omnibus signis & prodigiis &c. Tum omnibus* operibus *terroris maximi, quæ fecit Mosche ante oculos totius Israelis.*

Ieos. X. 12. *Tunc locutus est Ieosua &c. dixitque, Sol in Gibbone subsiste.* Item I. Reg. XVII. 22. *Rediitque anima pueri in medium ejus, & vixit.*

CVm ait S. Scriptura non surrexisse in Israële Prophetam parem Mosi signis ac prodigiis, id velle videtur, sublimitate prophetiæ & miraculorum magnitudine eum omnes reliquos Prophetas superavisse. Quod tamen adversari videtur aliis ejusdem locis, cum non eadem tantum, sed & majora miracula alios Prophetas edidisse legamus. Nam Moses tenebras produxit, Elisa populum scotomate percussit. Ille primogenitos Ægyptiorum morte affecit, Elisa quadraginta duos pueros. Ille aquas maris rubri discidit, Ieosua & Elisa Iordanis. Ille quadraginta dies sine cibo exegit, idem & Eliæ factitatum. Ille divinitatem in tabernaculum attraxit, idem & Selomonis tempore evenit. Ille Korahum & cetum ejus exstinxit, Elias quinquaginta viros igne exussit. Iam verò Ieosua solis cursum inhibuit, stupescendo profecto miraculo, Elias autem & Elisæus mortuos in vitam reduxerunt, qualia nunquam à Mose acta sunt. Vt non immerito queratur, quare dicat S. Scriptura nunquam Prophetam ullum parem Mosi surrexisse.

### CONCILIATIO.

NOnnulli difficultate hujus quæstionis adducti, cum existimarent Mosem prophetiæ sublimitate aliis Prophetis majorem, eosdem quoq; miraculis necessario superasse, & tamen notarent à Ieosua inhibitum solis cursum, ab Elia & Elisæo resuscitatos mortuos, nimis subtiliter id egerunt, ut magnitudinem horum miraculorum deminuerent, quo hâc ratione Mosis miraculis

minora ea efficerent. Itaque asserere haud dubitarunt, neq; solem jussu Ieosuæ substitisse, neque miraculū Iesaiæ circa umbrā, in sole, sed in ipsa tantum umbra fuisse, neque ab Elia aut Elisæo resuscitatos mortuos, sed qui animi deliquium paterentur. Atque ita Sophistice verba Scripturæ negare, aut saltem exponere eam in mentem voluerunt, ut cum perperā opinione eorū convenirēt. Sed hoc, ut veritati contrarium, nobis displicet. Alii ex veteribus sapientibus solidiore fundamento nixi, affirmant Mosem eadem miracula fecisse, & solem inhibuisse bello eo quod cum Sihone & Og gestum est, uti traditur in Gemara Tahanit †; & mortuos resuscitasse quando Lex dabatur; quia universi in exstasin abrepti sint, juxta verba * *anima mea egressa est cum loqueretur*; & cum vehementi contemplatione extra sensus suos abrepti forent, à Mose ad priorem statum reductos. Et profecto miraculum tenebrarum quas Ægypto Moses induxit, simile fuit miraculo Ieosuæ. Etenim quomodo comprehendere possis, Israelitas lumine Solis gavisos, Ægyptios contra tenebris involutos fuisse, nisi miraculum in ipso cœlesti corpore editum dicas, secundùm verba Jobi ‡: *Qui dicit Soli ne luceat.* Aut saltem quis negare possit, in aëre exstitisse tunc corpus aliquod tam densum, per quod radii solis ad Ægyptios non pertingerent, sed tantum ad Israelitas. Etiam ut Elias & Elisæus mortuos resuscitasse dici potest: nam si ad excidium primogenitorum pestilens adeo aër productus est, qui Ægyptios occideret, evadentibus Israëlitis; quid aliud hoc fuisse dicemus quam resurrectionem mortuorum; aut certe aliquam ejus speciem. Atque hoc modo, Mosis miracula extollentes, eodem ea gradu, quo Ieosuæ & Elisæi miracula posuerunt.

† cap. 3. * Cant. 5. 6. ‡ cap. 9. 7.

II. Sed, quemadmodum notarunt veteres sapientes, etiam hâc parte cæteris Prophetis præcelluit Moses, quod illis antea orandus Dominus erat, ut Ieosuæ†, cum solem subsistere juberet, unde verba, *Nec fuit talis præterea dies, auscultante Domino voci viri.* Elias quoque precibus cœlestem ignem impetravit, puerum in vitam reduxit: denique precibus usi sunt omnes reliqui Prophetæ; at Mosi tanta in promittendo ac faciendo confidentia erat, ut sine precibus cuncta patraret, perinde ac si ipsam naturam sub imperio suo haberet. Ipsi quoque Deus virgam in manus tradidit, quod nemini aliorum Prophetarum evenit, tanquam indicium jurisdictionis in ipsam rerum naturam, quam pro arbitrio mutare posset. His observatis in arduo non est conciliare verba S. Scripturæ. Ait enim: *non surrexit Propheta in Israele par Mosi*: dein, explicans excellentiam ejus, subdit: *quem cognoverit Dominus facie ad faciem. Tum omnibus signis ac prodigiis, quæ miserat eum Dominus facturum in terra Ægyptiorum &c.* Quis verbis significat reliquos Prophetas non fecisse miracula jussu Dei benedicti, sed vel ira ac zelo, vel pietate impulsos; unde precibus ii opus habuere, ut miracula per eas impetrarent. At à Mose cuncta divino jussu facta sunt, ut ostendunt verba, *quem miserat Deus, &c.* quam ob caussam nullis precibus ei opus fuit. Hac igitur re cæteros Prophetas excessit Moses. Nam, ut ait Isacus Abravanel miracula per preces edere, est opus viri sancti, cujus supplicationem Deus exaudit; at ea sine precibus edere verè divinum est, & maximæ perfectionis in Propheta argumentum, cujus excellentia dependeat à copulatione divina.

† Ieos. 10. 14.

III. R. Moses Gerundensis existimat Mosem non tantum eò quod facie ad faciem à Deo cognitus sit, sed & miraculorum magnitudine cæteros Prophetas exsuperasse; secundum verba *tum omnibus signis, &c.* Et quamvis nonnulli ali-

qua ex iis fecerint, nihilominus majorem eorum partem, & excellentiam, eos nequaquam attigisse. Neque enim vel ante vel post diem ullum exstitisse parem illi quo ex monte Sinai Lex data est. Accedere quod reliquorum Prophetarum miracula durabilia non fuerint; contra manna xl. annis duravisse, itidem columnam nubis, & per consequens etiam puteum aquarum. Sane si recte hæc æstimemus, videntur optime Scripturæ loca conciliari. Nam revera majus miraculũ fuit diei quo Lex data, ac divinitas à Mose quasi deorsũ attracta est, quo item omnes prophetico spiritu repleti, ac ipsi divinitati copulati sunt, quam aut Solis cursus repressus, aut resuscitatio mortuorũ. Nam illud bonum commune fuit, & ante oculos totius Israëlis: adeo ut nec Ieosua, nec Elias, neque Elisa Mosem miraculis superaverint.

IV. Ishacus Abravanel in expositione Legis, & doctissimo opere suo Miphalot Eloim *, ingeniosè super hac re differens, Ratio, inquit, cur autorum alii deprimere reliquorum Prophetarum miracula, alii Mosaica extollere tentaverint, est, quod existimarent, quo quis majora edat miracula, eo & majorem Prophetam esse. Cum tamen excellentia Prophetæ non sita sit in miraculorum magnitudine, sed gradu prophetiæ. Etenim miracula à Prophetis fiunt pro necessitate temporis, quo vivunt. Et fieri possit ut qui prophetiam altioris gradus habeat, nulla tamen edat miracula, quia nulla necessitas ea exigat. Abraham sublimis Propheta, & major Elisæo, non tamen tot vel tanta edidit miracula: ipse etiam Elisæus præceptorem suum Eliam eorum numero vicit. Eandem ob causam Ishacus, Iacobus, & Semuel, uno tantum miraculo singuli inclyti sunt. At Nathan, Gad, Ahia Silonites, Iehu, Hazariahu, Semajah, Oseas, Hamos, Ioel, Obadias, Ieremias, Jehezquel, Micha, Nahum, Habakuk, Sephaniah, Haggæus, Zacharias, & Malhachi, nullum prorsus miraculum edidisse leguntur. Vt mirum non sit inhibitum à Ieosua solis cursum, ab Elia & Elisæo mortuos in vitam reductos, à Mose non item: nam occasio aut caussa faciendi nulla erat. Temporibus Mosis non pugnavit Israel ad noctem usque: quo itaque fine Solis cursus sisteretur? si nullus questum venit super morte filii, quid opus erat eundem in vitam revocari? cum non nisi urgente necessitate naturæ ordo immutari soleat. Vnde ait R. Moses, (in magno opere Iad a-hazaqua †) Israelitas non credidisse Mosi propter miracula; quia illi qui eam ob caussam credant, semper aliquam suspicionem necromantiæ & præstigiarum retineant. Ideoque nunquam nisi necessitate urgente edita ab eo miracula. Necessarium erat submergi Ægyptios, discidit mare: indigebant alimento Israelitæ, descendere fecit manna: sitiebant, eduxit ex petra aquas: insurgebant in eum Korahus aliique, terra eos absorbuit: eadem in cæteris ratio. Quæ ostendunt, miracula non pependisse à sublimi gradu prophetiæ. Miracula autem, quibus Mosem reliqui Prophetæ imitati sunt, nequaquam Mosaicis paria fuere. Minus enim erat dividere Iordanem, quam mare rubrum; quippe inter hujus profunditatem, & amnem Iordanem nulla est comparatio; quando & Iacobus dixit †, *baculo meo transivi Iordanem istum*. Accedit quod illic omnes simul Ægyptii submersi sunt eodem tempore quo per siccum transibant Israelitæ; &, si veteres sapientes audimus, omnis populus, ne servabus quidem exceptis, prophetico spiritu impletus erat. Sic quoque Elias quidem xl. dies cibo caruit, at de Mose dicitur †, *Panem non comedit, & aquas non bibit*. De Elia autem †, *& progressus est vi cibi illius*, ubi de potu silentium

*Lib. 10 cap. 9.*

† *Iesodè Tora cap. 8.*

† *Gen. 32. 10. Ialcut lib. 1. art. 244*

† *Exod. 34. 28.*

† *1. Reg. 19. 8.*

tu silentium est, quia ille non defuit. Quamobrem & angelus dixit ei, *Surge comede*, non autem *bibe*. Denique &, quod tempore Selomonis divinitas descendit, comparandum non est Mosaico miraculo: nam de tabernaculo dicitur †: *Nubes enim Domini erat super ipsum tabernaculum interdiu; ignis vero in eo noctu, in oculis totius Israelis.*

## MIRACULA.

A Mose, aut caussa ejus edita.

1 A filia Pharaonis è flumine ereptus est. Exod. 11.5.
2 Rubus ardens cōbustus nō est. ib. 32
3 Virga Mosis in serpentem conversa &c. ibid. 4.3.
4 Virga Aaronis aliorum virgas devoravit. ibid. 7.12.
5 Manum è sinu leprosam eduxit &c. ibid. 4.6.
6 Manum è sinu sanam eduxit. ibid. 7.
7 Aquas in sanguinē convertit. ib. 7.21
8 Ranas è flumine ascēdere fecit. ib. 28
9 Tollit eas juxta fidem datam Parhoni. ibid. 8.5.
10 Plaga pediculorum. ibid. 17.
11 Plaga colluviei animalium. ibid. 21
12 Separavit terram Gosen in quâ erat Israel. ibid. 18.
13 Colluviem animalium abigit. ib. 28
14 Plaga pestilentiæ. ibid. 9.3.
15 Evadit pecus Israelis. ibid. 4.
16 Plaga ulceris. ibid. 8.
17 Plaga grandinis. ibid. 18.
18 Israelem grandini eripuit. ib. 26.
19 Grandinem cessare fecit. ibid. 29.
20 Plaga locustarum. ibid. 10.19.
21 Abactæ locustæ. ibid. 19.
22 Plaga tenebrarum. ibid. 21.
23 Lux Israëli eodem tempore. ib. 23
24 Deus Israëlitas Ægyptiis gratos facit ut eos spoliarent. ibid. 12.36.
25 Plaga primogenitorum. ibid. 11.5.
26 Israëlitas huic plagæ eripuit. ibid. 12.23.
27 In omnes Deos Ægyptiorum judicia exercuit. ibid. 12.
28 Israëlitis abeuntibus nemo damnum intulit. ibid. 23.

## MIRACULA.

A reliquis Prophetis, aut propter eos edita.

1 *Noah*, Diluvium. Genes. 6.17.
2 Ille cum suis evasit. ibid. 6.18.
3 Paria animalium ad eum venerunt. ibid. 7.9.
4 Arcus fœderis. ibid. 9.13.
5 *Abraham*, Plagis affecit Deus Parhonem. ibid. 12.17.
6 Excidium Sodomæ. ibid. 19.25.
7 Lot cum filiabus evasit. ibid. 19.29.
8 Sara nonagenaria peperit. ibid. 21.1
9 *Aries* ligatus loco Isaci. ibid. 22.13.
10 *Isaac*, Vxor ejus sterilis parit. ib. 25
11 *Iaacob*, cum angelo luctatus. ibid. 32.24.
12 Terror Dei supra civitates. ibid. 35.5.
13 *Ieossuah*, Iordanē divisit. Ieos. 3.16
14 Ierichuntem tubis evertit. ib. 6.20.
15 Anathema Hachanis detectum. ib. 7.18.
16 Lapides pluit supra hostes. ibid. 10.
17 Solem inhibuit. ibid. 12.
18 *Gideon*. ignis è rupe ascendens carnem absumsit. Iud. 6.21.
19 Vellus rore adspersum. ibid. 37.
20 Vellus siccum. ibid. 40.
21 *Simson*, natus promisso angeli. ib. 13
22 Aquæ è maxilla productæ. ib. 15.19
23 *Semuel*, mater ejus sterilis peperit. 1. Sem. 1.20.
24 Miraculum per arcam Dei in templo Dagonis editum. ibid. 5.3.
25 Arca à fœtis vaccis reducta. ib. 6.12
26 Betschemeschitæ ob arcam percussi. ibid. 19.
27 Æstate pluviā produxit. ibid. 12.17
28 Miraculū eorū qui Davidem persequebantur. ib. 19.11.

29 Non fermentata fuit massa Patrum nostrorum ab exitu ex Ægypto usque ad Succoth. ibid. 34.
30 Non amota fuit columna nubis interdiu. ibid. 13. 22.
31 Mare rubrum discissum. ib. 14. 22.
32 Dum Ægyptii submergerentur Israelitæ per siccum ivere. ibid. 24.
33 Tigno aquas Mara dulces reddidit. ibid. 15. 25.
34 Coturnices, ibid. 16. 13.
35 Manna xl. annis. ibid. 15.
36 Non supererat nimium colligenti. ibid. 16. 18.
37 Quod superfluebat verminibus implebatur. ibid. 20.
38 Quod Sabbatho reservabatur haud putrescebat. ibid. 16. 24.
39 Sabbatho non descendebat. ib. 26.
40 Manna incorruptũ duravit in capsula. ibid. 33.
41 Cessavit manna simulatq; venissent in terram habitatam. ibid. 35.
42 Aquas ex petra eduxit. ibid. 17. 6.
43 Amalequitæ sublatis ab eo manibus cæsi. ibid. 11.
44 Voces, tonitrua, & nubes densa in monte Sinai. ibid. 19. 16.
45 Moses loquebatur, eiq; voce Deus respondebat. ibid. 19.
46 Audivit populus vocẽ Dei loquentis è medio ignis.
47 Ignis apparuit in monte. ib. 24. 17
48 Mansit in monte xl dies. ib. 34. 28.
49 Accepit tabulas opus ipsius Dei. ib. 32. 16.
50 Illustrata est facies ejus. ib. 34. 35.
51 Iterum in monte xl diebus mansit. Deut. 9. 9.
52 Tertio in mõte diebus xl egit. ib. 10
53 Fecit secundas tabulas inscriptas manu Dei. Exod. 34. 1.
54 Nubes operuit tentotium conventus. ibid. 24. 15.
55 Die octavo ignis supra aram descendebat. ibid. Lev. 9. 24.

29 Saul ad Prophetas accedens, etiam ipse prophetat. ibid. 21.
30 *David.* Huza extinctus quia manũ ad arcã extenderat. 2. Sem. 6. 8.
31 Deus domui Obed benedicit. ibid. 6. 11.
32 Ignis in aram Araunæ descendit. ibid. 24. 25.
33 Salomonis scientia supernaturalis. 1. Reg. 4. 29.
34 Ignis in aram descendit. ibi. 11. 10
35 *Vir Dei*, findit altare. ibid. 13. 5.
36 Arescit manus Regis. ibid. 13. 4.
37 Restituitur precibus Prophetæ. ib. 6
38 Moritur quia comederat in civitate. ibid. 24.
39 Leo non comedit cadaver ejus. ib. 28.
40 *Iehaziel ben Zechariahu.* Tempore Ieosaphat viderunt in castris Amon & Moab cadavera. 2. Chron. 20. 24.
41 *Eliahu* Pluviam tribus annis retinuit. 1. Reg. 17. 1.
42 Corvi cibum ei subministrarũt. ib. 6.
43 Cadus farinæ nõ minuebatur. ib. 14.
44 Resuscitavit filium Sarphitæ. ibid. 17. 22.
45 Fecit descendere ignem in monte Carmel. ibid. 18. 38.
46 Angelus dedit ei placentam & ampullam aquæ. ibid. 19. 6.
47 Vi illius cibi profectus est xl diebus. ibid. 8.
48 Quinquagenos combussit. 2. Reg. 1. 10.
49 Iordanem tunica sua divisit. ib. 11. 8.
50 Sublevatus fuit curru igneo. ib. 11.
51 *Elisæus*, divisit Iordanem tunica Eliæ. ibid. 14.
52 Sale aquas sanavit. ibid. 21.
53 Quadraginta duos pueros immissis ursis sustulit. ibid. 24.
54 Aquæ venerunt itinere Edomi. ib. 3. 16.
55 Oleum à Prophetæ vidua vasis infusum. ibid. 4. 2.

Mors

56 Mors filiorum Aaronis tempore suo. Ib.10.2.
57 Igne cõbusti sunt qui malũ loquebantur in auribus Domini. Nu.11.1
58 Carnem expetentes à Deo occisi. Ib. 11.33.
59 Miriam leprâ percussa. Ib.12.10.
60 Valetudini reddita precibus Mosis. Ib.12.13.
61 Exploratorum percussio. ib.14.37
62 Korah à terra devoratus. ib.16.32
63 Ignis egressus ccl devoravit. ib.35
64 Pestilẽtia in populo incipit.ib.17.11
65 Suffitu repressa plaga est.ibid.13.
66 Efflorescit virga Aaronis. ib.17.23.
67 cũ flore ipso amygdala producit.ib
68 Aquas è rupe eduxit. ibid. 20.11.
69 Miraculosa mors Aaronis.ib.20.28
70 Serpentes mordẽt populũ.ib.21.7
71 Serpentem æneum facit &c. ib.10
72 Monstrat ei Deus totam terram sanctam. ibid.34.1.
73 Mors supernaturalis Mosis. Deut. 34.5.
74 Manibus Dei sepultus. ibid. 6.
75 Nunquam quisquam ejus sepulturam rescivit.ibid.
76 Non caligavit oculus ejus,neq; fugit viriditas ejus. ibid.34.7.

56 Sunamitis sterilis peperit. ibid.17.
57 Resuscitavit filiũ Sunamitidis.ib. 34
58 Venenum ex olla exemit.ib.41.
59 Viginti panibus populũ cibavit ita ut superessent reliquiæ. ibid.42.
60 Nahamanẽ à lepra sanavit. ib.5.6.
61 Guehazi lepra percussus.ib.27.
62 Ferrum aquis innatavit.ibid.6.6.
63 Puer apertis oculis vidit equos igneos. ib.17.
64 Populũ scotomate percussit.ib.18.
65 Strepitu & sonis castra Syrorum perterrefacta. ib.7.6.
66 Ossa ejus mortuũ resuscitãt. ib.13.
67 *Ionà*,ventrem balenæ ingressus nec mortuus est. Jona.11.11.
68 *Iesaiah*, Lepra in fronte Vziahu exorta,quia suffire cupiebat.2.Chr.26
69 Angelus in castris Assyriorũ clxxxv millia hominũ occidit.2.Reg.19.35
70 Quindecim annis vita Hisquiæ prolongata. ibid.20.6.
71 Umbra graduum retro it. ibid.11.
72 Palatha ficuum sanat ulcus. ibid.7.
73 *Daniel*,Hananias,Misael,& Hazarias projecti in furnum , nec læsi sunt. Dan.3.24.
74 In antro leonum incolumis mansit. ibid.6.23.

Videmus hinc Mosem non modo excellentia & sublimitate prophetiæ , verùm & miraculorum multitudine omnes superasse. Etenim supputatione inita comperimus per aut propter Mosem lxxvi miracula edita: at per vel ob reliquos omnes Prophetas à principio mundi usque ad excidium primi Templi, id est,annis ter mille trecentis & viginti octo,tantum quatuor & septuaginta. Ita ut sine controversia ille cunctos excesserit; quippe non in elementis modo , & mixtis,in mineralibus,plantis,animalibus rationis expertibus,in hominibus,cœlis, & angelis miracula edidit, sed & ipsam Divinitatem deorsum attraxit, facie ad faciem cum Domino locutus,ut inquit Abravanel sub finem expositionis in Legem.

Atque hìc finem huic operi impono , fessus inquirendo ea quæ scripserunt Autores ante mea tempora nati & exstincti , ut desiderium ad finem perveniendi erroribus nonnullis caussam proculdubio dederit. Eorum veniam à divina Majestate supplices petimus; eique gratias quantas fieri potest,agimus, *Dirige me in veritate, & doce me, quia tu Deus salutis meæ, in te spero omni die.*

F I N I S.

